Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE ROMA
RB
07.
23/4

Digitized by Google

RB 234

F. FRANCISCI PANICAROLAE
ECCLESIAE HASTENSIS EPISCOPI.

Diſceptationes Caluinicæ.

A IOANNE TONSO MEDIOLAN. PATRITIO
In Latinum Conuerſæ.

SVPERIORVM PERMISSV.



MEDIOLANI,
Ex Typographia Pacifici Pontij Impreſſoris Archiepiſc.
M. D. XCIV.

RB 234

F. FRANCISCI PANIGAROLAE ECCLESIAE HASTENSIS EPISCOPI.

Diſceptationes Caluinicæ.

à Ioanne Toſſo Mediolan. Presbytero in Latinum conuerſæ.

SVPERIORVM PERMISSV.



MEDIOLANI.

Ex Typographia Pacifici Pontij Impreſſoris Archiepiſc.

M. D. XCIV.

BEATISS.^MO PATRI AC DOMINO NOSTRO D. CLEMENTI PAPAE VIII.

Ioannes Tonſus. S. D.

ANTEQVAM diſceptationes aduerſus impiam Ioannis Caluini doctrinam à Franciſco Panicarola Epiſcopo Haſtenſe vulgari ſermone conſcriptas, latinas facere in animum inducerem, cum rem totam perpendiſſem, ſatis intellexi magnum eſſe negotium, atque in illud multum operæ, ac laboris inſumendum; quibus neque propoſitum eſſet præmium, neque magna deberetur laus: quæ duæ res, ab omni arduo opere deterrere pleroſque ſolent. Sed plurimi refert, quo quis ingenio ſit, quibuſq; artibus ac diſciplinis inſtitutus. Ego enim ſemper cenſui, non eſſe magni animi, ſed ne ingenui quidem, vlla in re ſuſcipienda cupiditatis oculos ad pręmium adijcere; leuioris vero & infirmioris, gloriolam conſectari, ac de laude quærenda ſolicitum eſſe. quare in ijs ponderandis, quæ aſpernabatur animus temporis parum admodum, operæ nihil poſui. Sed cæpi cogitare, diſcepta-

tiones haſce, iampridem Caroli Emanuelis Allobrogum Ducis hortatu fuiſſe lucubratas, & in lucem editas; quas in latinum verti magnopere cupiebat: quæ res, primùm me ad hoc ſuſcipiendum munus inuitauit, cum enim multis de cauſis principi illi florentiſſimo plurimum deberem, optaremq; aliquam mihi occaſionem dari, qua ſtudium meum in ipſum declararem; non putabam licere, vti tardum, & hebetem ignorare me quæ cuperet: aut eadem negligere, vti væcordem; ne dicam ingratum; à cuius criminis commemoratione non minus aures abhorrēt, quàm à crimine animus. Alliciebat me item ſumma mea in Panicarolam beneuolentia, quem nemo eſt qui norit, quin diligat; ego vero colo, & obſeruo: cuius cauſſa omnia cupio, & debeo: quo cum, & communis patria, & affinitas, & vetus conſuetudo, & excellens hominis ingenium, & mira eruditio, me arctiſſimis amoris vinculis iampridem coniunxerunt. Sed me nihil æque permouit, atque religioſiſſimi viri Caroli Borromei Cardinalis auctoritas: cum affirmaret placere ſummo Pontifici Gregorio XIII. vt hæc Panicarolæ ſcripta in latinum conuerterentur; eiusq; rei cauſſas nonnullas afferebat. In primis, quòd opus perfectum ingenio, elaboratum induſtria perire nolebat: neque fieri aliter poterat, ſi præ manibus haberi, & legi vetaretur: ſin permitteretur, intelligebat in Italia omnes, omnium generum, ætatum, ordinum illud auidiſſime propter auctoris nomen, & gratiam eſſe lecturos. cum autem quæſtionibus ex intima

philo-

philoſophia diuina, humanaq; depromptis, atque accuratè à ſummis Theologis diſputatis refertum eſſet, ideoq; ab imperitis, quorum infinitus eſt numerus, ſubtilior materia percipi non poſſet, ne libri illius lectio plus eis officeret, quàm prodeſſet, verebatur. addebat item Borromeus, vertendum in latinam linguam eſſe, ea ratione, vt latius emanans, atque ad exteras nationes perueniens, ijs vtilitatem afferret, quorum cauſſa ſcriptus eſt: qui ſcilicet paucorum hominum ſcelere decepti, à recta via veræ religionis aberrant. Itaq; hortante, vel etiam rogante Borromeo, nihil mihi dubitandum, nihil cunctandum ratus, (tametſi fluctibus tempeſtatis eius, quę me diu vehementerq; iactarat, nondũ plane ſedatis) rem inchoaui. Quòd ſi ego ex eorum etiam numero fuiſſem, de quibus initio dicebam, qui humana laude, vel lucro, quæſtuq; ducuntur; ad vtrumq; conſequendum hi labores mei accommodati, aptiſſimiq; fore videbantur. nam homini Chriſtiano nihil poteſt eſſe glorioſius, quàm ſi is ſummo Põtifici volens, libensq; pareat, & eius obſequatur voluntati. Si vero in ijs regionibus, in quibus pleriq; eo morbo laborant, vt à nobis de vera religione diſſentiant, vni tantummodo ægrotæ animę ex huius libri verſione redderetur ſalus, nullum emolumentum, nullum lucrum eſſet, ne totius quidem terrarum orbis, quod cum hoc conferri poſſet. Editur ergo liber; multo quidem quàm par erat ſerius: ſed quarè id acciderit, nihil à me commiſſum, nihil omiſſum mihi ipſe ſum conſcius. cum enim maximis

occu-

occupationibus diſtinerer, omnem operam dabam, vt me ab eis, quantum fieri poterat, expedirem. ſi me interdum dies deficiebat, nocte non deſerebat lucernæ lux: tempus quod negotijs eripere non licebat, vitæ commodis eripiebam. itaque non vitio, culpaue mea editio in hunc vſque diem dilata eſt, ſed impedimentis pluribus, quorum quotidie aliud ex alio; quæque recenſere neceſſe non arbitror. Verumtamen vtcumque ſe res habeat, magna quadam mea felicitate tantum interuallum temporis interiectum, tantam interpoſitam moram fuiſſe puto; quò nonnullam Beatiſſime Pater, meæ ſingularis in te obſeruantiæ teſtificandæ facultatem haberem: quod vnum vt antequàm è vita decederem mihi contingeret, magnopere cupiebam. mirum eſt enim, ex quo primum die te cognoui, quantum te coluerim, & obſeruarim; quantopere amabili illa ſocietate, grauitatis, lenitatisq́; tuæ captus ſim. Ac magnum hic habere me campum intelligo, in quo exultare poſſet oratio, dum de ſummis tuis virtutibus dicerem, iuſtitia, moderatione, prudentia, perpetua vitæ innocentia, admirabili ingenio, eoq́: omni liberali doctrina exculto: quibus factum eſt virtutibus, vt ad ſummum totius terrarum orbis imperium, per omnes honorum gradus elatus ſis, quod pauci conſequuntur, nemini verò mortalium fas eſt altius aſcendere. Neque occaſionem quam huiuſmodi loco pleriq́; arripiunt, ego negligenter amitterem; niſi viderem, non tàm licere mihi quod cupiã, quodq́; deceat dicere; quàm,

quod

quod tu velis audire: qui, cum alienas laudes auidiſſimis auribus ſemper accipias; tuas, quòd ſingularis modeſtiæ eſt, attingi non pateris. Quare, quod ego maximum optimumq; habui, vel indicium, vel etiam pignus meæ in te ſingularis obſeruantiæ; labores meos, induſtriam (iudicio meo) haud male poſitam, haſce lucubrationes, qualeſcunque ſint, nomini tuo do, dicoq;. pertinet quidem ad ſummum Pontificem quod ſummi Pontificis nutu factum eſt, eiq; merito debetur; ſed quod facere debui, vt libentiſſime facerem, meum in te ſummum ſtudium, eximiaq; voluntas fecit. Ceterum, te etiam atque etiam oro, ne ingenium meum multorum hominum ingenio metiaris, qui libros maximorum regum nomini inſcribunt; vel vt ab eis gratiam ineant, vel vt honoribus augeantur, vel vt opes, diuitiasq; conſequantur. Scio enim voluiſſe te ſemper ad tuam gratiam bonis viris aditum patere, cuius aucupandæ labor eorum fruſtra eſt, qui boni non ſunt. Honores, ac dignitates contemnendas non cenſeo: ſed quemq; ita viuere, vt ijs indignus non ſit (nam naſci, fortunæ non virtutis eſt) ſatius duco, quàm de ijs obtinendis laborare. Egeſtate grauiq; inopia non premor, & ditari nunquam optaui: ſaneq; ridiculus eſſem, & propè inſanus, ſi annos ſex, & ſexaginta natus, de re augenda ſolicitus eſſem, cuius vſura paullo diuturnior eſſe non poſſet. Quòd ſi quid hoc exiguo reliquæ vitæ tempore mihi durius acciderit, certum perfugium in animi tui magnitudine, clementiaq; me habiturum

con-

confido. Neque enim mihi memoria excidit, cum ab vrbe in patriam rediturus ad pedes tuos proſtratus eſſem, quàm liberaliter, me à te, quæ petebam paſſus ſis impetrare; neque fieri poteſt, vt naturam exueris, priſtinamue conſuetudinem immutaris: quibus fit Beatiſſime Pater, vt officijs tuis cogitationes vincere, & petendi conſilium anteuertere ſoleas; eorum, quos vere tuæ opis indigere, neque referre liberalitatem tuam ad ambitionem, aut ad quæſtum animaduertis. Mediolani x. Calen. Iunij. M. D. XCIIII.

INDEX

F. FRANCISCVS PANIGAROLA ALLOBROGIBVS ET SVBALPINIS. S. D.

MVNVS, ò, felices fortunatiq; populi, affero vobis, nomine Caroli Emanuelis Principis veſtri; hunc ſcilicet libellum: quem, vti à me conſcribi voluit, (quo nimirum is libellus maxime commodis veſtris, vtilitatiq; ſeruiret) ita, eundem à vobis, de mea quidem manu, ſed nomine ſuo accipi vult. atque ego, qui ad ipſum conſcribendum non hortatu veſtro, ſed præceptis eius impulſus ſum, vehementer opto precorq́, vt tanquam ab eo miſſum, non vt à me donatum æſtimetis: quoniam vobis longe chariora, maiorisq; pretij ipſius munera, quàm mea videbuntur. præterea, cum vobis hac epiſtola, aliena res offeratur, non lucubrationes meæ nomini veſtro inſcribantur, nihil erit, cur, aut ego, aut vos, eorum aliquid præſtemus, quæ à pleriſque omnibus, in huiuſmodi inſcriptionibus præſtari ſolent. neque enim mihi aliqua erit afferenda vobis excuſatio, quòd liber prodeat, non omnibus numeris abſolutus; ſed Carolo ſatisfaciendum, qui me ad ſcribendum impulit: neque vobis laborandum erit, de agendis mihi pro munere gratijs; ſed erunt agendæ Carolo, qui librum mittit. non item hoc loco oportebit me, ſummis ad cælum laudibus efferre principem hunc, qui vos imperio regit; in ipſo, iuuenilis ætatis flore, canos ſenes prudentia morumq; grauitate ſuperantem. primum, quia is nihil tam ægre tamq; moleſte fert, quàm

laudes ſuas, vel audire, vel legere. deinde, quòd ego vobis eadem iterarem, quæ de illo mihi, vos, ſæpenumero prædicaſtis. poſtremo, quia linguam & verba mea, ad hominis alicuius magnitudinem gloriamq́; quamuis ea maxima ſit, extollendam inuitus ſanè conuertere ſoleo, quæ Dei laudibus celebrandis dedi, dicaui, conſecraui. Præterea, quam perſonam ſuſtineam referamq́;, non ſatis intelligere viderer: quoniam, qui alieno nomine ferunt munera, non eos decet in illorum à quibus mittuntur verſari laudibus, ſed officium ſuum exequi, & mandata paucis exponere. mandatorum igitur hæc ſumma eſt. cùm is commoda, & incolumitatem veſtram primam ſibi ducat, neque ijs vitam habeat potiorem; ac, quemadmodum in primis, omnia ſaluti animarum veſtrarum aduerſantia, armis quantum poterit ſemper propulſare conabitur; ſic, ſe enixe daturum operam, vt ex altera parte, ſacra ſcilicet doctrina, & pia eruditione, omnem vobis opem, & adiumentum ferat. &, cùm ea de quibus anno ſuperiore vobis audientibus cum Caluino diſſerui, aduerſus eius Inſtitutionem vobis ingrata non fuiſſe, vtilitatemq́; aliquam attuliſſe animaduerterit, propterea mandaſſe, vt ego diligenter diſceptationes eas, nonnullis additis, conſcriberem; quæ vobis præſto eſſent, atq́; eas cùm vſus poſceret, in memoriam reuocare, indeq́; vberiores fructus indies percipere poſſetis. atque vt ferrum (quod aiunt) tundatur, dum in igne eſt, tam breue ſpatium ad hoc texendum opus mihi dediſſe, quantum ingenij mei viribus vix conniti poſſem; non paſſum eſſe, illi ſtudium & diligentiam adhiberi, diu multumq́; in manibus haberi, limari, expoliri, ornari; cùm nollet me de mea exiſtimatione; ſed de veſtra tantum vtilitate ſolicitum eſſe: quò vero rudioribus etiam, & imperitis prodeſſet, noluiſſe, vt doctrinam aut ſermonis elegantiam, ſi qua in me ſunt, afferrem, ſed res tantummodo ordine diſponerem; planeq́; omnino, ac dilucidè tractarem. denique librum iam abſolutum à me ipſo delatum, largiri vobis: maximeq́; Deum orare, & obteſtari, vt quantum in vos ſtudium

quantaq́;

quantaq́ pietas largientis eſt, tantam ex eo, vos vtilitatem percipiatis. mandatis expoſitis, ſi mihi etiam addere de meo pauca liceat, maxime velim, ex hoc veſtri principis facto tria animaduerti à vobis, diligenterq́ perpendi. primum, an plures toto terrarum orbe principes reperiantur, qui pro populorum, quibus imperant ſalute, in huiuſmodi cura verſentur. tùm quales fructus progreſſu ætatis, editurum putemus, præclarum principis huius ingenium, qui in ipſo, & iuuentutis, & principatus initio, tàm præclaras excelſasq́, tum belli, tùm pacis cogitationes ſuſcipiat. poſtremo, an populi vlli ſint, qui maiora ſint à Deo beneficia conſecuti, ac magis quàm vos, eius debeant bonitati. VI

DIVIDITVR TOTVM OPVS IN PARtes treis, præcipuas; & earum vnaquæque, ſex diſceptationes continet. Prima pars, arma expedit, quibus decertandum eſt. altera, inuadit. tertia defendit. id eſt.

PRIMA parte. oſtenditur veritas, & auctoritas Romanæ Eccleſiæ, diuinarum literarum, traditionum, Conciliorum, & Pontificis Romani. a fol. 1. ad 154.

Secunda, ÿs iactis fundamentis, docetur, quàm falſa ſit Ioannis Caluini doctrina, vbicunque is, de homine locutus eſt, ab ipſius hominis ortu, vſque ad exitum vitæ. à fol. 154. ad 310.

Tertia, refelluntur crimina, quæ à Caluino Catholicis obÿciuntur: atque ea præſertim, quibus illos, tot locis Idololatras appellauit. à fol. 310. ad finem.

Sed vt ſigillatim de vnaquæque diſceptatione dicamus.

Prima probatur veram Eccleſiam, quæ vna eſt, eſſe non iuſtorum, ſeu prædeſtinatorum tantum, ſed fidelium congregationem: Eamq;, nec eſſe nec fieri inuiſibilem vnquam poſſe: Et ad eam dignoſcendam, non certa eſſe ſigna doctrinæ puritatem, & veram Sacramentorum adminiſtrationem. Aduerſus Caluinum Quar. Inſtitutio. cap. pri. ſectio. 9. cap. 4. ſectio. 10. Et Epiſtola Nuncupatoria ad Galliarum regem eiuſdem libri fol. 1.

Secunda probatur, vera ſigna dignoſcendæ Eccleſiæ. eſſe quatuor hæc, Vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica. *probatur item, vt in ſecta Caluinica, neque vnitas, neque firmitudo, reperiri poteſt, ita Eccleſiam Romanam manifeſtè eſſe, & vnam, & Sanctam. fol. 28.*

Tertia, non receditur à Symbolorum ordine, & docetur, ſolam Eccleſiam Romanam, eſſe Catholicam, & Apoſtolicam: *quoniam cùm diffuſa ſit per totum terrarum orbem, retinet, nunquam interruptam Epiſcoporum ſucceſſionem. Aduerſus ea, quæ Caluinus ſcribit lib. Quar. Inſtit. cap. 2. atque Epiſtola ad Regem. fol. 54.*

Quarta, duo præcipue grauiſſima noſtræ fidei Dogmata probantur: Vnum, Veram Eccleſiam errare non poſſe. alterum, Dei verba, partim eſſe ſcripta; partim non ſcripta. Aduerſus ea, quæ Caluinus blaſphemat, de Chriſti promiſſionibus Apoſtolis factis, & de traditionibus Apoſtolicis. toto cap. octauo lib. Quar. Inſtitutio. fol. 77.

Quinta, docetur, Concilio legitimo repræſentari vniuerſalem Eccleſiam: in Concilium nõ admittendos eſſe laicos, ſed ſacerdotes: qualeſcunque ÿ ſint, ſiue boni ſiue mali. ad Eccleſiam ſpectare, qui libri Canonici ſint, decernere; vti decreuit; præcipue de libris Baruch, & Machabeorum. Contra ea, quæ diſſerit Caluinus, cùm alÿs locis, tùm lib. pri. cap. 7. & lib. 4. cap. 4. & 8. Inſtitutio. fol. 101.

Sexta docetur, oportuiſſe, Eccleſiam Dei vnius tantum regimine gubernari. Petrum reli-

relictum fuiſſe principem aliorum Apoſtolorum: Papatum exercuiſſe, Papam conſtitutum fuiſſe, iis verbis. Super hanc petram. *Romam profectum, ibiq; Epiſcopum fuiſſe annis vigintiquinque, ibidemq; mortuum: & ideò ſucceſſorem ipſius in Primatu eum eſſe, qui Epiſcopus eſt Romæ. Aduerſus ea quæ Caluinus affirmat capitibus propè omnibus, 2. 6. 7. lib. 4. Inſtitutio. fol. 121.*

Septima, oſtenditur, hominem ante baptiſmum eſſe in peccato originali contracto ab Adâ, per propagationem. baptiſmo deleri peccata omnia, relinqui autem concupiſcentiam, quæ tamen peccatum non eſt, ſed ad peccatum propenſio. Aduerſus ea quæ Caluinus dicit lib. 4. Inſtitut. cap. 15. & lib 2. cap. 1. ſect. 2. fol. 154.

Octaua oſtenditur, adultum, qui continuò poſt baptiſmum, cauſſa baptiſmi, vel alia, ſit in gratia Dei, ſi habet concupiſcentiam (quam certè habet) habere etiam ſemper in ſe liberum arbitrium: Deum non prohibere, quominus eo vtatur, & neminem ad peccandum cogere: ſolo quidem libero arbitrio, abſque alio adiumento, innocentem permanere non poſſe; ſed ſi libero vtatur arbitrio, ſemper gratiam Dei affuturam, viresq; ad perſeuerandum daturam. concluditur autem, nos ipſos noſtri eſſe cauſam peccati. Contra oĩa quæ Caluinus diſſerit, 2. libro, principio ipſius, & totis ſex capitibus ſequentib. fol. 181.

Nona docetur, eum, qui peccatum mortale commiſerit, quamuis in fœdo, atque horribili ſtatu ſit, niſi moriatur prius, eximere tamen ſeſe ex eo periculo poſſe: id verò non fieri, ſine gratia, ac diuino auxilio. itaque adiutos gratia Dei, nonnihil præſtare per nos ipſos oportere: neque ſolam fidem ſatis eſſe, quamuis ea vera eſſet fides, nõ autem inanis fatuaq; Caluini fiducia; ſed quò iuſtificetur peccator, nonnulla opera eum addere fidei neceſſe eſſe, Contritionem, Confeſſionem, Satisfactionem. Contra ea, quæ Caluinus dicit toto ſecundo cap. lib. 3. Inſtit. fol. 206.

Decima probatur, Pœnitentiam verum eſſe Sacramentum, ab ipſo Chriſto inſtitutum; habereq; materiam & formam ſenſibilem. demonſtratur, Pœnitentiæ partes tres eſſe, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem. vera aperitur via, qua contritionem aſſequamur: & docetur Sacramentalem confeſſionem eſſe de iure diuino, eaq; vti nos oportere. Aduerſus Caluinum cap. 19. lib. 4. Inſtitut. ſect. 4. & paſſim toto cap. 4. tertij libri. fol. 232.

Undecima probatur, Satisfactionem eſſe neceſſariam. cum culpa ſimul non remitti ſemper totam pœnam. Satisfacere alium pro alio poſſe: ſacras Indulgentias eſſe ad ſatisfaciendum pro nobis aptiſſimas; quemadmodum earum firma & vera fundamenta ſine dubio poſita ſunt in ſcripturis ſacris; & eaſdem à Chriſti temporibus vſque ad noſtram ætatem ſemper in vſu fuiſſe. Contra Caluinum lib. Inſtitut. 3. à ſectione 25. quarti cap. vſque ad ſextam quinti. fol. 263.

Duodecima oſtenditur, quæ differentia ſit inter grauius peccatũ, quod mortale; & leuius, quod veniale vocant. Probatur Purgatorium extare: doceturq; quanta ſit ſuffragiorum virtus. Contra ea, quæ Caluinus dicit, cap. 5. lib. 3. Inſtitut. fol. 282.

Decimatertia probatur, Sanctos inuocari debere, non ſolùm viuos, ſed eos etiam qui in Cælo ſunt: & hæc omnia ex ſacris Scripturis haberi, expreſſaq; eſſe ab omnibus ſanctis Patribus, & in Dei Eccleſia perpetuo vſu recepta. Aduerſus Caluinum cap. 12. primi, & cap. 20. tertij libri Inſtitutio. fol. 310.

Deci-

Decimaquarta oſtenditur, quàm liceat ſacris imaginibus vti, in Eccleſia Dei, quàmq́, vtilis & vetuſta ſit earum traditio, & vſus. Aduerſus Caluinum cap. decimo primi libri Inſtitutio. fol. 338.

Decimaquinta docetur, in Sacramento altaris præſens re ipſa ineſſe corpus, & ſanguinem pretioſiſſimum Domini. Aduerſus ea præcipuè, quæ Oecolampadius dicit; & item contra Caluinum lib. 4. cap. 17. ſectio. 12. & ſequentibus. fol. 364.

Decimaſexta oſtenditur, cum corpore Chriſti in hoſtia, & cum ſanguine in calice conſecratis non remanere panem, aut vinum. neque dici poſſe, panem, aut vinum eſſe corpus, vel ſanguinem Chriſti; quamuis panis, & vinum conuerſa ſint in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti. Aduerſus Vuitcleffum & Lutherum. & contra ea quæ Caluinus tractat lib. 4. Inſtitut. cap. 17. ſectio. 14. fol. 396.

Decimaſeptima docetur, quàm verum, quàmq; neceſſarium ſit ſanctiſſimum altaris ſacrificium. oſtenditur, poſt figuras, & Prophetarum oracula, quæ ipſum ſignificabant, & prædicebant, à Chriſto demùm inſtitutum fuiſſe: & Chriſti exemplo, Apoſtolos ipſos, & vetuſtiores Patres miſſam celebraſſe. Contra Caluinum lib. 4. Inſtit. cap. 18. fol. 427.

Decima octaua, & vltima docetur, quot mala, detrimentaq́, ab hæreſibus inuehantur, quantopere ſancti omnes ab hæreticis ſemper abhorruerint. quanta cura, diligentiaq́, adhibenda ſit, vt dignoſcantur; & vbi dignoti ſint, qua ratione ſit ab eis cauendum.

CATA-

A

ALcuinus.
Alphonſus à Caſt.
Ambroſius.
Anacletus Papa.
Anſelmus.
Ariſtoteles.
Athanaſius.
Auguſtinus.

B

Baſilius.
Bernardus.

C

Card. Caietanus.
Caſſiodorus.
Cathechiſmus ad Paroch.
Ciprianus.
Cyrillus Alexandrinus.
Cyrillus Hieroſolymit.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Rom. Papa.
Cornelius Papa.
Concilium.
Concilium Auraſicanum.
Concilium Calcedonēſe.
Cōcilia Carraginēſia primū, ſecundū, & tertiū.
Conciliū Conſtantienſe.
Concilium Conſtantinop.
Concilium Epheſinum.
Concil. Florentinum.
Concil. Helibertinum.
Concilium Lateranenſe.
Concilium Mileuitanum.
Concilia Nicæna primū, & ſecundum.
Concil. Palæſtinum.
Concil. Romanum.
Concil. Toletanum.
Concil. Tridentinum.
Concil. Turonenſe.
Concil. Vercellenſe.
Concil. Viennenſe.

D

Damaſcenus.
Damaſus Papa.
Dionyſius Areopagita.
Dionyſius Corinthius.

E

Egiſippus.
Epiphanius.
Euſebius Cæſarienſis.
Encherius.
Eutichianus Papa.

F

Fabianus Papa.

G

Gabriel Biel.
Gaius.
Gelaſius Papa.
Gloſa ordinaria.
Gratianus Papa.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nyſenus.
Gregorius Papa.

H

Hieronymus.
Hilarius.
Hiſtoria Tripertita.

I

Ignatius.
Innocentius Papa.
Io. Chryſoſtomus.
Iræneus.
Iſidorus.
Iuſtinus.

L

Laurentius Valla.
Leo Papa.
Leontius.
Ludouicus Viues.

M

Marcellus Papa.

N

Nicephorus.

O

Oecumnius.
Optatus Mileuitanus.
Origenes.

P

Papias.
Platina.
Pontianus Papa.

R

Ruffenſis.
Ruffinus.
Rupertus Abbas.

S

Scotus.
Seneca.
Socrates.
Sozomenius,
Suidas.

T

Theophilactus.
Theleſphorus Papa.
Tertullianus.
Thomas.

V

Vincentius Lyrinenſis.

X

Xenophon.

Z

Zephirinus Papa.

INDEX LOCORVM SCRIPTVRAE SACRAE
non ſolum allati, ſed etiam explanati.

GEN. 4. Collocauit Dominus ante paradiſum voluptatis Cherubin, & flammeum gladiũ atq; verſatilem; ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. fol. 291.
Exod. 4. Non credent mihi, neq; audient vocẽ meã, ſed dicent non apparuit tibi Dominus. fo. 88.
Deut. 5. Non facies tibi ſculptile, neq; omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper. f. 352.
Deut. 30. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, nõ ſupra te eſt, neq; procul poſitũ. 186.
Pſal. 11. Saluum me fac Deus &c. vſq; in finem. 21.
Pſal. 18. In ſole poſuit Tabernaculum ſuum. 15.
Eccl. 2. Fili, peccaſti, ne adijcias iterũ, ſed de præteritis deprecare vt dimittantur tibi. 274.
Ezech. 18. Si egerit impius penitentiam, omniũ iniquitatũ ſuarum nou recordabitur. 270. 271.
Daniel. 2. Factus eſt mons magnus, ita vt impleret vniuerſam faciem terræ. 15.
Mat. 5. Non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. 15.
Mat. 12. Nou remittetur ei, neq; in hoc ſeculo, ueque in futuro. 298.
Mat. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. 130. 131.
Mat, 16. Quodcumq; ligaueris ſuper terram &c. 135.
Math. 16. Quodcumq; ſolueris ſuper terram &c. 129. in fin. & ſeq.
Mat. 18. Qui Eccleſiam nou audierit, ſit tanquam Etnicus, & publicanus. 85.
Mat. 18. Quæcunque alligaueritis &c. 137.
Mat. 21. Qui ceciderit ſuper lapidem iſtũ, cõfringetur, ſuper quẽ verò ceciderit cõteret eũ. 463.
Matth. 26. Hoc eſt corpus meum. 367.
Math. 26. Cum illud bibam nouum, in regno patris mei. 414.
Mar. 14. Manducantibus illis, accepit Ieſus panem. &c. 370.
Mar. 14. Cum illud bibam nouum in regno Dei. &c. 414.
Luc. 10. Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos. 469.
Luc. 18. Verumtamen filius hominis veniens putas inueniet fidem. 46.
Luc. 22. Et accepto pane gratias egit &c. 370.
Luc. 22. Ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei. 416.
Luc. 22. Et accepto calice gratias egit, & dixit, Accipite, & diuidite inter vos, non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. 416.
Luc 22. Deſiderio deſideraui, hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar. 416.
Io. 3. Quod natum eſt ex carne, caro eſt. 167.
Io. 4 In ſpiritu, & veritate opportet adorare. 355.
Io. 5. Erat autem Hieroſolymis probatica piſcina quinque poticus habens. 170. & 171.
Io. 6. Panis quẽ ego dabo caro mea eſt. Quomodo põt hic nobis carnẽ ſuã dare ad mãducandũ? (373.
Io. 11. Collegerunt Pontifices, & Phariſei concilium aduerſus Ieſum &c. 112.
Io. 13. Et cœna, facta ſurgit à cœna, & cœpit lauare pedes diſcipulorum. 412. & ſeq.
Io. 16. Ille vos docebit omnem veritatem. 82.
Io. 20. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. 238.
Act. 13. Miniſtrantibus autem illis domino. 453.
Roma. 5. Lex propter transgreſſionem poſita eſt. 188.
Rom. 5. Lex intrauit vt abondaret delictam. 188.
Primæ Cor. 3. Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum & argentũ, & lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit: dies enim domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit: ſi cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit; ſic tamen quaſi per ignem. 296.
Primæ Cor. 10. Petra autem erat Chriſtus. 377.
1. Cor. 11. Ego enim accepi à Domino, quod & tradi vobis &c. 371.
1. Cor. 12. Si dixerit auris, qm̃ nõ ſum oculus, nõ ſum de corpore: nunquid nõ eſt corpore? 103.
Phil. 2. In nomine Ieſu omne genu flectatur; cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. 294. in fi.
Coloſſ. 1. Gaudeo in paſſionibus meis pro vobis, & adimpleo quæ deſunt paſſionum Chriſti; pro corpore eius, quod eſt Eccleſiæ. 276.
1. Thim. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri. 217.
Heb. 6. Impoſſibile eſt eos, qui ſemel prolapſi ſunt, iterum per pœnitentiam renouari. 212.

A.

AARON, & Moyſes poſt culpam remiſſam pœna temporali ſatisfacere tenentur. 275.

Aaron pro alijs ſatisfecit. 279.

Adamus in naturalibus meris, mortẽ habuiſſet & concupiſcentiam. 159.

Adamus antequam peccaret tria dona habebat. 158.

Adamus antequam peccaret dona omnia pro ſe & pro poſteris obtinebat. 160.

Adamus quod pro ſe amittebat, etiam pro poſteris amittebat. 160.

Adamus poſtquam peccauit in tria mala incidit, bonis tribus oppoſita, quæ ante peccatum obtinebat. 163.

Adamus abſq; intimo ſtimulo peccauit. 163

Adamus et nos quomodo differamus. 164.

Adminiſtratio Sacramentorum & verbi prædicatio ex Caluini ſententia, veræ Eccleſiæ ſymbola. 19.

Adoratio Sanctorum à Caluino negata: & qua de cauſſa. 314. & 315.

Adoratio hominũ à Deo permiſſa. 316.

Adoratio Dei, & Sanctorum diuerſis modis. 319.

Adoratio Latriæ & Duliæ. 317.

Adorant ſimplices in fide Eccleſiæ. 318.

Adorare imagines quid ſit. 347. & ſeq.

Adoratio tribus modis. 342.

Adorando quibus modis errare poſſumus. 343.

Adoratio Gentiliũ et eorum errores. 347.

Adorationum numerus, ex obiectis. 342.

Adoratio imaginis, & rei imaginatæ, vna tantum. 341.

Aetius negat prodeſſe mortuis ſuffragia viuentium. 26.

Agnus Paſchalis figura Chriſti in Sacramento. 378.

Auguſtinus & eius ſcripta. 195. & 196.

Auguſtinus pro libero arbitrio aduerſus Pelagium. 196.

Auguſtinus à Caluino ſimulate ꝓbatus. 71.

Auxilia Dei contra hæreticos. 22.

Altare & ſacrificium perpetuam inuicem habent relationem. 450.

Altare & ſacrificium in lege Chriſti. 451.

Anabaptiſtæ Nouato deteriores. 211.

Anabaptiſtæ ſuperbiſſimi. 10.

Anabaptiſtæ à Caluino confutati. 11.

Anabaptiſtæ & eorum opiniones de Eccleſia. 7.

Angeli res mundi huius beatis patefaciũt. 333.

Anthiochus hæreticorum figura. 428.

Anthiochiæ Petrus Epiſcopus annis ſeptem. 149.

Applicatio ſanguinis Chriſti neceſſaria 170.

Apocalypſis à Caluino negata. 195.

Apoſtolis opus fuit perſeuerãtiæ gratia. 202

Apoſtolorum auctoritas in indulgentijs diſpenſandis. 279.

Apoſtoli tria habuerunt, ordinem, prædicationem, & gradum. 128.

Apoſtoli duo Symbola veræ Eccleſiæ agnoſcendæ dederunt. 30.

Apoſtoli templum extruxerunt in honorẽ Innocentium 338.

Apoſtoli pro cauſſa traditionum. 98.

Apoſtoli ſine ſcriptis diu docuerunt. 93.

Apoſtolos miſſam celebraſſe habetur in Actis. 454. & ſequen.

Aqua & ſanguis ex Chriſti latere. 173.

Aqua, quare ſenſibiliter in vinum conuerſa. 400.

Arbores duæ, Vitæ & mortis. 171.

Argumentum negatiuum ab auctoritate nõ valet. 119.

Ariſtocratia, Politia, & Regnum. 123.

Armeni Purgatorium negant. 26.
Arrogantia Caluini. 185. *&* 379.
Artificium Spiritus ſancti. 403.
Adeſſe Spiritum Sanctum vnicuiq. noſtrũ non eſt promiſſum. 85.
Adeſſe Chriſtum Eccleſiæ, promiſſum. 82.
Actus exteriores in adoratione Dei & Sanctorum communes. 319.
Actus exterior proprius in adoratione Dei. 319. *& ſeq.*
Actiones circa Euchareſtiam, appellantur Sacramentum. 390.
Actiones circa Euchareſtiam quid ſignificent. 390.
Auctoritas ligandi & ſoluendi à peccatis vbi à Chriſto data. 136.
Auctoritas ligandi & ſoluendi à cenſuris vbi data Apoſtolis. 137.
Auctoritas ligandi cenſuris vbi data vni Petro. 137.
Auctoritas ſoluendi à peccatis per accidens ligandi auctoritatẽ reſpicit & eſt ordini cõiuncta & par in quolibet Sacerdote. 136.
Auctoritas ligandi cenſuris, per accidens continet auctoritatem ſoluendi neq. coniuncta eſt ordini & maior eſt in Papa quàm in aliis. 135. *&* 136.
Auctoritates aduerſus præſentiam Chriſti in hoſtia quomodo tolluntur. 388.
Auctoritates pro libero arbitrio vnde habentur. 193.

B.

Babiloniam Petrus Romã appellauit. 147.
Baruc & eiuſdem liber canonicus. 335.
Baptiſmus, & de eo Caluini opinio. 174.
Baruc fuit Hieremiæ ſcriba. 119.
Baptiſmus culpam delet. 175.
Baptiſmus hæreticorum, quãdo prodeſt. 176.
Baptiſmus pœnam non tollit. 179.
Baptiſmo ineſt miſericordia et iuſticia. 179.
Baptiſmus nonnunquam dicitur pœnitentia. 212.
Beati, erunt vti angeli. 336.
Benedicere & gratias agere, cerimoniæ ſacrificantium. 422.
Beſa, & eius dicta neſaria. 52.
Blaſphemiæ Caluini. 183.
Biblia vulgari ſermone non omnibus permittenda. 481.

C.

Capharnaitæ & Oecolampadius in eodem errore. 372.
Caiphas quoniam Pontifex erat, prophetauit. 113.
Calamitates prouinciarum hæreticarũ. 460.
Calices duo, Legalis & Euangelicus. 422. *& ſeq.*
Calix primus, apud Lucam, an conſecratus fuerit. 421.
Caluinus, & eius errores in materia S. Petri. 121. *& Papæ* 158. *& humanæ naturæ*. 176. *& operum* 269. *et inuocationis Sanctorum*. 316. *& Symbolorũ Eccleſiæ*. 19. *& Trinitatis* 27. *& liberi arbitrii* 183. *& auctorum peccati* 183. *& diſtinctionis ſcripturarum* 116. *& vnionis Eccleſiæ* 7. *& diſtinctionis duarũ Eccleſiarum*. 12. *& quòd lex obſeruari non poſſit*. 185. *& fidei* 221. *& indulgentiarum* 278. *& operum ſupererogationis*. 271. *& perpetuitatis Eccleſiæ*. 45. *& peccati venialis* 283. *& baptiſmi*. 175. *& primatus Eccleſiæ* 144. *& iuſtificationis* 269. *& libri Baruc* 335. *& auctoritatum quib. probatur originale peccatum* 167. *& ſatisfactionis*. 277. *& quòd Petrus Romæ fuerit* 146. *& Viſibilem eſſe Eccleſiam* 14. *& in Chriſti nomine congregari*. 110. *& Conciliorũ*. 108. *& Traditionum*. 92. *& libri Eccleſiaſtici* 193. *& Machabæorum* 335. *& ſuffragiorũ*. 300. *& Purgatorii* 289. *& Scripturarum* 117. *& Apocalypſis*. 295. *& imaginum* 341. *& Euchariſtiæ*. 383. *& Miſſæ*. 428.
Caluinus et eiuſdẽ mores 28. *indoctus* 345.
gen-

gentilis potius, quàm Chriſtianus 346. ſemper extremis adhærens. 270. contumelioſus aduerſus antiquos Patres. 308. cum neſcit quid reſpondeat auctores negat 193. in ſcriptis ſuis obſcurus. 29. in diſtinctionibus confuſus. 13. a rebus claris, & certis auerſus 78. ſemper propoſitiones imperfectas & mancas afferens. 314. impius in Sanctos. 332. in afferendis ſcripturæ locis Diabolum imitatur. 327. inconſtans 102. popularis auræ captator. 174. & 175. ingratus 174. circulator 21. meticuloſus. 29. ad ſcripturam appellat & continuo refugit. 126. et 129. arrogans 109. vbi propoſitiones negare non poteſt contra propoſitiones blaſphemat 166. cum rationes deſunt ad cõuitia confugit 69. ſimulat ſe Auguſtino credere 71. Pauli locum mancum adducit 327. Auguſtini iudicio abhominabilis 199. Baſilij, inſanus. 199. Pauli locum adulterat. 189. voluntati ſemper adimit, intellectum ditat 174. incertum per incertius docet 20. Auguſtini iudicio hæreticus. 196. falſa Concilia affert 324. eorum ſenſum deprauat 324. temerarius. 131. Græcam linguam ignorat 317.

Caluinus omnes hæreticorum vetuſtorum ſectas amplectitur. 26. eſt Maſſilianiſta, 26. Manichæiſta 26. Iouinianiſta 26. Iconoclaſta 26. Vuitcleſo deterior. 284. cum Simone mago conſentiens 26. Pelagianus 26. Paulo Samoſateno adhærens. 27. Arrianæ hæreſis ſuſpectus. 27. cum Vigilantio concors 26. ab Eraſmo multa accipit 167. à Neſtorio non diſſentit 26. neque à Porphirio. 26. Montaniſta eſt. 78. & Anabaptiſta 76. & Armenus. 26. & Cattarus. 26. & Donatiſta 26. & Seleucianiſta 26. & cum Aetio conſentit 26. itemq. cum Berengario. 26.

Caluinus & eiuſdem maledicta in S. Petrũ 139. in Papam 138. in Romam. in Sacerdotes 108. in S. Gregorium. 349. in Scholaſticos 345. in omnes Chriſtianos. 346. in S. Auguſtinum & S. Monicam 308. in S. Paulum. 314. in principes. 75. in Sanctos patres, quos falſos Chriſti diſcipulos appellat. 195. & eos deridet. 308. & erraſſe omnes affirmat. 308. & alijs modis conuitiatur & iniuria afficit. 71. & 72.

Caluinus ſibimet apertiſſime aduerſatur, & contradicit. 14. & 33. & 48. & 76. & 82. & 94. & 176. & 222. & 330.

Caluinus. & Veritates illæ, quas vel coactus vel imprudens fatetur: nempe Anabaptiſtas errare. 211. omnes vetuſtos Patres ipſi aduerſari. 190. ab annis trecentis poſt Chriſtum, veram eſſe Eccleſiã quam nos aſſerimus 48. Veram Eccleſiã eſſe Romanam 143. Petrum eſſe Apoſtolorum principem. 139. non valere conſequentiam à tempore ante aduentũ Chriſti ad tempus poſt eius aduentum. 353.

Caluinus Bernardinum Ocellum excommunicat, & igni comburendum tradit Michaelem Seruetum, quo tempore excommunicationis in nobis improbat & in ſanctam Inquiſitionem inuehitur. 24.

Caluiniſtæ fatentur ſe eſſe Chriſtianos, ſed dicere non audent ſe eſſe Catholicos. 59.

Caluiniſtæ ſeipſos deſtruunt. 56.

Caluiniſtæ qua mente, quo animo. 55.

Calumnioſe quæ nobis opponuntur in materia ſanguinis Chriſti. 169.

Caput repræſentat corpus. 103.

Caput viſibile neceſſarium Eccleſiæ. 35.

Caput Eccleſiæ tres habet primatus. 133. in fin. & 134.

Catholicus quid ſignificet. 56. & 57.

Catholici, piſcatores hominum. 63.

Catholicus, nomen Eccleſiæ proprium. 56.

Catholici ſemper medijs hærentes. 270.

Catholicus, Gentilis, & hæreticus quomodo inter ſe differant. 99.

Cæna Chriſti ſemper narrata literaliter. 367. & ſeq.
Cænæ duæ à Chriſto factæ. 410. & 411.
Cerimoniæ miſſæ. 455. & ſequent.
Claues Teſauri S. Eccleſiæ. 276.
Chriſtus fundamentũ Eccleſiæ 133. Verbũ ſuum nunquam ſcripſit. 95. omnia explicite non docuit. 94. & 97. commendauit matrẽ Ioanni & ſponſam Petro. 124. Locutus eſt cum Nicodemo de peccato originali 167. primum medium ad Patrẽ 326. promiſſa eius quã certa. 45. docuit quibus modis ſanguinem ſuum nobis applicaremus 171. & ſeq. plura docuit quæ ſcripta non ſunt. 96. & 97. nomina ſua alijs communicauit 133. ſolus mediator, & quomodo 326. & 327. multa operatus eſt quæ non ſunt ſcripta. 96. & 97. quamuis omnia docuiſſet, adhuc tamẽ traditiones eſſent neceſſariæ. 97. & ſequent. quam aperte locutus eſt de materia Euchariſtiæ 367. prius Deo corpus ſuum obtulit quàm illud Apoſtolis communicaret. 449. edit ipſe etiam & bibit in Euãgelica cæna 424. quo tempore pedes Apoſtolorum lauit 412. & ſequ.
Cælum, nihil inquinatum recipit. 287.
Circunciſio ab Abrahamo vſque ad Moyſem per traditionem obſeruata eſt. 91.
Cognitio ſui ipſius, quàm laudabilis. 155.
Commertium hæreticorum vbi vitari non poteſt, quid agendum. 477.
Conciliabulum Conſtantinopolitanum. 357.
Concilia laicos, tametſi eruditos non admittunt. 105.
Concilia in materia fidei nunquam interſe diſcordant. 111. in fi.
Concilia in materia morum varia 112.
Concilij decreta emanant à Chriſto cũ à Papa eius Vicario emanant 111.
Concilia erronea nunquam à Papa confirmata ſunt 112.
Concilium in vniuerſa Eccleſia diſponit 104.
Concilium debet à Papa confirmari. 114.
Concilium legitimum eſt verbũ Dei. 114.
Concilium à Papa confirmatum errare non poteſt. 112.
Concilium Apoſtolorum, aliorum Conciliorum norma. 107.
Concilium Caiphæ à Caluino adductum, contra ipſum eſt 112. & ſeq.
Concilium Cartiginienſe à Caluino male allatum. 324.
Concilium Elibertinum declaratum 358.
Concupiſcentia, ob pœnam relinquitur, ſed non eſt peccatum 180.
Concupiſcentia quomodo à Paulo peccatum appellatur 180.
Concupiſcentia, naturæ cõditio. 165. et 166.
Concupiſcentia ad peccandum allicit, non cogit. 180.
Confeſſio Auguſtana ter immutata. 37.
Confidentia fidei filia. 223.
Congregari in Chriſti nomine, quid ſignificet. 111.
Contractus inter Chriſtũ & Eccleſiam. 58.
Conuerſio corporis Chriſti, in Euchareſtia, quare inſenſibilis. 399.
Corpus Chriſti quare relictum nobis 400.
Corpus Chriſti in hoſtia eſt ſui ipſius ſignũ. 389. & ſequent.
Corpus Chriſti locum non occupans. 380.
Corpus eſſe, neq; locum occupare non repugnat. 379.
Crux Conſtantino oſtenſa. 360. in fi. et ſeq.
Cultus Dei tres ſpeties. 312.
Cultus Dei, nemini alij adhibendus eodem modo. 315.

D.

Dauid præter gratiam iuſtificantem habuit præterea gratiam perſeuerantiæ. 202.
Dauid poſt remiſſam ei culpam, temporalem pœnam perſoluit. 253.
Decreta in Chriſti nomine illa ſunt, quæ Papa confirmauit. 111.
Deiparæ nomen quãdo docuit Eccleſia. 119.

Deſi-

Deſiderij ſpecies duæ. 419.

Dictum hæretici in beatam Virginem. 332.

Dictum facetum Saxoniæ Ducis. 37.

Dicta impia Lutheri. 52. & 220.

Dicta nefaria Beſæ. 52.

Diabolum imitatur Caluinus 327. *in fin.* & *ſeq.*

Differentia inter Adamum & nos 164.

Differentia inter Gentilem & Catholicum, & hæreticum. 99.

Deus quomodo dicatur agere aliquid in peccato. 201.

Deum immediate attingunt Virtutes Theologicæ 223.

Deus non eſt peccati auctor. 198.

Deus quare nolit omnia agere per ſe. 204.

Deus quantum Romanam Eccleſiam diligat 53.

Deus quare hæreſes permittit. 482.

Deus in iuſtificatione pœnam temporalem retinet. 268.

Deus duabus tantum potentijs attingitur, intellectu & voluntate. 224.

Deus loquitur in ſcripturis & in Eccl. 117.

Diſpenſationes Indulgentiarum. 279.

Diuiſio orbis terrarũ in partes quinque. 64.

Dogmata quæ vtiliora ſint in Theolog. 154.

Domus Petri Eccleſiæ figura 6.

Domus Raab Eccleſiæ figura 6.

Donum originalis iuſticiæ. 159. & 160.

Donec interdum ſignificat nunquam 415.

Dos Chriſti in Eccleſiam. 57.

Dux Saxoniæ & dictum eius. 37.

Dulia & Latria quid ſint. 317.

E.

Eccleſia quid ſignificet. 6. *quæ ſit Chriſti* 6. *Romana vera eſt* 35. *ſemper viſibilis* 15 *columna veritatis* 81. *appellata regnum* 123. *fere per totum orbem terrarum* 64. *reſpublica præſtantiſſima* 123. *habet certiſſima ſymbola* 19. *Sancta* 41. *oẽs habens vnitates.* 31. & *caput viſibile.* 35. *vna tantum.* 5. *non interrupta.* 16. *Vniuerſalis* 57. *ſemper cum verbo vnita* 86. *continet peccatores.* 8. *non continet infideles* 8. *continet etiam præſcitos* 9. *decernit qui libri ſint Canonici.* 115. *ipſa & ſcriptura ſe inuicẽ declarant.* 117. *Chriſto vnita* 79. *errare non poteſt* 78. *quas vnitates habeat.* 31. *ſola hæreticos cõuertit.* 62. *plures habet filios quàm Synagoga* 67. *cum viſibili capite* 124. *Supra firmiſſimam petram fundata.* 80. *quibus ſymbolis dignoſcitur.* 30. *quantas oppugnationes ſuſtinuit.* 50. *hiſce temporibus latiſſime diffuſa* 61. *teſaurus ipſius* 275. *triumphans & militans* 8.

Epiſcopi congregati à Papa, congregati ſunt in Chriſti nomine. 111. *Diſpenſatores Indulgentiarum* 279. *à Petro ordinati* 134. *Epiſcopus vniuerſalis eſt Papa* 150. *Epiſcopus Romæ, & ſucceſſor Petri.* 144. & 145.

Eccleſiaſticus liber à Caluino negatus. 193

Eccleſiaſticus liber ab Auguſtino citatus pro libero arbitrio 193.

Eleemoſinis quomodo redimantur peccata. 274.

Eligere nõ põt qui caret libero arbitrio. 191.

Eloquentiam non affectant Prædicatores catholici. 4.

Emblema quid ſit. 236.

Epitecta Papæ. 139.

Eraſmum Caluinus imitatur. 167.

Error Origeni adſcriptus. 210.

Errores vitandi in adoratione. 343.

Exempla à Caluino allata eidem aduerſantur. 112.

Exemplum quo omnis de homine doctrina oſtenditur 161.

Exequiarũ noſtrarum vſus antiquus. 307. & *ſeq.*

Eſſentia Dei ſpeculum voluntarium. 333.

Eſſentia Dei res noſtras Sanctis repræſentat. 333.

Explicatio Scripturæ ad Eccleſiam pertinet 117. *& ſequen.*
Etnici qui peccata confitebantur. 248.
Euangeliſtæ, nonnunquam ſeriem facti non obſeruant. 425.
Euangelici modo aiunt, modo negant, ſe omnes eſſe vnius Eccleſiæ 23. *& ſeq. &* 32.
Euangelici ſimiles gigantibus Babelis. 37. *in fin. &* 38.
Euangeliſtæ quare interdum varij. 371.
Euangeliſtæ vbi varij ſunt, vnde ordo ſumēdus. 425.
Euchariſtiæ materia explicatu difficilis. 364
Euchariſtia præter gratiam continet præterea gratiæ auctorem 388. *& ſeq.*
Euchariſtia ſignum eſt, ſed rei præſentis. 389 *&* 391.
Euchariſtia tribus modis ſacramentum eſt. 390.
Euchariſtia quare panis appellatur. 406.
Euchariſtia pluribus modis eſt ſignum. 389. *&* 391.
Euchariſtia & eius conuerſio, quare inſenſibilis. 399.

F.

Fides Theologica quid ſit. 223.
Fides & verbum Dei inter ſe relata. 222.
Fides quæ iuſtificat eſt Theologica. 222.
Fides Caluini potius ſpes eſt, quā fides. 223.
Fides mater eſt fiduciæ 223.
Fides non eſt fiducia. ne quidem ex Caluini ſententia. 222.
Fidem à fiducia differre docet Chriſtus 225.
Fides vera, Eccleſiæ vinculum. 6.
Fides deſijt, vbi opera deſierunt. 21.
Fides quomodo à Caluino & quomodo à Paullo definitur. 221. *&* 223.
Fidem quare hæretici tātopere extollūt. 220.
Fides ſola non iuſtificat, ſed fides cum pœnitentia coniuncta 228. *&* 229.
Fides noſtra dēt eſſe de rebus difficilibus. 400
Firmitas Eccleſiæ. 52. *&* 53.
Fiducia Caluini in phariſeo figurata. 227.
Fiducia Caluini in quo differat à noſtra fide. 227.
Fiducia non iuſtificat. 227.
Filius prodigus, pœnitentis typus. 242.
Figuræ confeſſionis Sacramentalis. 253.
Figuris vtendum non erat in inſtitutione Euchareſtiæ. 381.
Fomes non eſt culpa, ſed pœna. 180.
Fomes qua ratione à Paullo peccatum appelletur. 180.
Fomitem baptiſmus non tollit. 180.
Formā pœnitentiæ. 241. *& ſequen.*
Formalitas peccati. 463.
Franciſcus Chriſti effigies.
Fructus pœnitentiæ, qui ſint. 274.
Fundamenta indulgentiarum. 278.
Fundamenta Purgatorij. 287. *in fi. et ſeq.*
Fundamentū Conciliorum. 111.

G.

Gallia quare in hæreſes delapſa. 21.
Geneuenſes inter ſe diſcordes. 37.
Gentilis Catholicus & hæreticus quomodo differant 99.
Gentiles in adoratione errarunt. 344.
Genuflectere quid ſignificet. 295.
Gigantes Babellis figura Euāgelicorum. 38.
Gladius flammeus ante paradiſi portā. 291.
Gloriam mereri poſſumus. 264.
Gubernatio vnius, cæteris gubernationibus præſtantior. 122.
Gratia Dei allicit, non cogit. 217.
Gratia perſeuerantiæ quàm neceſſaria. 202. *& ſeq.*
Gratia & liberū arbitrium quomodo ſimul coniuncta. 204.
Gratia ſemper in Sacramentis ſignata. 236.
Gratia præueniens omnibus datur. 215. *&* 216.
Gratia præueniens et iuſtificās diuerſa. 215.
Gratia præueniens quàm neceſſaria. 214.
Gratia quare ſub rebus ſenſibilibus datur. 237.
Gratiam primā mereri non poſſumus. 264.

Gratia

Gratia præueniens, cooperans, & iuſtificans. 213. ad fi. & ſeq.
Gregorius hiſtoriã Sozomeni nõ probat. 261
Gregorius ob animi demiſſionem, titulũ Vniuerſalis recuſat. 151.
Gregorius ſeruum ſeruorũ ſe appellat. 151.
Gregorius à Caluino probris & conuitijs affectus. 349.

H.

Hæreſis ab Eccleſia excludit 463. omnibus vitijs deterior 462. mores, familias, regna deſtruit. 466.
Hæreſes & eorum detrimenta 462. eorum ſigna 469. in Gallia quomodo ortæ, & auctæ. 21. & ſeq.
Hæretici & eorum mores 470. quomodo dignoſcuntur 469. eorum nomina 468. alterius ſectæ hæreticos igne comburũt 477 eorum conſilia 220. qua ratione conuincuntur 70. non audent ſe Catholicos appellare 59. oẽs Papæ inimici 138. quare Catholicos concionatores inſectantur. 3. Lucis inimici. 17. iter ad Cælum facile eſſe affirmãt 220. Simonis Magi filij. 138. qui traditiones negant, & eiſdem neceſſariò vtuntur. 100. Latrones, non piſcatores 63. ſemper laicis adulãtur. 105 ſuſpecti ſunt eis Itali 72. Sanctorum hoſtes 333. Idololatræ ab eis appellantur. 311. Scholaſticorum inimici 345. quãtum inuicem diſſideant. 38. quare lupi appellãtur 469. ab Anthioco figurati 428. quibus locis non tolerantur quales in eos eſſe debemus. 474. & ſequen.
Hieroſolymis quare non prima Sedes. 143.
Hiſtoria Suſannæ noſtris temporibus accõmodata. 339.
Hiſtoria Nectarij explicata. 260.
Hoſtiæ particula quare in calicem demittitur. 441.
Homo & eiuſdem ſtructura. 158.
Homines Dei permiſſu adorati. 316.
Homines qui abſentium facta nouerũt. 332.
Homouſion verbo quando vti cæpit Eccleſia. 119.

I.

Idololatriæ ſpeties tres quæ nobis obijciuntur. 312.
Ignis purgatorius 291. & 292.
Imago, & id quod imagine repræſentatur vnica adoratione adorantur. 341.
Imago Chriſti ab eodẽ miſſa Abagaro 362.
Imago Chriſti Cæſareæ admirabilis. 362.
Imaginum quamuis abuſus eſſe aliquis poſſit non tamen illæ tollendæ ſunt. 350.
Imagines natura docuit. 351.
Imagines an teſtamẽto ueteri prohibitæ. 352.
Imagines, & earum vetuſtus vſus. 361. in fin. & ſeq.
Imagines & earum vtilitas 348.
Imagines per ſe non neceſſariæ. 348.
Imagines Deus fieri iuſſit. 353.
Imago Chriſti à Luca depicta. 362.
Imitari qua ratione Deum poſſumus. 313.
Imitatio magnus eſt Dei cultus. 313.
Imitari & Sanctos & Deum quàm diuerſum. 315.
Imperium à Summis Pontificibus translatum. 152.
Impoſſibile nonnunquam accipitur pro difficili. 212.
Indulgentiæ viuis & mortuis 303. earum vetuſtas. 280. quid ſint. 278. impetrabantur à martyribus deſignatis. 281. olim appellabantur remiſſiones. 280. à quibus diſpenſabantur. 280.
Inimici Papæ, inimici Dei. 138.
Infinita Dei capacitas. 322.
Inquiſitores quanto honore afficiendi. 484.
Inquiſitio etiam in ſcripturis laudata. 484.
Interceſſio Sanctorum defunctorum in ſcripturis. 335. Chriſti & Sanctorum quomodo differant. 328.
Interpretes ſacræ ſcripturæ quare varij 371
Inuocatio Sanctorum qua ratione 323. earum vetuſtiſſimus vſus. 337.

Iob

Iob ante Moyſem 152. *Exemplum operum ſupererogationis*. 273.

Itali hæreticis ſuſpecti. 72.

Iuriſdictio & magiſterium coniuncta. 67. *ob malitiam non amittitur*. 109.

Iuſtificationis materia quàm grauis. 208. *iuſtificatio ex miſericordia & iuſticia Dei* 267. *exemplis declarata*. 217.

Iuſticia ſemper cum miſericordia. 267. *iuſtitia originalis quid operabatur* 158. *iuſticia non eſt Eccleſiæ vinculum*. 11.

L.

Laici nunquã in Concilium admiſſi. 106.

Latria & Dulia quid ſint. 317.

Lex & eius poſſibilitas. 190. *eiuſdem facilitas* 186. *non datur niſi optionem habẽti* 183. *lex vetus & noua non ſunt inuicẽ contrariæ*. 430. *Lex & ſacerdotium & inter ea proportio*. 430.

Liberum arbitrium qui negat pecudem eſſe cõuincitur. 197. *adiuuatur à Gratia* 203 *nonnunquam Deo reſiſtit*. 217. *illud qui negat Deum peccati auctorem facit* 198 *auctoritates de libero arbitrio* 193. *liberum arbitrium non excitaretur ſine gratiæ adiumento*. 214. *liberum arbitrium cauſſam eſſe quare peccemus, vel peccato abſtineamus*. 205. *liberum arbitrium ad iuſtificationem neceſſarium*. 128. *libero arbitrio ſolo non poſſumus concupiſcentiæ reſiſtere*. 201. *liberum arbitrium remanet etiam poſt peccatum* 213.

Libertas vel potius licentia hæreticorũ 140.

Libri Machabeorum Canonici. 305. *et* 335

Libri hæreticorum comburendi. 476.

Libri Canonici qui ſint ad Eccleſiam ſpectat decernere. 115.

Lutherus aſſerit facilia tantummodo docenda. 398. *Lutherus & eius dictum ſceleſtum*. 52.

Lutherus ſibi contrarius, 401. *in fi. eiuſdẽ de Euchareſtia opinio*. 402. *nonnunquam Purgatorium fatetur*. 300.

M.

Machabei, & eorum libri Canonici. 305. & 335.

Magdalena quomodo duas obtinet remiſſiones. 275.

Magiſterium & iuriſdictio coniuncta. 67.

Mala naturalia quomodo ſint pœna. 65.

Malitia iuriſdictionem non aufert. 109.

Maria Virgo priuilegiata 160. *pœnæ loco non paſſa eſt mortem* 165. *opera ſupererogationis fecit*. 274.

Martyres deſignati 281.

Materia ſenſibilis in Sacramentis. 241.

Materia Sacramentorum quandoque ſunt actiones. 242.

Mediator duobus modis. 327. & 28. *Sancti quomodo mediatores ſint*. 328.

Melchiſedech & eius ſacrificium. 443.

Melchiſedech & Chriſtus ſimiles. 443. & *ſequ.*

Merita ſupererogationis fieri nõ poſsũt 271

Miſſa & de ea prophetiæ. 447. *eiuſdẽ vetuſtas*. 454. *eiuſdem figuræ*. 445. *et ſeq.* & *cerimoniæ*. 455. & *ſeq. ſola miſſa ex opere operato mortuis ꝓdeſt* 440. *et* 441.

Media quibus Chriſti ſanguinem nobis applicemus. 171.

Michael Seruetus à Caluino pœna ignis damnatus. 24.

Miraculum panis & piſcium indulgentijs applicatur. 227.

Miſeria hominum. 164.

Miſericordia & iuſticia Dei cõiunctæ 266. & 267.

Mors naturæ conditio. 165.

Mortui ab inferis excitati. 96.

Moyſes quare obſcure locutus eſt. 291.

Mereri non poſſumus pro alio. 301.

Multi accipitur pro omnes 216.

N.

Naturam humanã infamat Caluinus. 176.

Natura ipſa imagines nos docet. 351.

Nauicula Petri Eccleſiæ figura. 50.

Nectarius

Nectarius & eius hiſtoria. 260.
Nomina Chriſti alijs communicata. 133.
Nouatus & eius opinio. 211.

O.

Oblatio, ſacrificium, & ſacra res differunt. 434.
Oculi Eccleſiæ ſunt prælati. 104.
Ocellus à Caluino excommunicatus. 24.
Opera facta in gratia ſunt meritoria, & ſatisfactoria. 280.
Opera ſupererogationis 272. ad quid proſint. 274.
Opera alterius alteri proſunt. 278.
Opera Caluinus deteſtatur. 269.
Opera pœnalia pro tẽporalibus pœnis. 273.
Operum alia iuſtificant alia glorificãt. 128.
Opera pœnitentiæ iuſtificationem non merẽtur ſed ad eam diſponunt 265.
Operum tria genera. 265.
Oratione vocali hæretici vtuntur 322. & 323.
Orationes Eccleſiæ terminum habẽt in Deo. 325.
Origenes, & ex nonnullorum ſententia eiuſdem error 210.
Orbis terrarũ in partes quinque diuiſus. 64.

P.

Patrum auctoritates Pontificum Romanorũ ſucceſſionem extollentes. 70. & 74.
Patres vetuſti à Caluino conuitijs lacerati. 131.
Panis & vinum quare ſuper mortuorum ſepulchris. 304.
Panis omne quod comedi põt ſignificat. 406.
Panis Cathecumenorum. 378. in fi. et ſeq.
Panis & piſces applicati indulgentijs. 277.
Papa & eius epicteta 139. dat indulgentiã etiam defunctis. 304. quamuis malus nõ deſinit eſſe Papa. 109. & 114. Epiſcopos creat. 152. ipſe Epiſcopus Romæ, & Orbis Pontifex. 150. tranſtulit imperiũ. 152. habet tres primatus 150. Teſaurũ Eccleſiæ diſpenſat 278. duobus modis cõſideratur. 127. Concilia confirmat. 111. odio habetur ab hæreticis. 138.
Papatum Petrus exercuit. 126.
Paſcha à Chriſto deſideratum, quale 417.
Paſſio Chriſti meritoria et ſatisfactoria. 271 quomodo à Paullo adimpleta. 276.
Paſtor vniuerſalis Petrus. 134.
Paullus quo tempore Petrum vidit Hieroſolymis. 150. quomodo Petrum reprehendit. 127.
Peccare quomodo poſſit qui volũtatis vſum non habet. 166.
Peccata mortalia & venialia. 284. peccata non voluntaria, non ſunt peccata. 200. peccata permiſſa à Deo ſed nõ commiſſa. 201. peccatum Adami 163. peccatum & eius formalitas. 463. peccatum quod in futuro ſæculo remittitur. 298. peccatũ originale, & eius pœna. 162. peccatum ſine ſanguine non abluitur. 170. peccatũ originale & actuale. 166. peccatũ Veniale Purgatorij fundamentum. 289. de peccato originali auctoritates Patrũ 167. Adami peccatum noſtro grauius. 163.
Peccator mortalis quo in ſtatu ſit. 209.
Peccator dum viuit ſemper ſperare veniam poteſt. 211. peccatores, & mali homines ſunt in Eccleſia Dei. 9. & 10.
Pœna tẽporalis in iuſtificatione retẽta. 269. Pœna damni & ſenſus 209. Pœnæ inferni æternæ 210.
Pœnitens, in filio prodigo figuratus. 242.
Pœnitentia iudicium quoddam eſt. 242. Secunda naufragij tabula eſt. 233. eiuſdem materia & forma ſenſibilis 241. eiuſdẽ laudes. 232. Sacramentum eſt tres habẽs partes 242. quo loco à Chriſto inſtituta. 238. quandoque baptiſmum ſignificat. 212. Pœnitentia actu, & virtute. 244.
Perſecutiones Eccleſia pertulit & ſuperauit. 51.
Petra de qua Chriſtus loquebatur Petrum ſignificat. 130.

Petrum

Petrum Caluinus conuitiatur. 139. Petrus primatum habet iuriſdictionis. 134. tres primatus habuit. 134. eiuſdem priuilegia 126. & 127. plures Epiſcopos ordinauit 134. in Cathedrali Hieroſolymorum Ecclesias primus ſententiam dixit. 127. à Paullo reprehenditur. 127. munera Papæ exercet 126. qua ratione æqualis alijs & item maior. 127. præ modeſtia ſe alijs Epiſcopis coæquat. 127. ſedem ex Anthiochia Romam tranſtulit. 144. Romã anno Claudij ſecundo venit. 147. et 149. à Claudio Roma expulſus. 150. quæ ſingulis à Chriſto dicta fuerant eidem ſoli Petro iterantur. 137. Antiochiæ Epiſcopus annis ſeptem. 149. Romam venit & ibi mortuus eſt. 147. poſt Chriſtum annis vixit trigintaſeptem. 149. Vigintiquinque annis fiát Romæ Epiſcopus 149. Romam venit anno vndecimo & menſibus ſex poſt Chriſti mortem. 149.
Piſcina probatica figura ſanguinis Chriſti. 170.
Portæ inferi quid ſint. 46.
Prædicatores Catholici eloquentiam nõ affectant. 4.
Prædicationes proſunt poſtquam ex multo tempore factæ ſunt. 458. & ſeq.
Prælati, Eccleſiæ oculi ſunt. 24.
Præſciti vna cum fidelibus ſunt in Eccl. 9.
Primatus in Eccl. poſt Petrũ manet. 140.
Principes in periculo verſantur vbi hæretici vigent. 465.
Prophetiæ de miſſa. 447. & ſeq.
Promiſſiones à Deo factæ Eccleſiæ. 45.
Promiſſiones Chriſti quàm certe. 44. dignitati factæ ſunt non perſonæ. 109.
Purgatorio igni qui purgãtur in gratia ſunt. 303.
Purgare vox eſt à qua ſcripturæ non abhorrent. 292.
Purgatorum & eius fundamenta. 291. & ſeq. Purgatorium in ſcripturis 290. niſi eſſet purgatorium Deus non eſſet Deus. 288. quando à Deo ædificatum Purgatorium 291. carcer appellatur. 298. Purgatorio nobis Chriſti ſanguinem applicamus. 289.

Q.

Qualitates naturales Caluini. 20.
Quæ hæretici credant ſine ſcriptura. 99. & 100.
Quæ Chriſtus operatus eſt neque ſcripta ſunt. 96.

R.

Raab & eius domus. 6.
Regula qua legitima Concilia dignoſci poſſunt. 110. & 111.
Regula, qua dignoſcitur an ſcriptura ſit ad literam intelligenda 368. & 369.
Regnum Dei vbi Chriſtus ſe eſurum dixit. 415.
Regnum nomen Eccleſiæ. 123.
Religio principes ſecuros reddit. 465.
Remedia aduerſus hæreticorũ dolos. 472.
Remiſſiones olim appellabantur indulgentiæ. 280.
Roma merito ſedes Papæ 143. & ſeq. Romæ priuilegia. 74. Roma à Petro Babylonia appellatur 146. & 147. Roma Petrũ habuit Epiſcopum annis vigintiquinque, & dimidio. 149.

S.

Sacerdotes ſoli in Concilijs iuriſdictionẽ habent. 105. & ſequ. ſoli habent magiſterium Eccleſiaſticum. 106.
Sacerdotiũ & eius cũ lege proportio. 430.
Sacramentarij diabolo magis hæretici 379. quam inter ſe diſcordes & varij. 38.
Sacramenta omnia, ſunt ſigna. 388. Sacramenta cũ materia & forma ſenſibili 235. & 237. Sacramenta ſignificant, cõtinẽt, & operãtur 236. Sacramenta à Chriſto inſtituta, & quare. 238. ſunt ſigna efficacia 235. materia aliquorum Sacramentorum ſunt actiones. 241. Sacramentum multis

multis modis accipitur. 389. & ſeq.
Sacrificia legalia, grata, et nõ grata. 432.
Sacrificia ijs proſunt pro quibus offeruntur. 279. ſemper in vſu fuerunt. 429. Sacrificia crucis, & altaris in hircis duobus. 446. Hebræorum ſacrificia in noſtro continentur. 431. Sacrificium, oblatio, et ſacra res, inter ſe diuerſa 434. Sacrificium quid ſit proprie 434. Sacrificium Crucis, & altaris quomodo differant. 438.
Sacrificium incruentum quare inſtitutũ 437 et ſeq. Sacrificij & altaris perpetua relatio 441. Sacrificium non Sanctis ſed Deo ſoli offertur. 319.
Saluatores plures in ſcripturis. 328.
Sanguis Chriſti niſi applicetur non prodeſt: 170. Satisfecit ſufficienter, ſed non efficaciter pro omnib. 170. Sanguis & aqua è Chriſti latere 173. Sanguis Chriſti quinque hominum generibus vtile. 171. Sanguis Sanctorum quomodo dicatur pro nobis effuſus. 226.
Sãcta qua ratione dicatur Eccleſia 42. et 43
Sancti nunquam mortui. 331. quomodo à nobis inuocantur. 329. quomodo cognoſcant quæ apud nos fiunt 332.
Sãcta Sindõ in vrbe Taurin. mirabilis 362.
Sanctificatio actiue & paſſiue. 240.
Satisfactio poſt culpæ remiſſionẽ. 274. Purgatorij fundamentum. 290. Satisfactio Chriſti ſuperabundans 274. Satisfieri poteſt trib. modis 278. & ſequen.
Scholaſtici hæreticis inuiſi. 321.
Scriptura ſacra nonnunquam res appellat, vt olim fuerunt, non vt ſunt. 406. quãdo figurate debet intelligi. 368. declaratur circumſtantijs. 376. Scriptura & Eccleſia inuicem ſe oſtendunt. 117. Scripturis credimus propter traditiones. 100.
Sedes Apoſtolica Roma. 143. & ſeq.
Signa ſenſibilia ſemper in Sacramentis 237.
Signa vera Eccl. dignoſcẽde certiſſima. 30.
Signorum tria genera 236.
Signa quibus hæretici dignoſcuntur. 469.
Simplices homines adorant in intentione Eccleſiæ: 318.
Serpens ænea quare ab Ezechia ablata 353.
Sectæ hæreticorum, & earum tituli. 77.
Symbolum Nicænum hæreticorũ frænũ. 31.
Synagoga minor quam Eccleſia: 67.
Sozomenum Gregorius reprobat. 261.
Spiritus ſanctus adeſt Eccleſiæ non ſingulis hominibus. 116.
Spiritus eſt qui viuificat. 395.
Succeſſio Sacerdotalis in Romana Eccleſia. 67. & 68.
Succeſſio ab imitatione non pendet. 76.
Suffragia & eorum vſus vetuſtiſſimus. 304. & 305. & ſeq.
Suſannæ hiſtoria noſtris temporibus applicata. 338.

T.

Temporum noſtrorũ quanta infelicitas. 1.
Tempus à Chriſto vſque nunc quomodo diuiditur. 92.
Theologiæ ſcientia quàm difficilis 264.
Teſaurus Sanctæ Eccleſiæ 275. & 276.
Traditiones ſcriptura ſacra docentur. 92. qui eas negat eaſdem negando probat. 100. probantur ab Apoſtolis. 98. Catholicum ab hæretico diſtinguunt. 99. Verbũ Dei ſunt. 86. hæreticos conuincũt. 99.
Tranſubſtantiationis verbo quando primũ vſa eſt Eccleſia. 119.
Tranſubſtantiationem cognouit, et confeſſus eſt Diabolus. 406.
Terrarum orbis in partes quinq; diuiſus. 64

V.

Varietas tẽporis morũ varietatẽ parit 112.
Virtutes Theologicæ & earum vis. 223.
Vnitas Eccleſiæ pluribus modis. 31. & 32.
Voluntas Dei multis modis accipitur. 217.
Voluntas noſtra duas habet partes. 224.

Z.

Zepherinus xvi. Papa poſt Chriſtum. 259.
Zuinglius & eius ridicula expoſitio. 39.

Errata ſic corriguntur.

cuircuitus. circuitus. pag. 22. lin. 26.
interpraetandi. interpretandi. 25. 12.
Vitembergenſi. Vuitembergenſi. 25. 15.
ſalſiſſimum. falſiſſimum. 49. 6.
conuenticula? conuenticula. 52. 10.
conſtructae. conſtructa. 41. 9.
inſignatam. inſignitam. 44. 5.
optimè. optimæ. 57. 2.
concludat ; concludat?. 73. vlt.
noſtræ. noſtra. 74. 4.
dici. dicit. 88. 28.
ſunt hæreticis:cum. ſunt cũ hæreticis: 152. 17.
Cane. Cano. 173. 23.
nos ſolum. non ſolum. 177. 11.
Omnes non. omnes nos. 177. 18.
in inuito. inuito. 184. 16.
leuiores. leuioris. 184. 27.
terra. terræ. 194. 3.
Ioannes. Ioannis. 200. 17.
Samaritanum. illum qui in latrones inciderat. 202. 5.
eius. eius, 208. 4.
confidant. confidant. 226. antepen.
neceſſe eſt. eſſe. 228. 3.
qua nos. quæ nos. 234. 16.
argumentationes. argumentationis. 234. pen.
renitentes. retinentes. 241. 3.
Vidua. Viduæ. 242. 20.
patris. patri. 242. 24.
retur. ret. 242. vltima.
ſermo de. ſermo. de. 243. 7.
defenſionem Dei. offenſionem Dei. 243. 27.
ſoliosq;. ſolitosq; 248. 28.
trat. erat. 251. 22.
natura. naturæ. 252. 12.
contemnanda. contemnenda. 255. 24.
coranm. corum. 257. 20.
linguam? ; pag. 258. lin. 24.
debent. habent. 261. 10.
præparauitq; peccatum. præparauitq;. peccatum. 272. 21.
audi te ; audite. 273. 1.
dimiſſo. dimiſſio. 274. 10.
abſumpta. aſſumpta. 274. 13.
prouidentiam? ; 275. 17.
Gaudio. Gaudeo. 276. 14.
nobis. uobis. 276. 23.
tempore. tempus. 277. 23.
poteſt. poſſet. 279. 7.
ſatisfactione. ſatisfactioni. 279. 11.
probetur. probatur. 285. 26.
imperfectis. imperfectos. 286. penult.
ſacile. facile. 289. 18.
de. de. 290. 16.
inuolueris. inuolucris. 291. 19.
aptiſmum. baptiſmum. 293. 24.
eſt. aqua. eſt aqua. 294. 5.
quin te. quin eoſdem libros. 308. 26.
non conijciant. conijciant. 308. 27.
quæri. queri. 311. 4.
accuſant? ; 311. 17.
antummodo. tantummodo. 311. vlt.
tautum. tantum. 312.
Deus Deo. 312. 21.
quam. quàm. 314. 7.
adorario. adoratio. 316. 15.
dignitate. me.dignitate, me. 318. 15.
negate. negare. 326. 3.
impudenti. erit. impudenti, erit. 347. antepenult.
meuss. meus. 416. 17.
anttum. tantum. 439. 2.
delinqueo. delinquo. 463. 13.

DISCEPTATIONVM F. FRANCISCI PANIGAROLAE EPISCOPI HASTENSIS IN DOGMATA, PARTIS PRIMÆ.

Diſceptatio Prima.

Qua probatur, veram Eccleſiam, quæ vna eſt, eſſe non iuſtorum, ſeu prædeſtinatorum tantùm, ſed fidelium congregationẽ: eamq́; nec eſſe, nec fieri inuiſibilem vnquam poſſe. Et ad eam dignoſcendam non certa eſſe ſigna doctrinæ puritatem, & veram Sacramentorum adminiſtrationem.

Aduerſus Caluinum Quar. Inſtitutio. cap. 1. Sect. 9. cap. 4. Sect. 10. Et Epiſtola nuncupatoria ad Galliarum regem eiuſdem libri.

QVAM vellem, Sereniſſime Princeps, vosq́; cæteri auditores, vel eſſent ſuperuacanea omnibus de ſuperiore loco dicentibus, quæ ego diſceptatione hac, nonnullisq́; alijs allaturus ſum: vel, (ſi tanta optare non licet) in hac vrbe, nonnullorum cauſſa, qui me audiunt; non eſſent omnino neceſſaria: certè munus hoc diſceptandi ſedato, planeq́; libenti animo ſuſcepiſſem. gratiores enim mihi eſſent ij labores, quibus in pectoribus veſtris inſerenda eſſet pietas; quàm quibus plantanda eſt fides: libentiusq́; hoc vtrer ſuggeſto ad tradenda agendi præcepta, quàm credendi. Attamen, cum, peccatorum noſtrorum cauſſa, in hæc miſerrima tempora inciderimus, quibus ob multorum audaciam, & temeritatem non ſolum omne bonum opus impeditur, & omnis catholica fides in dubium reuocatur, ſed Eccleſia Ro-

mana accuſatur, doctrina Apoſtolica poſtulatur, Summo Chriſti vicario falſa crimina objiciuntur, Chriſtus ipſe, (ſi fas eſt dicere) conſtituitur reus, & in iudicium arceſſitur; quid ego poſſum amplius, vel quid conuenit magis, quàm vbi finis à me factus fuerit, tùm conquerendi de alijs, tùm mei ipſius miſerendi, vt tandem ad defenſionem tam iuſtæ cauſſæ me conuertam? pro qua, non dicam, ſi verbis contendendum, quod fieri facilè videtur; ſed ſi ſanguis profundendus, vitaq; ipſa ponenda ſit, (Deum teſtor) præclare mecum actum putem. Et quidem æquiſſimum videtur, ſi Chriſtus huic meæ voci, & linguæ aliquando vim vllam addidit (quantulacumq; ea fuerit) qua poſſem, vbi ſe ſe offerret occaſio, alicuius patrocinium ſuſcipere, vt hodierno die, partes illius defendere incipiam, qui vim ipſam alienæ tuendæ cauſæ largitus eſt: atq; ſi vnquam antea Catholica vſus ſum doctrina, vt quibus poſſem, amplectenda eſſe bona opera ſuaderem, hodie ſacro hoc concionandi opere in doctrina Catholica firmare plurimorum animos enitar. Ea verò doctrina, Auditores, quamuis in hac vrbe, & inter vos incolas Dei munere ſatis illæſa, & intacta in hunc vſq; diem conſeruata ſit; illud tamen inficiari non poſſumus, vbi vos ad finitimas prouincias infectas tranſire cõtingat; quod quidem fit ſæpius aliquanto, quàm velim, nullum eſſe conuitium, quo affici illam non intelligatis: nullum vitij genus, quod obijci non videatis: nullum opprobrium, nullum tàm perditum, tamq; turpe nomen, quibus eam miſerrimè lacerari aures ipſæ veſtræ quotidiè non audiant. Præterea & vrbis huius ſitus, & amplitudo ditionis, & celſitudo ipſius Principis, aulæq; ipſius eiuſmodi ſunt, vt magnam exterarum gentium multitudinem hùc confluere neceſſe ſit, & apud vos commorari: vtq; nunc permulti adſint, & in hocce templo, attente me dicentem audiant: quos ego tamen & malitia carere, & bona

mente eſſe exiſtimo; ſed iam (ò ſcelus;) errorem imbibiſſe vereor, deceptos ab hominibus, ſummo odio in veram Eccleſiam Romanam æſtuantibus, nouarum rerum cupidiſſimis: quorum quies eſt ſeditio, & tumultus ipſe; qui priuatis perturbationibus obcæcati, cùm ſalutem propriam negligunt; tùm alienam perditum ire, auidiſſimè cupiunt. itaq; vt catholicos corroboremus, & ab oculis eorum, quos errorum magiſtri fefellerunt, caliginem excutiamus, ſi qua in orbis terrarum parte vtile foret, in hac ſine dubio per neceſſarium eſt, ſuaſiones in defenſionem, conſilia in patrocinium; & in Apologias encomia cõmutare. Et quamuis, o deceptæ animæ, non me lateat, aduerſarios noſtros multis malis artibus ſuis hanc addidiſſe, vt non contenti ijs, quibus acerrimè in noſtram iuſtam cauſſam inuecti ſunt, omnem etiam operam dederint, quò defenſores eiuſdem cauſſæ varijs calumniarum generibus in ſuſpicionem vocarent, atq; vt diutius mentes veſtras tenebris inuolutas detinerent, multis criminationibus conati ſint, verbis noſtris, qui lucem ad vos afferre cupimus, & enitimur, omnem fidem adimere; non tamen formidamus: quoniam nos præceptoris illius diſcipulos eſſe, non obliti ſumus; qui ſummos honores, ſummamq; dignitatem in iniurijs ferendis collocauit. neque magni æſtimamus, quoties fama noſtra falſis accuſationibus obſcuratur, vel ea bona per vim nobis eripiuntur, quibus modeſtè, parceq; vitam noſtram ſuſtentamus. immò paratiſſimi ſumus, dum prodeſſe vobis poſſimus, quod aliàs etiam tot locis ſæpenumero factum eſt, & nuda pectora, & iugulum conſtanter, intrepideq;, inimicis noſtris dare, quòad eorum noſtro ſanguine gladiorum acies hebetentur, & noſtris cædibus illorum rabies efferata ſatietur. Ego verò vos adeo prudentes puto, vt confidam, vnde oriri iniurias, augeriq; indies videritis, inde iuſtitiam procul abeſſe, omnemq; ibi deficere rationem exiſtimaturos.

 turos.

turos. Et quamuis nos ab ipſis appellemur, modo deceptores, & hypochritæ; modo ſuperbi, & auari; modo inertes, & deſides; vos tamen non permiſſuros, vt animi veſtri in odium, vel inuidiam, vel contemptum noſtri rapiantur: ſed mentis veſtræ candorem priſtinum retinentes, integros reſeruaturos; non ad examinandos defenſorum mores, ſed ad cauſſæ iuſtitiam cognoſcendam. itaq; vti contumeliarum, & iniuriarum auctores improbabitis; ita, qui patienter illas ferunt, vt ſpero, & opto, vobis digni commendatione videbuntur. hoc quidem vnum, quod illi affirmant, verum eſſe competietis; nos & rudes eſſe, & barbarè loqui, & eloquentia, præceptiſq; dicendi, & arte ipſa carere. ſed illud forte fit, quoniam veritas arte non indiget: & quominus polirè eloqui didicimus; eò magis, quæ veriſſima ſunt, afferimus: in quibus ſi exordia, & inſinuationes, & ornamenta omittantur, non multum referr. nam quòd ad me pertinet, eccum me continuo ad ipſam cauſſam: in qua nonnullis diſceptationibus me vobis clariſſimè, breuiſſimèq; demonſtraturum ſpero, quæ ab aduerſarijs obijciuntur, falſiſſima eſſe omnia: contra verò fieri non poſſe, vt vlla verior, firmiorq; doctrina reperiatur, quàm ea, quæ iàm inde ab ipſis Apoſtolis originem habens, & ad nos rectiſſimo ſemper tramite deducta, à nobis concionatoribus catholicis, & Romanis, hoc tempore affertur. Atque in primis ego vehementer lætor, quòd & ſi dubitari potuit, ne defenſio noſtra ob earum rerum multitudinem, quæ ab aduerſarijs obijciuntur, futura eſſet longiſſima, propeq; in infinitum trahenda, tamen animaduerterim, caput vnum eſſe, virtute, ac vi ipſa alia omnia continens: nam eo probato, quod etiam pauciſſimis fiet, nihil iam ſupereſſe, quod amplius probandum ſit, vos ipſi fatebimini. res verò ſic ſe habet. Omnes controuerſiæ, quæ inter nos, & Caluiniſtas ſunt, (exiguum eſt quod dixi) immò omnes controuerſiæ, quæ

vnquàm

vnquàm fuerunt, quæ ſunt, quæue vllis temporibus futuræ ſunt, ad fidem catholicam pertinentes, ad hoc vnum rediguntur, vt reperiatur, quænam ſit vera Eccleſia. nam, cum vna tantum ſit vera Eccleſia, quod paſſim ab omnibus conceditur, eademq; columna veritatis, quæ errare nequeat; vbi veram Eccleſiam inuenero, quidnam dubij ſupereſſe poteſt amplius? nam vtrum inuocandi ſint Sancti, percunctabor, quid Eccleſia ſentiat. an iuuandi ſint ſuffragijs mortui, aduertam, quid faciat Eccleſia. pariter cæteris de rebus, quæ mihi dubia proponentur, Eccleſiám conſulam. inueniamus modò veram Eccleſiam: & iacta hac firmiſſima anchora, fremat poſteà mare, æther mugiat, tumeſcant vndæ, venti inſurgant, naui iam periculum nullum imminet; ea ſecura eſt, in tutiſſimo portu quieſcit. Eccleſiam vnam tantum eſſe, ſine vlla controuerſia certiſſimum eſt. *Vna eſt ſponſa mea, una eſt Columba mea*, legitur in Canticis. *Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto, & in Eccleſia.*: non in Chriſto, & in Eccleſijs, quoniam vna eſt Eccleſia. *Eripe de manu canis*; non dixit multas meas, ſed *vnicam meam*: quia Eccleſia eſt vna. *Neque autem dicat aliquis, Ego ſum Paulli, ego ſum Cephæ*: proptereà quod vna eſt Eccleſia. *Sine offenſione eſtote Eccleſiæ*. non Eccleſijs: Eccleſia enim vna eſt. *in domo vna comedetur*: non in domibus multis; nam Eccleſia vna eſt. Et hæc vna tantum eſt Chriſti Eccleſia, extrà quam nemo appellari Chriſtianus poteſt. *Quiſquis ille eſt, & qualiſcumq; ille eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Eccleſia Chriſti nō eſt*, ait Auguſtinus. & hæc vna illa eſt, in qua membrum eſſe oportet, qui caput habere vult Chriſtum. quoniam habere caput Chriſtum nemo poterit, *niſi qui in eius corpore fuerit*, quod eſt Eccleſia, dicit idem. & hæc vna illa eſt, quam habere matrem neceſſe eſt, quicumq; Deum habere vult patrem. *Nam non habebit Deum patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem,*

ſcribit Cyprianus. & hæc vna illa eſt, in qua reperiri ſalus, & vita poteſt; quia qui in ædibus Raab non eſt, interficitur: qui domum Simonis non intrat, non ſanatur: qui in nauicula Petri non eſt, naufragio perit. eſt igitur certiſſimum, Eccleſiam eſſe vnam: qua reperta, continuo probatur, reliquas omnes eſſe conuenticula ſeditioſorum, errorum ſcholas, flabella hæreſum, domus Baal, vitiorum fomenta, ſordium receptacula, Moſchæas, quas vocant, asyla, ac ſi quid dici peius, aut excogitari poteſt. Sed in tot, tantiſq; Eccleſijs, quæ Chriſti Eccleſiæ dici volunt, ſcire quænam ſit vera Chriſti Eccleſia, magnæ admodum difficultatis eſt: qua in re tria meo iudicio quærenda ſunt. primum, quid ſibi velit, quidq; ſit Eccleſia Chriſti. alterum, an Chriſti Eccleſia eſſe poſſit inuiſibilis, adeoq; occulta, vt diſcerni nequeat. tertium, cum Eccleſia Chriſti ſemper debeat eſſe viſibilis, vti probabimus, inter multas viſibiles, quæ omnes Chriſti dicuntur; quænam vera, certaq; ſigna ſint, quibus à falſis vera Chriſti Eccleſia diſcernatur. Neque vero nunc nomen hoc Eccleſiæ ſic accipimus, vt ſæpiſſime aliàs, pro templis manu, & opera conſtructis, quomodo legitur in Iudith. *Per totam noctem intra Eccleſiam orauerunt, petentes auxilium à Domino Deo Iſrael:* ſed accipientes, vt etiam ethimologia Græca ſignificat, pro congregatione; in primis dicimus, Eccleſiã Chriſti ſignificare, & eſſe congregationem illam hominum, quæ coniuncta, & cõgregata, & colligata in Chriſto eſt. tùm incipientes quærere, quiſnam ſit is nodus, & vinculum quo hominum multitudo colligetur in Chriſto, vt Eccleſia dicatur; hinc difficultas, hinc opinionum varietates oriuntur. attendite, auditores, diligenter. Eccleſia Chriſti, eſt multitudo illa hominum, qui omnes referuntur ad Chriſtum, & omnes eodẽ, quodam vinculo congregati in Chriſto ſunt. Sed quodnam eſt hoc vinculum, & hæc relatio? ego vobis hodie tres afferam

ſen-

ſententias primam, Anabaptiſtarum noſtri temporis: alteram, Caluiniſtarum; tertiam, noſtram, quæ catholica ſententia eſt. Anabaptiſtæ credunt, iuſtitiam eſſe vinculum congregationis huius: & Eccleſiam eſſe eorum tantummodò, qui iuſti ſunt, atque in gratia; & ſimul ac quis in lethale peccatum inciderit, vti iuſtitiam,& gratiam amittit; ita continuo ex hac congregatione excidere, neque amplius Eccleſiæ Dei eſſe. Caluinus aliter docet. nempe, vinculum, de quo quærimus, eſſe occultam Dei electionem. de Eccleſia item Chriſti non eſſe, niſi tantummodo prædeſtinatos, & quantumuis iuſtus, & bonus ſit quiſpiam Chriſtianus; ſi tamen ex eorum numero ſit, qui poſtremo damnabuntur, de Chriſti Eccleſia ne illo quidem tempore eſſe medio, quo iuſtus eſt; quoniam prædeſtinatus non ſit. Nos autem iuſtitiam, & prædeſtinationem, hoc loco omittentes; Eccleſiæ vinculum, veram eſſe fidem affirmamus. nàm aduerſus Anabaptiſtas dicimus, ſi quis prauis ſuis operibus maximus peccator ſit, eundemq; contra Caluini ſententiam vti præſcitum contingat, vt in peccatis moriatur, & damnetur; donec tamen veram fidem retinet, & quouſq; illud credit, quod vere credere debet, ſemper poſſe, omni dubio remoto, veræ Chriſti Eccleſię membrum appellari: neque aliud quicquam nos ab Eccleſia Chriſti ſeiungere, quàm errorem in fide. Duas congregationes, & duo vincula in Chriſto ſtatuimus nos (quæſo quantam claritatem, quantamq; lucem ſecum veritas afferat, auditores, aduertite) alteram eorum, qui cum Chriſto coniuncti ſunt per firmatam, & irreuocabilem iuſtitiam; alteram eorum, qui per veram fidem. & ambas affirmamus, illas eſſe, vel, vt verius dicamus, partes illas duas eiuſdem Eccleſiæ, quamuis duas Eccleſias nominemus, non quas biduo ante ſomniauit Caluinus, ſed quas ſanctiores patres, & grauiores auctores à Chriſti temporibus in hunc vſque diem

præ-

prædicarunt: Eccleſiam nempe triumphantem, & Eccleſiam militantem. quoniam nonnulli homines iam ſalui ſunt, iam in gratia firmati, iam ita iuſti, vt immutari nequeant; atque hi cum Chriſto, iuſtitia non reuocabili coniuncti, triumphantem Eccleſiam conſtituunt: alij ſunt non in gratia firmati, quia quotidie acquirere eam poſſunt, & amittere: non iuſti immutabili iuſtitia, quoniam indies peccare poſſunt, vel etiam peccant; ſed qui omnia credunt, quæ credi à Chriſtianis hominibus debent: & ideo, vinculo veræ fidei colligati, alteram Eccleſiam, militantem ſcilicet, efficiunt; ſolam, & vnicam in terra. hinc pulcherrimæ illæ diſtinctiones oriuntur, tot locis à à ſacris doctoribus relatæ. harum duarum Eccleſiarum, vnam eſſe totam in patria, alteram vero totam in via. illam totam in triumpho, hanc totam in bello. alteram totam beatorum, totam viatorum alteram. priorem totam, quæ peccare non poteſt, totam poſteriorem, quæ poteſt. vnam totam ſtabilem, alteram nutantem. priorem totam fruentem, poſteriorem totam anhelantem. denique alteram totam in cælo, alteram totam in terra. Et hæc quidem perſpicuitas, & lux maxime eſt oppoſita denſiſſimis, & obſcuriſſimis tenebris, quas poſtea cóperietis in fatua quadam, falſaq́; diſtinctione Caluini. interim, quòd ad nos ſpectat, catholicam ſententiam hanc eſſe aſſerimus, vt Eccleſia Dei ſit hominum illorum multitudo in terra; non qui iuſti tantùm, quiq́; prædeſtinati, ſed qui vere fideles ſunt. quod, vt clarius appareat, veritatem opinionis huius, aliarum opinionum falſitati comparemus. in quibus ſiue de Anabaptiſtis loquamur, ſiue de nonnullis Lutheranis, vel de Ioanne Hus, vel de Vuitcleffo, ſeu de Circumcellionibus, ſeu de Circenſibus, aut de Rogatianis, aut de Donatiſtis, (nam omnes in hoc errore fuerunt) &, vt ait Auguſtinus, de cloacis iſtis, hauſtum eſt, vnde hydria impleretur; quid dici aut co-

gitari

gitari poteſt abſurdius, quàm in Eccleſia Chriſti iuſtos tantummodo contineri? Chriſtus ipſe, quòd certum eſt, de Eccleſia loquebatur, quando eam comparauit agro, in quo eſſet frumentum, & zizania ſimul. quando item aſſimilauit areæ, grana, paleaſq; continenti. Et quando ſimilem dixit eſſe reti, quo capti eſſent boni piſces, & mali. Eccleſia ſine dubio vinea eſt, vuis, & labruſcis referta. eſt agnorum, & hedorũ grex. eſt domus, in qua diuerſis generis vaſa ſunt. numerus eſt virginum partim fatuarum, partim prudentium. eſt demum ſponſa, formoſa quidem, ſed etiam nigra. *Nigra ſum, ſed formoſa.* Ex quibus intelligere Anabaptiſtæ poſſunt, ſicut ea, quæ diximus, omnia vſq; ad terminum quendam manent ſine diſcrimine commixta, ſic in militanti Eccleſia, vſque ad extremũ magni iudicij diem inter veros fideles fore multitudinem iuſtorum, & iniuſtorum ſimul, ex quibus omnibus conſtat Eccleſia. In congregatione fidelium Paulli temporibus Corinthi contentiones oriebantur, & rixæ. *Significatum eſt mihi, quia contentiones ſunt inter vos*. erant carnales. *adhuc enim carnales eſtis*. ijs vitijs laborabant, quæ ipſis etiam infidelibus grauiſſima videbantur. *Auditur inter vos talis fornificatio; qualis nec inter gentes*. inferebantur iniuriæ, neque doli aberant, aut fraudes; *Vos iniuriam facitis, & fraudatis*. nomen ipſius Paulli lacerabatur. *Nonne ſum Apoſtolus*? denique in ſexcenta peccata delabebantur. quare ſi, vt vos, ò Anabaptiſtæ, ſentitis, vbi peccatum eſt, ibi non eſt Eccleſia; nonne grauiter erraſſet, quicumque congregationem huiuſmodi Eccleſiam appellaſſet? certè omnino. atquì in hunc errorrem incidit Paullus ipſe, qui in eadem Epiſtola, qua tot Corinthiorum vitia reprehendit, nihilominus Corinthiorum Eccleſiam agnoſcens, ait; *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi*. idem facit Epiſtola ad Galathas. Idem

facit Ioannes Apocal. 2. & 3. (quod etiam Auguſtinus animaduertit 2. contra Parmenianum cap x.) nam magna vitia non ſolum in Aſiæ Eccleſijs exprobrat, ſed etiam in ipſo Iardenſis Eccleſiæ prælato, ijs verbis: *Nomen habes, quod viuas, ſed mortuus es*. immo ipſe Chriſtus de ſua vera Eccleſia loquens, peccatores admittit, vſque eò in criminibus pertinaces, vt ſemel, atque iterum moniti, ſe ſe adhuc nolint corrigere. *Si adhuc eos non audierit, dic Eccleſiæ*. Auguſtinus in breuiculo collationum refert tempeſtate ſua, atque ipſo præſente, in conuentu quodam Africæ, ad quem trecenti, & ſex Epiſcopi catholici conuenerant, Donatiſtæ verò ſex, & ducenti, hos firmiſſimis argumentis, veriſſimiſque rationibus conuictos, faſſos eſſe, bonos, & malos, dum vera fide non carent, in Eccleſia Dei contineri. hanc veritatem teſtantur, & probant Cyprianus lib. 3. epiſtola 3. Nazianzenus oratione prima Apologetica. Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio, & pſalm. 39. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 43. & 100. Atque id præterea probatur duplici potiſſimum ratione. altera eſt, ſi peccatores non eſſent in Eccleſia, ſuperuacaneum eſſet pænitentiæ ſacramentum. altera, quoniam incertum eſt, an quis ſit peccator, nec ne; neque paſtor ſuam ouem, neque ouis ſuum paſtorem ſatis cognoſceret. Sed quænam eſt, ò Anabaptiſtæ, hæc ſuperbia veſtra? vt reprobare cæteras Eccleſias audeatis, propterea quòd in illis peccatores ſint, & veſtram inter vos conſtituentes, tantum vobis arrogetis, vt in vniuerſo terrarum orbe ſine peccato eſſe ſolos vos, arbitremini? *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus*, ait S. Ioannes. omnibus hominibus præcipit Chriſtus, vt dicant: *Dimitte nobis debita noſtra*. Eccleſia ſe credere remiſſionem pec-

ca-

catorum, affirmat. Et vos ab Eccleſia omnes illos, qui operè peccarunt, excluditis? audi Anabaptiſta; nam ego ſic argumentor. Dicis, te in Eccleſia eſſe, quia peccatum non habes. qui dicit, ſe peccatum non habere, peccat: (doctrina S. Ioannis eſt.) dum igitur dicis, te peccatum non habere, peccas. Sed tua ſententia, qui peccat, non eſt in Eccleſia; ergo ſententia mea, eaq; veriſſima, cum ais, te eſſe in Eccleſia, teipſum ab Eccleſia eximis. item hoc modo: peccatum vel habes, vel non habes; Si habes, tuo iudicio in Eccleſia non es. Si non habere affirmas, S. Ioannis iudicio peccas. itaque tui ipſius iudicio, quocùmque modo; ſi tuam opinionem retines, in Eccleſia eſſe non potes. nullam profectò, auditores, ſuperbiorem opinionem, magiſq; fatuam iſtorum opinione reperiri poſſe exiſtimo: ſed ipſi viderint. *Si quis dixerit eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit.* Tridentinum Concilium ſic habet. ſeſſio. 6. Et Caluinus ipſe ſectæ iſtius errorem animaduertit; & confutauit. qua in re egregie ſe geſſit, quoniam quod verum erat, amplexus eſt: ſed deinde tanto perplexius, & obſcurius egit, quando iniquiſſimis mendacijs refertam opinionem ſuam attulit; nempè in Eccleſia Chriſti, ſolos illos eſſe, qui à Deo prædeſtinati ſunt. hoc loco, obſecro vos, auditores, reminiſcamini, quàm apertæ, quàm claræ eſſent diſtinctiones duarum Eccleſiarum, de quibus ego paullo ante dicebam: vnam ſtatuens viuorum totam, alteram totam eorum, qui mortui ſunt: illam totam in terra, totam hanc in cœlo; & alia, quæ tunc allata ſunt. conferte deinde perſpicuitatem, & lucem illam, cum Caluini tricis, & tenebris, & obſcuritate, quæ ab ipſius mendacijs oriuntur, atque, ſi poteſtis, non obſtupeſcite. is ſua Inſtitutione lib. 4. cap. pri. ſectio. 7. 8. & 9. quoniam ſatis intelligit, ab omnibus priſcis illis patribus affirmatum fuiſſe de duabus

Eccleſiijs, ideſt de duabus vnius Eccleſiæ partibus, quas ego commemoraui; ipſe etiam conſtituere duas conatur, vnam quidem eorum omnium ſimul, qui prædeſtinati ſunt; tàm, qui iàm in cœlo beatitudine perfruuntur; quàm, qui adhuc in terra degunt; alteram prædeſtinatorum tantùmmodo, qui ſunt in terra, adiunctis præſcitis, qui viui ſunt. itaq. vbi clare diſtinguendum eſt (ò tenebras Cimmerijs obſcuriores!) confundit, & commixtionem quandam propè horribilem facit viuorum, & mortuorum; belli, triumphiq.; pacis, & militiæ; cæli, & terræ. Sic prædeſtinati viui erunt in duabus Eccleſijs eodem tempore. in vna cum Sanctis, qui in cælo ſunt; in altera cum præſcitis in terra. Sic vna Eccleſia media in cælo eſt, media in terra: altera tota eſt in terra, & dimidium continet illius, quæ erat in cælo. Sic vna Eccleſia media eſt viuorum, media mortuorum: altera verò tota viuorum complectitur dimidium Eccleſiæ mortuorum. Sic demum, quicquid dicit, ſomnia ſunt, & ambages, & tenebræ tantæ, vt etiam ego in ijs enarrandis obſcurus fiam. ſed hæc excidunt ijs, qui à latiſſimo veritatis campo diſcedentes, per ſyluas errant, per denſiſſimos mendaciorum ſaltus vagantur. Abſurdum aliud audite, quo maius eſſe nullum poteſt, & mores iſtius diſcite, qui dum omnes refellere vult, etiam ſibi ipſi aduerſetur, neceſſe eſt. Vt Anabaptiſtas improbet, affirmat, in Eccleſia poſſe eſſe multos peccatores: & continuo, quia perſpicit, hoc idem nos ſtatuere, vt nobis aduerſetur, negat veræ Eccleſiæ appellari peccatores poſſe. an dubitatis, hoc à me confingi? quid dicitis? fieri non poſſe, vt quiſquam tàm apertè pugnantia dixerit? hæc ipſius verba ſunt. Inſtitutio. lib. 4. cap. pri. ſectio. 7. *In hac Eccleſia plurimi ſunt hypocritæ, plurimi ambitioſi, auari, maledici*. Et quæ ſequuntur. Et hactenus bene habet. ſed eadem pagina, ſectio. 9. ſibi diſſen-

diſſentiens auditur ſonus. *Tales non approbamus Eccleſiæ membra*. immò eadem linea, *Aliquos indignos in Chriſti corpore toleramus*, & ſtatim, *Tales ſuffragio noſtro, non approbamus eſſe Eccleſiæ membra*. quid dicemus, auditores? aliud certe dicemus, quod etiam abſurdius videatur; Caluiniſtas, vt hæc contraria concilient, fuiſſe compulſos affirmare; Caluinum concedere, peccatores eſſe in Eccleſia; ſed eſſe de Eccleſia, non concedere. itaque affirmat, eſſe in corpore Eccleſiæ, ſed eſſe membra Eccleſiæ negat. quaſi vero, quid eſſe poſſit in corpore, neq; membrũ eſſe, niſi eo modo, quo cibus eſt, & humores. quaſi diſtinctionem hanc tàm ſubtilem, admirabilemq́; antiquorum patrum aliquis excogitarit, vt quiſquam aut in Eccleſia ſit, aut ſit de Eccleſia; quaſi S. Auguſtinus 2. Retractationum cap. 8. eos, qui credunt, licet peccatores ſint, Eccleſiæ membra non appellet: neq; idem Chryſoſtomus faciat Homil. 18. Ex varijs in Matthæum locis. quaſi Conſtantienſe Concilium omnem hunc ſcrupulum articul. 3. 5. & 24. planè non euellat. ſed, ò decepti, alia vi, alijs artibus opus eſt ad veritatem oppugnandam, offundendasq́; Soli tenebras. iàm certè, ni fallor, intelligitis, quàm præclara doctrina eliciatur ex Caluini opinione: quæ eſt, Eccleſiam congregationis ſuæ vinculum habere, occultam electionem Dei. Præterea aliud abſurdiſſimum emergit. nàm ſi Eccleſia eſſet multitudo prædeſtinatorum, cũ nemo ſcire poſſit (niſi Deus ei notum fecerit) quinam prædeſtinati ſint, nemo pariter ſciret, vbi eſſet Eccleſia: eaq́; adeo eſſet incognita, & inuiſibilis, vt, ſi cui opus foret adire illam, tamquàm veritatis magiſtram, diſcendi cauſſa, quæ veriora eſſent, quò ſe conuerteret, non haberet. Itaque nos principio propoſuimus, illud eſſe ſecundo loco neceſſariò conſiderandum, vt vera Eccleſia reperiatur: an viſibilis ea ſit, nec ne. atque an ſemper

inuenire veram Eccleſiam poſſimus; an interdum ſemper ne ita lateat, vt, vbi ſit, reſcire nemo poſſit. qua in re Caluinus, quaſi amens, vt ſolet, & furijs agitatus, hinc veritatis vi com pulſus, inde ſtudio eiuſdem oppugnandæ veritatis accenſus, ſibi ipſi turpiſſimè contradicit. nàm eadem inſtitutione, capiteq; , & ſectione eiſdem dicit; *De Eccleſia viſibili, quæ ſub cognitionem noſtram cadit*. Et Epiſtola ad Galliarum Regem, quæ inſtitutionis libro præfixa eſt, ait. *Nos aſſerimus, Eccleſiam, nulla apparente forma, conſtare poſſe*. Et, quamuis Cal uiniſtæ eum tueri conentur, dicantq; vno loco, illud intelligi, quod fere ſemper, aut plerumq; contingit; alio loco, quod interdum accidit; plerumque enim Eccleſiam eſſe viſibilem, ſed quandoque fieri vt lateat, & à Deo propter noſtra ſcelera, à noſtris oculis ſubtrahatur; ego tamẽ duplici ratione reſpon deo. vna eſt, cum ex Caluini ſententia, Eccleſia ſit prædeſtinatorum multitudo, qui nobis incogniti ſunt, neceſſe eſſe, illam eſſe ſemper inuiſibilem. altera, quamuis vera eſſet ſectatorum ipſius defenſio, vt quandoq; tantummodo Eccleſia fieret inuiſibilis, hoc tamen eſſe impudentiſſimum mendaciũ; neq, fieri poſſe, vt Eccleſia fuerit inuiſibilis, vel vnquam futura ſit. qua in re, cum Caluinus nullis rationibus, nullis auctoritatibus pro argumentis ad hanc opinionem confutandã vſus ſit; nos ad eandem confirmandam auctoritates, & rationes firmiſſimas afferemus: atq; etiam ipſas interpretatione grauiſſimorum hominum corroborabimus, præſertim Auguſtini illius, quem Caluinus ſuſpicere, propèq; admirari ſimulat. Dauid pſalmo 18. dicit. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*. tabernaculum quippe Dei eſt Eccleſia; quæ an obſcurari poſſit, vel inuiſibilis fieri, in Sole poſita, veſtri ſit iudicij. quid ridetis, Caluiniſtæ, quid dicitis? vim à me verbis fieri? iam ſciebam, iam præuideram, cum quibus mihi pugnan-
dum

dum eſſet; & ideo non inermis prodij. audite, quæſo, an hæc expoſitio mea ſit, an Auguſtini; qui tomo 9. in Epiſtolã Ioannis tractatu 2. ſic dicit, *In Sole poſuit tabernaculum ſuum. ſcilicet in manifeſto: tabernaculum eius Eccleſia eius*. præterea Daniel ait. *Factus eſt mons magnus, ita vt impleret vniuerſam faciem terræ*. hic mons, Eccleſia eſt, quæ vniuerſam terram cum impleat, qua ratione abſcondi poteſt? quid ridetis rurſus? interpretationem irridetis? Auguſtini eſt; eodem legitur loco: *Mons eſt Eccleſia; quid amplius dicturus ſum, quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident?* Item. *Non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra montem poſita*. Ciuitas eſt Eccleſia. quid ridetis? ſic expoſuit Auguſtinus libro de vnitate Eccleſiæ cap. 14. his verbis. *Eccleſia vera neminem poteſt latere:* Vnde eſt illud, *non poteſt Ciuitas abſcondi*; & quæ ſequuntur. addo etiam locum illum. *Vos eſtis lux mundi*, & alium: *neque accendunt lucernam, & ponunt ſub modio*, & ſexcentos alios. præterea, nonne in fraterna correctione Chriſtus ait, *Dic Eccleſiæ*? qua ratione huic præcepto parendum eſſet, atq; illud non eſſet ſuperuacaneum; & inane, ſi nobis quicquam dicendum eſſet Eccleſiæ, quæ vbinam gentium eſſet, ſcire non poſſemus? minime, minime. nam errantes, & planè cæcos nos Chriſtianos reliquiſſet Chriſtus, ſi quò nobis confugiendum eſſet, neſciremus. immo, ſi res ita ſe haberet, meritò conqueri poſſemus. cum enim nobis præceperit Chriſtus, vt cum vera Eccleſia communicemus, & vero illius Principi pareamus, ijs qui ſecus fecerint, propoſita æterni ſupplicij pœna: ſi vtrumq; eſſet inuiſibile, & nobis incognitum; certè & à nemine obſeruari præceptum poſſet; & eſſet captioſum; & legiſlator magnam feneſtram de qua præcipites ageremur, nobis patefeciſſet. ſed contra Eccleſia plena eſt fulgore ab oriente vſq; ad occidentem, ait Origenes Homil. 30. in Matthæum. *Eccleſia*

sal: 18

2

Mat. 5

Domini luce perfuſa radios ſuos per orbem terræ ſpargit. Cyprianus lib. de vnit. Eccl. *Facilius eſt ſolem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari*. Chryſoſtom. Hom. 4. cap. 6. Eſai. Semper hoc nomine Eccleſiæ intelligitur congregatio viſibilis: & aliter nuſquam, nunquamue accipitur. *Cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem?* Numer. 20. de populo illo dicitur, qui erat prope innumerabilis, & maximè viſibilis. *Conuertit rex faciem ſuam, & benedixit Eccleſiæ*, quæ ante oculos eius poſita erat Regum 3. cap. 8. qua vero ratione regere potuiſſent Epheſij paſtores gregem illum, *in quo vos poſuit ſpiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei*, ſi vbinam gentium is eſſet, ignoraſſent? *deducti ſunt ab Eccleſia. Suſcepti ſunt ab Eccleſia. ſalutauit Eccleſiam*. plurima paſſim ſe ſe offerunt teſtimonia: quæ inania eſſent omnia, ſi inuiſibilis eſſet Eccleſia. Hæc verò, tam etſi nullam hoc tempore viſibilem habet notam in carne, vti ante Chriſti aduentum habebat per circumciſionem: ſcimus tamen, primùm in Apoſtolis, atq; in Diſcipulis viſibilem adeo fuiſſe, vt in eos viſibiliter Spiritus Sanctus deſcenderit. Scimus item ijs addita fuiſſe viſibiliter tria millia, poſtea quinque millia: ac deinceps auctum eſſe indies numerum eorum omnium, qui baptiſmo viſibili, & fidei confeſſione recipiuntur, & viſibilibus alijs ſacris vtuntur, niſi poſteà inde ſchiſmate, hæreſiue exeant, vel excommunicatione depellantur. viſibilis igitur, eſt ſemper Eccleſia, neque vnquam celari poteſt. his iactis fundamentis, occaſio poſtularet, vt coram his miſeris, qui decepti ſunt, me ad te, ò Caluine, conuerterem, quærerémq; ſi vera Eccleſia abſcondi non poteſt, neque interrumpi, quod poſterius, tu etiam fateris, quàm vera ſit Eccleſia tua; quæ tantis latuit temporibus? interroga tu vbi fuerit Eccleſia mea, à Chriſti tempore vſque in hunc diem; & ego ſemper oſtendam, caput ipſius, & multa membra. dicam enim, Pe-

tri ſedem obtinebat Papa ille: ecce caput. doctores illi, idipſum ſcriptis tradebant, quod ego credo, ecce membra. ſed Eccleſia tua paullo ante te, vel ante Farellum tuum, præmortuum, vbinam erat? quo in loco conſiſtebat? quid ais? inuiſibilem fuiſſe, & incognitam? Serum eſt hoc perfugium: iam trames iſte tibi præcluſus eſt. veriſſimum eſt, à nemine cognitam, quia non erat; neq; nunc aliqua eſt: non enim eſt Eccleſia, ſed conuenticulum hæreticorum, & teterrimi dæmonis inuentum. ſed nunc vrgere te nolo amplius. Satis eſt mihi, auditores, hactenus probari, Eccleſiam eſſe congregationem illorum, qui verè credunt, & ſemper eſſe viſibilem. at, quoniam multæ congregationes, viſibileſq, omnes, aſſerunt, ſe veram eſſe Eccleſiam; reſtat, vt vera ſigna quæramus, quibus ea dignoſcatur; vel hodie ſaltem, quæ vera ſigna nō ſint, per quæ dignoſci poſſit. Sed interim paulliſper quieſcamus.

DISCEPTATIONIS PRIMAE
PARS ALTERA.

PVlcherrima certe, auditores, eſt ea ſententia, planeq; diuina, quæ habet, qui male agit, odit lucem. O quàm ſtudiosè latebras hæretici quærunt, quàm cupide à claritate refugiunt, lucem omnino euitant, atq; in primis Caluinus? qua ratione? quoniam Chriſtus eſt lux. *Ego ſum lux mundi*. Chriſtus eſt veritas. *Ego ſum veritas*. itaque cum idem ſint veritas, & lux; qui veritati aduerſantur, ipſam etiam lucem non odiſſe non poſſunt. Eccleſia ſancta eſt magiſtra ipſa veritatis; & inuenta vera Eccleſia, vti dicebamus, fieri nulla ratione poteſt, quin confeſtim veritas eluceat. itaque nullus erit vnquam hæreticus, qui non omnem operam enixe det, vt Eccleſiam tenebris inuoluat, & quòminus inueniri poſſit, in ea

re omnes neruos contendat. hoc vtar exemplo. quæritur, an audienda Miſſa ſit, an non. videndum profectò eſt, quid obſeruetur à vera Eccleſia, quæ errare non poteſt. hanc igitur quæramus: vera ſigna quibus dignoſcitur, & inuenitur, inueſtigemus. Sed hoc ipſum hæreticum pungit, hæreticum torquet. non ſic exclamat ipſe: nam ſi iudex adſit, ego ſtatim condemnabor; in me continuo ſententia feretur. itaq; quid omnis hæreticus conatur, & præcipuè Caluinus? illud in primis, vt iudicem abſcondat, adimat, eripiat. aſſerit enim conſtare ex prædeſtinatis Eccleſiam: propterea quòd, quinam ij ſint, ſcire non poſſumus. dicit eſſe inuiſibilem, obtegere nititur, quantum poteſt. audite ipſius verba. *Sic deformatur Eccleſia, vt nulla ſpecies emineat. Eccleſia deformis latet: nulla parte fulget: notabilem eius formam aliquando non inuenimus: Deus Eccleſiæ notitiam aufert: altis tenebris immergit: nulla Eccleſiæ facies extat: in medijs tenebris ſeruat Eccleſiam, ſeruat in latebris.* animaduertite nunc, quàm anxius, quàm ſolicitus eſſet de effugiendo, vt ſe occultaret, vt in latebras ſe conijceret, vt Eccleſiam Dei inuiſibilem eſſe ſtatueret. quod vbi ex ſententia non ſucceſſit, (nàm illa *quaſi aurora conſurgens*, ſemper lucidior, ſemper clarior efficitur) &, vti in prima parte probatum eſt, fateri neceſſariò oportet, Eccleſiam eſſe viſibilē, Deumq; ne nos in tenebris relinqueret, eiuſmodi ſigna in fronte, totoq; ore ſponſæ ſuæ poſuiſſe, vt, ſi attentè contemplemur, facillimè eam poſſimus agnoſcere, quid iam infelici Caluino reſtabat niſi vt adulteraret ſigna, taliaq;, & tam communia afferret; vt, cum in multis Eccleſijs adeſſent; vel cum vnaquæq; ea ſibi adeſſe contenderet, ambiguum nobis fieret, planeq; incertum, quænam eſſet vera Eccleſia? intelligetis poſtea, auditores, quæ ego veræ Eccleſiæ ſigna in craſtinum diſtuli: iudicabitiſq;, an adeò propria Romanæ ſint, vt cuiquam alij con-

gre-

gregationi cōuenire nequeant. Sed interim, tu quid ais, Caluine? hic adſunt Anabaptiſtæ, Lutherani, Antitrinitarij, ſexcentiq; alij: præterea Hugonoti tui, & mei Catholici, & vnaquæq; harũ congregationũ ſe verã eſſe Eccleſiam aſſeuerat. at nos certè credimus, vnam tantùm eſſe poſſe, quæ vt à nobis facile noſceretur, certiſſima, clariſſimaq; ſigna dediſſe Deum, ipſiq; Eccleſiæ ſuæ tàm præcipua, tàm peculiaria, tàm propria; vt eadem ſigna nulla alia Eccleſia ſibi vendicare, arrogareue poſſit: aliter enim omnis noſtra fides, ſemper eſſet incerta. Sed nunc quæſo, Caluine, dic, qualia ſint, tuo iudicio, veræ Eccleſiæ ſigna. *Eccleſiæ forma notis hiſce continetur, nempè pura verbi Dei prædicatione, & legitima ſacramentorum adminiſtratione.* hæc ille Epiſtola ad Regem, & lib. 4. Inſtitutio. cap. 1. ſectio. 9. *Vbicunque Dei verbum ſincere prædicari, atque audiri; vbi ſacramenta ex Chriſti inſtituto adminiſtrari videmus, illic eſſe Dei Eccleſiã, nullo modo ambigendum eſt.* & ſectione 10. *Symbola Eccleſiæ dignoſcendæ verbi prædicationem, ſacramentorumq; obſeruationem poſuimus.* itaque notæ, & ſigna, quibus vera dignoſcitur Eccleſia, Caluini iudicio, nulla alia ſunt, niſi pura verbi Dei prædicatio, & iuſta ſacramentorum adminiſtratio. neque vllum ſymbolum ſcrutari oportet Eccleſiæ dignoſcendæ cauſſa, curandumuè aliud, niſi vt ſciamus, vbi verà doctrina prædicatur; & vbi ritè, legitimèq; ſacramenta miniſtrantur. nonne, decepti, res ſic ſe habet? nonne hoc ipſum vobis prædicatum eſt? ſine dubio prorſus. ſed, ò miſeri, artificium iſtius nõ apertè cognoſcitis, qui laborat, omnemq; dat operam, quò minus nota fiat Eccleſia? nõ cernitis, (ah quàm vicem veſtram doleo, quàm veſtri me miſeret!) vt in latebras ſe conijciat, talpa iſta, noctua, veſpertilio, lumini omni inimicus, & infenſus? cras auditores, cras, inquam, lucem aſpicietis: nunc verò quibus in tenebris verſamini? quis hic eſt

ex-

exponendi, ſiue docendi modus? niſi vt incertum declaretur per incertius? loquamur de doctrina tantum. nam de hac quicquid dicemus, id omne ad ſacramentorum adminiſtrationem pertinebit. Nemini dubium eſt, vbi vera doctrina eſt, ibi veram eſſe Eccleſiam. Sed qua ratione diſcernam ego veram à falſa doctrinam? cur enim nos tantopere laboramus, vt aperte conſtet, quæ ſit vera Eccleſia? profectò, vt intelligamus, quæ ſit vera doctrina; quoniam ipſa eſt magiſtra veritatis. ſed contrà, ſi nobis inuenienda eſt vera Eccleſia, per veram doctrinam, quibus irretiti laqueis tenemur, ex quibus nos vnquam expedire nequeamus? hæc nimirum inſignis doctrina perinde ſe habet, ac ſi quærendi cauſſa vbinam Epiſcopus habitet, ſciſcitaremur, vbi eſſet Epiſcopi domus, & reſpõderetur, ibi eſſe Epiſcopi domum, vbi habitat Epiſcopus. Simillima porrò ratione, vt intelligam, quæ vera ſit doctrina; quæro, quæ vera ſit Eccleſia; Caluinus verò fallax vt ſemper, reſpondet (aduertite, quantum id cupiat intelligi) ibi veram eſſe Eccleſiam, vbi vera doctrina eſt. Egregiam verò principij petitionem: talis namque eſt quæſtio, de gallina, & ouo; quodnàm extiterit prius. Sed fieri ne poteſt, ò infelices, quãdo ab iſtis impoſtoribus aſſeritur, Eccleſiam eſſe, vbi vera doctrina eſt, quin veſtrum aliquis continuò quærat, ſed vbi vera eſt doctrina? tunc enim cum neceſſarium eſſet reſponderi, ibi eſſe, vbi eſt Eccleſia, deprehenderetis omninò, quàm iſti fugiant, quàm latibula quæritent, iudicem euitent, Eccleſiam occultent, circuitus efficere conentur: ſic enim apud Dauidẽ, *In circuitu impij ambulant*. Poſſet etiam dici. *In tenebris ambulant*. nam clarum eſt, aduerſarios noſtros velle, vt ibi ſit vera Eccleſia, vbi ipſi dicunt veram eſſe doctrinam, quæ non ſolum prædicatur, ſed etiam auditur, & creditur: Et quiſnam ille eſt, qui ſcire poſſit, quibus in locis vera doctrina credatur? quòd

quòd ſi ad cognoſcendam veram Eccleſiam ſatis illis eſſet, vt hoc vnum ſcirent, vbi vera doctrina prædicatur; adhuc tamen in circuitu ambularemus, in tenebris verſaremur, &, quæ nota ſunt, per ignota nobis diſcenda eſſent. nam quot quot patres antehac catholice ſcripſerunt, non tam ex vera doctrina veram Eccleſiam; quàm ex vera Eccleſia veram doctrinam eſſe cognoſcendam affirmarunt. vt Ireneus lib. 3. cap. 4. & Tertullianus lib. de præſcriptionibus. & Auguſtinus contra Epiſtolam fundamenti cap. 5. item de vtilitate credendi cap. 14. denique omnes. quare ſi ex doctrina, vt hæretici fingunt, cognoſcere velimus Eccleſiam, perinde erit, ac ſi velimus maximè nota, vt i diximus, ex ignotis addiſcere. quod ipſum eſt tenebras effundere, in caligine verſari, in circuitu ambulare. *In circuitu impij ambulant*. reminiſcimini ne, ò catholici, pſalmi? (is vndecimus eſt.) *Saluum me fac Deus*. Et cum multis de cauſſis maxime eſt inſignis, tùm præſertim, quoniam Hugonoticæ hæreſi, quæ non multis abhinc annis in Gallia nata poſtea latius peruagata eſt, tâm apte conuenit, vt nihil magis. itaque quoties eum recito, quemadmodum propè obſtupeſco; ita, vt eum, qui breuiſſimus eſt, pauciſſimis verbis exponam, paulliſper mihi digrediendum eſt. attendite quæſo, an in eo contineantur ortus, principia, incrementa, intimi ſenſus, mores, perfugia, ſectæ iſtius turbulentæ, atq; nefariæ. proponite vobis Gallum hominem catholicum, inter tot Hugonotos ſe Deo commendantem, & dicẽtem; *Saluum me fac domine*. adiuua me, & ab hiſce hæreſibus purum conſerua: quæ, ò domine mi, cur in Gallia potiſſimum eruperunt? cur permiſiſti, vt prouinciam hanc Chriſtianiſſimam propè totam infecerint? *quia defecit ſanctus, diminuta ſunt veritates*. quoniam in Gallia ceſſatum eſt in bonis operibus, ea ratione, permittente Deo, imminuta eſt veritas, & defecit fides. vel *quia defecit ſanctus, diminuta ſunt veritates*. quoniam ſacerdotia, *Psal. 11*

dotia,

doctia, & Eccleſiaſticæ dignitates in indignos homines collatæ ſunt. iccirco hæreſes ortæ ſunt. ſed ipſæ quo pacto tàm latè diffuſæ ſunt? *quia vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximũ ſuum.* quia permiſſum eſt, vt vnuſquiſque, vt muliercula quælibet, atque ipſi etiam cerdones temere inter ſe de ſacris literis diſceptarent, quinam verò hæreſes diſperſerunt, hæreſes diſſeminarunt? *labia doloſa*. impoſtores ſanè, & fraudolenti homines. quo conſilio? *In corde, & corde*. duplici de cauſſa. quanam? *Linguam noſtram magnificabimus*. hæc vna eſt. altera verò, *quis noſter dominus eſt?* fautores enim hæreſis in Gallia fuerunt; partim eruditi homines ambitione æſtuantes; partim potentes, auaritia, & cupiditate impulſi; illi, quò doctrinæ, ingenijq; ſibi famam acquirerent; iſti, vt potentiam augerent, raperent, ditiones alienas inuaderent. iccirco dixerunt docti. *In corde linguam noſtram magnificabimus*. & potentes; *quis dominus noſter eſt?* rex adoleſcentulus eſt: regis mater fæmina. Sed tamen, ò domine, quibus modis poſſumus excitare te, & qua ratione defenſionem cauſſæ noſtræ ſuſcipies? *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum*. quoniam noſtri te miſeret, & precibus noſtris commoueris. Sed quo pacto nos ab aduerſariorum potentia tueberis? *ponam in ſalutari meo, fiducialiter agam in eo*. & aduerſus doctos, quibus armis nos indues, quæ tela ſubminiſtrabis? *Eloquia domini, eloquia caſta*. poſtremo qui finis huiuſmodi diſputationes conſequetur? is profectò, quem vſu venire vos intelligitis: iſtos nempe à veritate ſuperatos, elabi, fugere, circumuolui, ad cuircuitus redire. &, (vt reuertamur vnde diſceſſimus) cùm à nobis quæritur, vbi ſit Eccleſia; ibi dicunt eſſe, vbi doctrina eſt. rurſus, cum interrogamus, vbi ſit doctrina; reſpondent, vbi eſt Eccleſia: atque hoc pacto *In circuitu impij ambulant*. ſed nos fortaſſe paullo longius digreſſi ſumus: vos vero, ni fallor, aperte perſpicitis, deceptores iſtos id vnum contendere,

dere, vt Eccleſiam non dignoſcatis, cum ipſius dignoſcendæ ſigna eiuſmodi afferant, quæ ſibi quælibet ſecta vendicet, voſq. tàm inani ratione decipiant, vt ad Eccleſiam quærendam per doctrinam inducant, & doctrinam per Eccleſiam: Et, quod me angit magis, irrident etiam vos impij, & in errorem ſe traxiſſe gloriantur. Sed ad rem redeamus. Symbola, igitur, Eccleſiæ dignoſcendæ tu conſtituis, ò Caluinæ, *verbi prædicationem, ſacramentorumq. obſeruationem.* ibi Eccleſia eſt, vbi eſt vera doctrina; atq; hac maxime ratione vera Eccleſia reperitur. ſed paullatim quæſo. nam ſi notæ, & symbola ea ratione notæ, & ſymbola ſunt, quoniam illius rei ſunt propria, quam ſignificant; & nos rem per notas illas eatenus cognoſcimus, quòad certi ſumus, ijs notis ſolam eam rem ſignificari, quam proprietatem habere poteſt veræ doctrinæ prędicatio, cũ nullum ſit conuenticulum, quod huiuſmodi proprietatem ſibi non arroget? ſatis quidem ſcio, notam hanc tantùmmodo veræ Eccleſiæ conuenire: ſed ſi quælibet ſecta ſibi illam vſurpat, quo pacto eadem vtar ego ad euellendas falſas aduerſariorum opiniones? admirabilis Auguſtinus quàm bene hoc explicat aduerſus epiſtolam fundamenti. *Catholicam quidem Eccleſiam multis notis facilè cognoſci: ſed hæreticos, nihil habere, niſi veritatis pollicitationes.* nam hi omnes ſibi aſſumunt, ſe habere veram doctrinæ prædicationem, quæ ideò non poteſt eſſe ſufficiens Eccleſiæ nota, ea ratione, qua ab hæreticis introducitur, illa vero, o Caluine, ſi tuam Eccleſiam impreſſam, ſignatamque affirmabis, continuo quæram ex te, quid aliud aſſerit Lutherus, infenſus, & grauis inimicus tuus? quid aliud Melancthon, Germaniæ cothurnus? quid ineptus ille Gedeon Munſteri? quid Zuinglius, qui ad percipiendas doctrinas genio præceptore vtebatur? quid denique quot quot Lutherani, Semilutherani, Antilutherani, Sacramentarij, Euangelici reperiuntur? quod ſi horum quilibet in ſua Eccle-

ſia

ſia veram eſſe doctrinam affirmat, quo pacto potero ego per veram doctrinam vnam tantùm Eccleſiam reperire? quid Caluine reſpondebis? *hos omnes, vosq; alios* vnam eſſe tantum Eccleſiam. non ignoro ſectatores tuos, vbi cum catholicis diſputari contingat, hoc ipſum affirmare. ſed cauete, catholici, ne memoria vobis excidat, Caluiniſtas quandoque, neceſſitate compulſos, fateri, vnam eſſe tantùm omnium Euangelicorum Eccleſiam: cras enim faciam, ſpero, vt eos vnitatis iſtius temere conceſſæ maxime pœniteat. Interim differendi cauſa demus Euangelicos omnes vnam eſſe tantùm Eccleſiam. ſed, quæſo, Caluine, dic, es ne Arrianus tu? Manichæus, Pelagianus, Donatîſta? es tu quidem, & ego te talem eſſe, breui clariſſime demonſtrabo: ſed negabis ſine dubio: Et tamen quælibet harum ſectarum, quas dixi, ſe veram habere doctrinam conſtanter affirmauit. quomodo, igitur, vera doctrina ſignum erit Eccleſiæ dignoſcendæ tàm certum, vt illud aliæ hominum congregationes ſibi arrogare, aut vendicare non poſſint? nonne eras tu, ò Caluine, de èadem cum Ocello Eccleſia, cum eum anathemate percuſſiſti? nõne eras item cum Michaele Serueto, cum eundem ob inimicitias, quæ tibi cum illo priuatim intercedebant, hæreſis damnaſti, igneq; comburendum cenſuiſti ijs ipſis diebus, quibus in tribunal ſanctæ Inquiſitionis Romanæ Satyricis tuis ſcriptis inuehebaris, negabasq;, hæreticos debere, poſſeuè pæna ignis damnari? Et nihilominus iſtorum vterque ſe veram habere doctrinam contendebat. videas nunc, an facilius ſit veram doctrinam reperire, vbi vera ſit Eccleſia, an verò Eccleſiam veram, vbi ſit vera doctrina. niſi forte eò, tanquam ad ſacram anchoram confugias, dicaſq; veram Eccleſiam eſſe, vbi eſt vera doctrina, doctrinamq́; veram cognoſci, quando à ſcripturis nõ diſſentit. ſed attendite nouum circuitum, quem iſti afferunt. nam ſi ita aiunt, vti hæretici omnes ſemper affirmarunt, tunc

ego reſpondeo, quid ſi in aliqua doctrina contingat, vt dubitetur, vtrum ea cum ſcripturis conſentiat, an diſſentiat, quiſnā erit quæſtionis huius legitimus iudex, niſi Eccleſia? ſed iterum *In circuitu impius ambulat*. Vbinam eſt Eccleſia, Caluine? vbi eſt doctrina. doctrina ipſa vbinàm eſt? vbi cum ſcriptura concordat. an ea concordet nec ne, quis declarabit? Eccleſia. Eccleſia vbinàm eſt? rurſus reuoluimur eôdem. hanc certè vnam enunciationem negabunt iſti; in expoſitionibus ſcripturarum, veræ, an falſæ illæ ſint, Eccleſiæ iudicio ſtandum eſſe. Sed meminerit Caluinus, non modò Auguſtinum contra Epiſtolam fundamenti, omneſque vetuſtos patres ſemper auctoritatē ſcripturas eligendi, interpretandique tribuiſſe Eccleſiæ; ſed etiam eoſdem hæreticos, etiam noſtri temporis, ſæpenumero veritate victos iſtuc ipſum fateri coactos fuiſſe. id faſſus eſt Brentius in confeſſione Vitembergenſi cap. de ſcriptura. item Melancthon in locis cap. de Eccleſia. immo memoria repete, Caluine, à temet Eccleſiam appellari, fidelem verbi Dei cuſtodem Inſtitutio 4. cap. pri. paragrapho quinto. hinc enim argumentor. vti cuſtos nequaquam per theſaurum reperitur, ſed per cuſtodem theſaurus: ſic non ita clarè per ſcripturas Eccleſiam reperiri, ſicut per Eccleſiam ſcripturas. nam abſque dubio Eccleſiæ iudicio ſtandum eſt, & ab eadem ſcripturæ, & ſenſuum eius cognitio, diſtinctioque petenda eſt. quod ſi non fiat, omnia corruunt, omnia tenebris inuoluuntur: quod ego vobis, cum opportunum fuerit, apertiſſimè demonſtrabo. ſatis mihi ſit. illud in præſentia, ſi vos, ò decepti, diligenter animaduertatis, mei cauſſa, veſtriq; potius, quas Caluinus ineat, rationes, vt vobis Eccleſiam demonſtret: deprehendetis enim (mihi credite) ſpecie quidem eum oſtendere, ſed re uera, ut eam celet, & abſcondat, magnoperè laborare; nihilq; eum ſibi magis cauendum putare, quàm vt veram Eccleſiam quandoque cognoſcatis. Præterea,

quamuis illud etiam nobis fatendum eſſet, puram doctrinam certum eſſe Symbolum dignoſcendæ Eccleſiæ,putaret ne,bone Deus, Caluinus iſte, ſe per hoc ſignum docere poſſe,Eccleſiam ſuam veram eſſe Eccleſiam? ſperaret ne,me non clariſſimè probaturum, vel puram fuiſſe doctrinam Arrij,& Pelagij, & Manichæorum, & hæreticorum omnium,quot quot vnquàm fuerunt; vel Caluini doctrinam impuriſſimam, ſceleſtiſſimamq; omnium eſſe, quæ poſt hominum memoriam traditæ ſint?Sed conuitijs,auditores, abſtineamus: non enim ego Caluinũ odi, ſed doctrinam ipſius; eamq; odi, quoniam vos vehementer diligo. Nonne Caluinus docet,nullum ineſſe peccatum, origine contractum in infantibus,omneſq; naſci puros,& hæredes vitæ æternæ? certè: & tamen, teſte diuo Auguſtino, error Pelagij eſt. nonne affirmat,in homine non ineſſe liberam voluntatem, fieriq; nõ poſſe, vt præcepta obſeruentur? Diuus Hieronymus, ait,hanc eſſe falſam opinionem Manichæorum. nonne credit per baptiſmum peccata non remitti? Damaſcenus dicit, hanc eſſe impietatem Maſſilianorum. nonne apertè negat,baptiſmũ aquæ eſſe neceſſarium? hoc eſt erratum Seleucianorum. nõne irridet, contemnitq; ſacramentum Confirmationis? ſcelus Donati eſt. nonne inficiatur, in Euchariſtia eſſe re uera corpus Chriſti? praua eſt opinio Berengarij. nonne aſſerit,Euchariſtiã non eſſe Euchariſtiam,niſi in vſu? fallacia eſt Neſtorianorum. nonne improbat ſuffragia pro ſalute mortuorũ? error eſt Aetij. nonne Purgatorium tollit? inſania eſt Armenianorum,& Cattarorum. nonne miracula deridet? ſceleſta vanitas Porphirij eſt. nonne bacchatur contra imagines? furor eſt Iconoclaſtarũ. nonne honorem ſanctis adhibendum negat? impia eſt deliratio Vigilantij. nonne aufert virginitatis votum? ſceleſtum cõmentum eſt Iouiniani. nonne mentiri audet, Deum eſſe auctorem peccati? impietas eſt Simonis Magi. nonne in pſeudo ſynodo

nodo Loſanæ aſſeruit, verſiculum illum Athanaſij, *Alia eſt perſona patris, alia filij, alia Spiritus ſancti*, non ſibi arridere? præſtigiæ ſunt Paulli Samoſateni. Et, quamuis ſe bene ſentire de Trinitate ſimulet, attamen in conuenticulo Loſanæ, anno 1527. nonne apertè negat, verba illa Symboli Nicæni, *Deum de Deo, lumen de lumine*, dicitq; in eis battologiam ineſſe? non dixit, verbum hoc Trinitas ſibi non placere? nonne in confeſſione Geneuenſi, quamuis faſſus eſſet, filium eſſe æternæ eſſentiæ, nunquam tamen fateri voluit, eſſe conſubſtantialem patri? Et hoc quid aliud eſt, quàm apertiſſimè hæreſim Arrianam profiteri? o cloacam, ò ſentinam hæreſum omnium, quot quot vnquam fuerunt! Et in hac doctrina conſtituit puritatem Caluinus? & per hanc puritatem cognoſci vult veritatem Eccleſiæ ſuæ? Iàm ſatis intelligitis, ò decepti, quãuis admittenda mihi eſſent Symbola eius, quàm facilè poſſem illum ſuo ipſius gladio confodere, & Symbolis eiſdem clariſſimè probare, quiduis potius cenſendum, & appellandum eſſe Geneuenſem Eccleſiam, quàm veram Eccleſiam. Verum tamen hæc in aliud tempus reſeruo, atque in præſentia lætor, vobis notum eſſe, cùm is videri vult cupidiſſimus, vt Eccleſiam per doctrinam agnoſcatis, tùm maximè conari, magnopereq́ contendere, vt Eccleſiam abſcondat, atque iccirco vobis eiuſmodi ſigna proponere, quæ hæretici laborent, vt cuilibet eorum conuenticulo planè conuenire, propriaq; eſſe videantur. Ego verò, quoniam hodie docui, Eccleſiam Chriſti eſſe congregationem illam, quæ veram Chriſti fidem habet, atque hanc Eccleſiam optimè cerni, & cognoſci poſſe, ſed cognoſcendi Symbolum non illud eſſe, quod attulit Caluinus; cras, fauente Deo, id dilucidè, leniterq; demonſtrabo: & ea ſigna veræ Eccleſiæ dignoſcendæ vobis afferam, quæ continuò certa, præcipua, propriaq; eſſe Eccleſiæ catholicæ Romanę, vos ipſi fatebimini. abite felices.

DISCEPTATIO SECVNDA.

Qua probatur, vera ſigna dignoſcendæ Eccleſiæ eſſe quatuor hæc; Vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica. *probatur item, vt in ſecta Caluinica neque vnitas, neque firmitudo reperiri poteſt; ita Eccl. Romanam manifeſtè eſſe, & vnam, & ſanctam.*

QVI vel iuſtæ cauſſæ defenſionem ſuſcipiunt, vel quæ vera ſunt, docent; ſi cum defenſoribus iniuſtitiæ, mendacijq; magiſtris conferantur, duo potiſſimũ, iudicio meo, conſequuntur. alterum, vt ſemper audentiores; alterum, vt in tradenda doctrina ſemper clariores ſint. Et quidem quantum velit, conetur, qui ſibi conſcius eſt, ſe cauſſam iniuſtam defendere; fingat, diſſimulet, magnos ſpiritus præ ſe ferat; ſemper occultis intimiſq; conſcientiæ ſtimulis agitatur: neceſſariò timore exalbeſcit, vox hæret, os titubat, lingua vacillat, totius oris ſpecies metum arguit: &, quò audacior videri vult, eò manifeſtius formidat. quòd verò ad obſcuritatem pertinet, id contingit, quod heri dicebamus; nempè eos, qui falſa docent, tunc præſertim oportere ſe ſe abſcondere, cùm in luce verſari neceſſe eſt: neque celerius vnquam ſe in tenebras conijcere, quàm vbi ſpem afferunt, ſe apertè in arenam deſcenſuros. Caluinus, auditores (ingenuè ſemper loquamur) homo fuit non mediocri ingenio (vtinam rectè, probèq; vſus eo fuiſſet) mente vegeta, eleganti ſtilo, facultate dicendi egregia: qui multa tenebat, multa legerat; tàmetſi nulla erat doctrina, in qua magnopere excelleret: denique naturæ bonis non mediocriter ornatus. quæ omnia tàm firmum eum, tàmq; conſtantem, audenteq; reddere debebant in doctrina ſua, quã is videri vult. attamẽ

om-

omnium iudicio, qui ſcripta eius legerint, ſemper meticuloſus videtur, ſemper veretur, ne ſenſus ſuos detegat; & eorum more, qui in lubrico viæ gradiuntur, pedem figere nunquàm audet: perplexè ſemper loquitur: nihil certi affert, nihil ſtatuit: &, quæ ab eo proponuntur, ſemper varias exceptiones patiuntur. poſtremò ſemper hamum quendam occultat, quo incautos excipiat, ijsq; cum opus eſt, & neget, quæ paullo ante affimarat, & rurſus, quæ negauerat, affirmet. qua ratione? niſi quoniam optimè nouit, ſe iniuſtiſſimæ omnium cauſſæ patrocinium ſuſcepiſſe. quòd ſi iuſtas partes tueretur; vti eruditos viros facilè ſuperaret, ſic factus iniuſtitiæ patronus, etiam me ipſum, illos etiam, qui parùm dicendo valent, metuat, neceſſe eſt. in eundem item errorem delabitur, quòd ad docendi perſpicuitatem ſpectat. nam vbi ſcriptis ſuis vel aduerſus Anabaptiſtas, vel Lutheranos, vel alios hæreticos quandoq; aliquam veram enunciationem tuetur earum, quas ipſe non impugnat; dici non poteſt, quàm clarè, quàm diſtinctè, quàm dilucidè loquatur. rurſus, cùm hæreſes ſuas affert, & eas ſuadere conatur, quicquid dicit, confuſum eſt, & medijs, denſiſſimiſq; tenebris immerſum. certè in ipſo firmiſſimo rerum omnium fundamento iaciendo, quod eſt veræ Eccleſiæ cognitio, vt heri audiſtis, ſeipſum miſerrimè implicat, & turpes circuitus afferens, modò vult, vt Eccleſia ſit prædeſtinatorum congregatio, ne diſcerni queat; modò eam inuiſibilem facit, &, vbi veritate coactus concedit, ipſam viſibilem eſſe; eiuſmodi tamen ſigna diſtinguendæ, & declarandæ profert, quæ ſine dubio potius eam confundant, & obſcurent. ſed ipſe viderit: attendite verò vos, ò decepti, quantùm à vero falſum differat; & an noſtra lux ab eius tenebris diſtet. attendite, inquam, an ea ſigna Eccleſiæ dignoſcendæ, quæ vobis mox expoſiturus ſum, tantam ei claritatem datura ſint, vt, qui eam cernere noluerint, vel cæci planè futuri

 ſint,

ſint, vel oculos auerſuri, ne videant. O certa, ò vera, ò probatiſſima ſigna: vſq; eò, auditores, vt ex his quatuor, quæ vobis affero, duo ſumpturus ſim ab ipſis Apoſtolis: reliqua duo à trecentis, & duo de viginti Epiſcopis, in celeberrimo omnium concilio congregatis. prouiderunt Apoſtoli, quibus nota erant omnia, omnis fidei fundamentum ſine dubio eſſe veræ Eccleſiæ cognitionem: ſed ijdem proſpexerunt nequitia, & ſcelere nonnullorum multas fore congregationes, ex perditis, & ſeditioſis hominibus conflatas, quæ ſibi immeritò Eccleſiæ nomen arrogarent. quare duo certiſſima ſigna ſtatuerunt, quæ tantùm Eccleſiæ veræ conuenirent, non cuiquam alij: vt nempè ſola illa inter omnes congregationes eſſet & ſancta, & catholica: eaq; ratione in ſymbolo, in quo articulos fidei noſtræ in compendiũ redegerunt, his duabus notis veram Eccleſiam declararunt, dixeruntq;. *Credo, ſanctam Eccleſiam, catholicam*. quæ notæ, quamuis per ſe maximè eſſent idoneæ; tamen antiqui illi patres vehementer anxij, ſollicitiq; de hac veræ Eccleſiæ cognitione, primo concilio, quod poſt Apoſtolos Niceæ à trecentis, & decem octo Epiſcopis iàm mille ab hinc, & ducentis annis celebratum eſt, cum prius nonnullas particulas Symbolo addidiſſent, quibus hæretica Arrij opinio refelleretur; duo item alia ſigna addiderũt, quibus clarius dignoſceretur Eccleſia: hæc nempè, *Vnam, & Apoſtolicam*, dixeruntq;, *Credo in Eccleſiam* quidem, ſed *Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam*. Hæc verò quatuor Symbola ſunt, quæ vobis ego affero: non à me ipſo, ſed à concilio, & ab ipſis Apoſtolis: non ex meo ingenio, ſed ex Spiritu ſancto deprompta: non ore mei ſolius, ſed trecentũm, & decem octo patrum: non continuò poſt Caluini tempora, ſed iam inde ab ipſius Arrij ſeculo: non nunc, ſed mille ab hinc, & ducentis annis: non Rodulpho Imperatore, ſed Conſtantino Magno: non Gregorio XIII. Summo Pont. ſed Sylueſtro: non,

in-

inquam, nunc Roma vobis defero, ſed, à vetuſto vſque tempore, Nicæa Bythiniæ. inde verò ſatis apertè perſpicere poteſtis, quàm firmiter veritas hæreat, & quantis fundamentis innitatur: quod ipſum Caluinum torquet, angitq; vehementer. quamuis enim impudentia ſua non vſq; eò progreſſus ſit, vt Nicænum Symbolum negaret; nihilominus modò irriſit, modò lacerauit, modò auctoritatem adimere conatus eſt: & denique apertiſſimè oſtendit, ſi occultè, neque nudatis intimis conſilijs ſuis potuiſſet, quàm libenter illud, quàm auidè ſuſtuliſſet. qua ratione? niſi quia frænum quodammodo eſt hæreticorum omnium, hæc verba continens, *Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam*? & in eo lux eſt, & lapis eſt Lydius, ſiue Heraclius? & in eo perſpicitur, quænam vera ſit Eccleſia; & demum quia negari cum non poſſit res tàm clara, tàm probata, tàm recepta, neceſſariò fatẽdum eſt, hæc quatuor verba vera eſſe Eccleſiæ dignoſcendæ Symbola? inde continuò fit, vt ab hac parte nullus hæreticus ea ſuæ Eccleſiæ vendicare, tribuereuè poſſit: ab altera verò, vt omnes catholici concionatores, egoq; in primis hodie ſumma lætitia perfuſus exclamare poſſim, quænam, igitur, vera erit Eccleſia niſi Romana? quænam eſt enim Eccleſia toto terrarum orbe, præter Romanam, quæ & *Vna, & Sancta, & Catholica, & Apoſtolica* apertiſſime cognoſcatur? Sed vt ab vnitate incipiamus (animaduertite, auditores, me non loqui nunc de vnitate illa, quæ numeralis eſt; de qua heri dicebam, veram Eccleſiam eſſe vnam tantum; idq; pluribus ſacræ ſcripturæ locis oſtendebam; ſed de vnitate illa loqui, quæ ſic appellatur, quoniam ſui ſemper ſimillima eſt, & maximè æqualis; & quam tantopere commendabat Apoſt. Paullus, cum ad Epheſios ſuos ſcriberet, dicens, *Soliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis*.) atq; vt oſtendatur, quibus in rebus conſiſtat hæc vnitas, ab ipſius Paulli verbis non recedo, qui eadem Epi-

ſtola dicit, ad conſtituendam vnitatem huiuſmodi in aliqua hominum congregatione neceſſe eſſe, inter illos ſit, *Vna ſpes, Vnus Dominus, Vnum Baptiſma, & vna Fides*. quibus ſic ſe habentibus (nam omnino oportet, cum à Paullo Apoſtolo affirmentur) neceſſariò ſequitur, vt nos catholici has vnitates habentes, veram Eccleſiam habeamus: præter nos verò nullã alij Eccleſiam habeant, cum in eis vnitatum huiuſmodi aliqua non reperiatur. Et certè, quòd ſpectat ad vnitatem ſpei, vt cætera conuenticula omittamus, & de ijs tantùm modò loquamur, qui hodie Euangelici vocantur, verum quidem eſt, ſperare omnes, ſe vitam æternam conſecuturos; ſed tàm diuerſis modis plurimi eorum id varie ſperant, vt vnitas ſpei dici non poſſit, neq; vna ſpes appellari, eo modo, quo Paullus Apoſtolus appellat. nàm clariſſimè conſtat, non minus in Germania, quàm in Gallia, & pluribus alijs locis, præter alias diuiſiones, & varietates propè innumerabiles, hanc prætereà maxime vigere, vt vnus ſperet vitam æternam ſine merito operum. alius operum merito: ſic, vt etiam infantes complectatur. an vero in ijs eſſe poſſit vna ſpes, veſtrum ſit iudicium. Verùm propter hanc tãtam opinionum varietatem, & propter plures alias, quas paullo poſt demonſtrabo, iam præuideo quid mihi Caluiniſtæ reſponſuri ſint: nempe, non ſe laborare, quid, aut quomodo in Germania, Galliauè homines ſperent; neque ſe illarum opinionum defenſionem ſuſcepiſſe; verum ſatis ſibi eſſe, in Eccleſia Geneuenſi, atq; in ipſis Caluiniſtis eam, quam dixi diuiſionẽ, non reperiri; ſed omnes vnitati Paulli Apoſtoli ad Epheſios adhærentes, pari ratione, eodemq; modo ſperare. Siccine Caluiniſtæ? iàm non me latebat, vos ita reſponſuros. ſed tenetisnè memoria, dum heri diſſererem de illo fallaciſſimo ſigno, quod Caluinus afferebat, nempe per doctrinæ puritatem, ipſius iudicio approbatam, veram dignoſci Eccleſiam, diceremq;, eadẽ ratione vti quem-
libet

libet Euangelicorum,ſibiq; doctrinæ puritatem arrogare;eò me redegiſſe hominem, vt affirmare cogeretur,omnes Euangelicos ſimul vnam eſſe tantùm Eccleſiam? tum addidiſſe,fore,vt hodie,quòd illud affirmaſſet, eum magnoperè pœniteret? nunc iſtùc peruenimus: nàm ego ſic argumentor. Caluine,dicis,Symbolum eſſe veræ Eccleſiæ doctrinæ puritatem: ego verò id nego: nam & Lutherani, & Semilutherani, & Antilutherani, & Anabaptiſtæ, & vos Caluiniſtæ, & quicumq; eſtis alij doctrinæ puritatem habere vobis perſuadetis: hoc,igitur,eſſet incertũ docere per incertius. ad hæc quid reſpondes? certe euadere aliter non potes, quàm affirmando, vos omnes in Germania, & in Gallia ſimul eſſe vnam tantùm Eccleſiam. tunc ego; inter vos, qui vnius Eccleſiæ vos eſſe dicitis,eſt diuerſitas ſpei,de qua paullo ante dicebam: igitur inter vos non eſt *Vna ſpes*: igitur inter vos non eſt vera Eccleſia. quid dicis? te de alijs ſectis non cogitare, ſed de tua tantùmmodo ſolicitum eſſe? O ſtrenuum, ò præclarum militem! qui & ipſe ſibi cauet, & ſigna mutat;&,cũ opus eſt, vult eſſe de eadem Eccleſia cum Euangelicis; & rurſus, cum aliunde vrgetur, alias aufert,negatq; Eccleſias,& ſolam ſuã conſtituit. Ego verò hoc vtor dilemmate. ſi Geneuenſis Eccleſia, Lutheriq; vna eadem,& ſola eſt, cum Caluinus ſexcentis locis differat, falſamq; eſſe Lutheri doctrinam oſtendat; igitur in ea Eccleſia,quæ vna,& eadem eſt cum ipſius Eccleſia,doctrinæ puritas eſſe non poteſt: quam ipſe Symbolum eſſe veræ Eccleſiæ contendit. Atque ſi reliquæ Eccleſiæ tùm Lutheri, tùm aliorum prorſus ab Eccleſia Caluini differunt; profectò non erit certum dignoſcendæ veræ Eccleſiæ ſignum doctrinæ puritas: ſiquidem & Lutherus,& alij ſibi perſuadent,ſe eandem doctrinæ puritatem habere, idq; vt alijs perſuaſum ſit, propè decertant: vel hoc modo: ſi Caluini Eccleſia diſtincta eſt,atq; diuerſa ab alijs Euangelicis Eccleſijs,errauit heri Caluinus,qui, vt

meum

meum argumentum vitaret de perſuaſione doctrinæ; omnes Euangelicos vnam eſſe tantum Eccleſiam affirmauit. Si verò Euangelici omnes vna tantùm Eccleſia ſunt; perperàm hodie Caluinus facit: qui,vt argumentum meum euitet de varietate ſpei, affirmat,ſuam Eccleſiam eſſe ſolam,ſecerniq;, & diſtingui ab omnibus Euangelicis Eccleſijs. ò veritatis vim, ò tricas, & compedes,& laqueos eorum, qui falſum tuentur! ſed etiam ad clariora veniamus. Et quoniam probatur, in iſtis non eſſe ſpei vnitatem (non enim eſt *Vna ſpes*) videamus item, idq; ſine labore vllo,eos nulla ratione ſibi poſſe perſuadere, *Vnum eſſe Dominum*. Alloquamur verò ſiue Lutherum, ſiue Zuinglium, aut Oecolampadium, vel Bucerum,vel alium quemlibet: hoc enim vno inter iſtos omnes conuenit, vt Papam malè oderint, & caput viſibile Eccleſiæ negent: Et tamen Eccleſia ſemper appellatur *Regnum:* non Politia, nõ Ariſtocratia. & regimẽ vnius præſtantius eſt cæteris omnibus: ideoq; æquum videtur, vt quod eſt præſtantius,id Eccleſiæ tribuatur. Et Petro dictũ eſt; *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: paſce oues meas: conuerſus confirma fratres tuos*. Et ſexcentis rationibus, ac teſtimonijs, quæ afferam, quando de hoc ſancto primatu tractabo, manifeſtè probatur oportere in Eccleſia ſemper eſſe caput vnum viſibile. ſed in præſentia id tantùmmodo dicam, Paulum Apoſtolum ad Epheſios vnitates eas referre,quas habere Eccleſiam oporteat, aperteq; dicere, oportere in ea eſſe *Vnum Dominum*. quid ad hæc dicitis Caluiniſtæ? fateri quidem vos dicetis neceſſe eſſe, vnum eſſe Dominum, ſed hunc dominum Deum eſſe, vel Chriſtum affirmabitis. ò miſeri,quantùm fallimini! Nàm, ſi de Deo intelligatur, non animaduertitis eandem Chriſtianorum Eccleſiam communem fore cum Hebræis,& Turcis? iſti enim vnum ſolùm caput ſe habere Deum profitentur. Si verò ad Chriſtum referatur; erit igitur vna tan-

tùm Eccleſia Arrianorum, Macedonianorum, Manichæorum, Pelagianorum, veſtrum omnium,& noſtrum,quoniam vnum Chriſtum omnes confitemur. præterea,nonne monſtri ſimile eſſet,ſi corpus aliquod viſibile inuiſibile haberet caput? iàm ſupra demonſtratum eſt,Eccleſiam eſſe viſibilem: oportet igitur, præter caput ſuum præcipuum Chriſtum, qui inuiſibilis eſt, caput præterea habeat vicarium in terris, qui ſit viſibilis. Atq; is eſt,de quo Paullus Apoſtolus loquitur, *Vnus Dominus*. quod quàm verum ſit teſtatur aduerſus Iouinianum diuus Hieronymus; qui, vt oſtendat, vnitatem Eccleſiæ contineri in vnitate etiam huius viſibilis capitis ait, *Vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Itaq; ſine capite viſibili Eccleſia non eſt vna: quod perinde eſt, ac ſi dicas, Eccleſiam non eſſe Eccleſiam. at Euangelici,præſertim Caluiniſtæ,ea ratione opinantur, ſe veram Eccleſiam habere, quia viſibile caput non habent. ſed ego hoc modo argumentor. illa vera eſt Eccleſia,quæ eſt vna: hoc Concilio Nicæno traditur: ad vnitatem conſtituendam neceſſe eſt, eſſe *Vnum Dominum* (doctrina eſt Pauli Apoſtoli) hic *Vnus Dominus* debet eſſe viſibilis, vt Diuus Hieronymus affimat: igitur vos, qui capite viſibili caretis, non habetis veram Eccleſiam,ſed eam profecto habemus nos, qui Romæ viſibile caput habemus. Si quis verò cognoſcere cupiat,vnitatem domini veram eſſe notam, atque ſolam illam Eccleſiam habitam fuiſſe veram, quæ cum capite hoc,& domino viſibili, qui Papa eſt,nec non cum Romana Eccleſia coniuncta eſſet;veterum patrum omnium libros euoluat, & id paſſim teſtatum inueniet. nam Ireneus 3. cap. 3. apertè dicit. *ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſſe, omnem conuenire Eccleſiam*. Cyprianus lib. pri. epiſt. 3. *Et ad Petri cathedram, atque Eccleſiã principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt*. Ambroſius de obitu Satyri. *rogauit, ſi cum Epiſcopis catholicis*

cis, ideſt, ſi cum Romana Eccleſia conſentiret. Hieronymus epiſt. ad Damaſum de hypoſtaſis nomine. *Si quis cathedræ Petri iungitur meus eſt*. & alia epiſt. ad eundem Damaſum. *Beatitudini tuæ, ideſt cathedræ Petri conſocior*. Optatus Mileuitanus lib. 2. cōtra Parmenianum probat, Donatiſtas non fuiſſe membra veræ Eccleſiæ, quoniam cum Siricio coniuncti non erant, qui tunc erat Summus Pontifex. Auguſtinus epiſt. 172. *ille eſt in vera Eccleſia, qui ſe ſciat, Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus, per communicationis litteras eſſe coniunctum*. Leo Papa epiſt. 87. appellat illum *exortem miniſterij diuini, qui auſus ſit à Petri ſoliditate recedere*. quòd ſi auctores hi, & alij ſexcenti id teſtimonio ſuo non confirmarent, experientia ipſa doceret. quemadmodum enim cuiuſuis arboris ramus, ſi à trunco excindatur, à radicéue ſeparetur breuiſſimo ſpatio temporis areſcit; ſic quæcunque celebriores Eccleſiæ vel Aſiæ, vel Africæ ab Eccleſia Romana ſchiſmate receſſerunt, atque hanc vnitatem cum viſibili domino ſciderunt; breui concilijs, & doctoribus, & ſanctis, & miraculis orbatæ, altiſſimis ignorantiæ tenebris ſubmerſæ ſunt. certiſſimum igitur eſt, ad conſtituendam veram Eccleſiam neceſſariam eſſe vnitatem, & per vnitatem, vnum dominum. ſequitur *Vnum Baptiſma*: de quo breuiter agam, quoniam ad alia, quæ magis vrgent, animus feſtinat. itaq; non dico, auditores, baptiſmum hæreticorum iterandum eſſe: immò certò ſcio, ſi adhibeatur materia, & forma, eo propoſito, vt id fiat, quod facit Eccleſia, non referre, à quo baptiſma conferatur, ad hoc vt validum cenſeatur. Scio præterea, quando hæretici cum materia, & forma, & illo propoſito baptizant, eos vti baptiſmate, quod ſine dubio *Vnum eſt* etiam nobis. ſanè illud affirmare licet, in Euangelicorum ſectis, quæ propè innumeræ ſunt, à plurimis pro vero baptiſmate adhiberi ineptas, & inanes cærimonias, quæ vera baptiſmata appellari

non

non poſſunt; & ea ratione in omnibus illis non datur *vnum Baptiſma*. præterea illud Solis luce clarius eſt, inter illos etiam Anabaptiſtas contineri, vndecumq; ij pullularint, ſiue à Luthero, ſiue à Zuinglio, qui,vt nomen ipſum indicat, iterant baptiſma: iudices eſtote vos,an inter illos baptiſmi vnitas reperiri poſſit. ſed quid mea de alijs? dicit Caluinus, ſatis eſt,Eccleſiam meam Geneuenſem in hoc errore non verſari. atqui tu,vt ſoles, continuò ſententiam mutas, & à malitia non diſcedis. quid enim heri affirmabas? Præterea,ſi baptiſmus tuus, ò Caluine, vt affirmas, peccatum non delet,ſed id tantùm præſtat,vt non aſcribatur; certe non eſſet vnus ille baptiſmus, qui in Eccleſia vnitatem facit; ſi quò ad effectum,quem tu dicis, conſideretur. Sed de his plura, cum de peccato originali loquemur. verum ad alia tranſeamus: *Vna fides*. hinc certè, (ni fallor) Caluinus non euadet. Sed interim (immortalis Deus!) fierine poteſt, vt vos, ò decepti, ſaltem hoc indicio dolos, & fraudes iſtorum non ſenſeritis, cum cerneretis, in ipſis tantam fidei, tàmq; multiplicem, diſſimilemq; varietatem? O magnã perturbationem! ò cõfuſionem miſerrimam! non loquamur nũc de totis prouincijs,de Britannia,de Germania,de Gallijs. omittamus etiã ciuitates ipſas. quoties quæſo in eadem domo hoc pater credit, illud filius? vnum maritus,aliud vxor? hoc modò frater, diuerſo ſoror? aliter ſeruus,aliter dominus? amplius dico, idem vir, eadem mulier,quoties,quæſo,à ſe ipſis diſſentiũt, & ſententiam mutant? &, quod deterius videatur, ijdem ipſi, qui docent,vt varij ſunt? vt à ſeipſis diſcrepant? Lutherus quoties in Sacramentorum numero variauit? Caluinus ipſe quoties de Euchariſtia opinionem mutauit? Auguſtana confeſſio ter ſaltem immutata eſt. & de ciuitate Vuittembergenſi dicere ſolebat Saxoniæ Dux; *Neſcio quid hoc anno credant, quiduè anno proximè futuro credituri ſint vicini mei Vuittembergenſes*. ſuperbiſſimi

biſſimi Gigantes: turris Babellis propriè dici poteſt hæc Euangelicorum Eccleſia, conſtructa,erectaq; ab inſolentiſſimis, elatiſq; Gigantibus aduerſus puriſſimum Eccleſiæ Romanæ cælum. iuſtè igitur debitam tanto ſceleri Deus pœnam intulit Gigantibus iſtis ita permittens *confundi labium*, vt alter alterius linguam non intelligat,& vniuerſi, quot quot ſunt,variè loquãtur Lutherani, Semilutherani, Antilutherani, Lutheroſiandriani, Lutherozuingliani, Lutheropapiſtæ, Miricani, Oriandriani, Stancariani,Pfeffingeri,Muſculani, Melanchthonici. rem certè ridiculam, niſi ſtomachum faceret. Videte, an Gigantes deſint, quibus omnibus Deus *confudit labium*. itaq; cum de ſola Euchariſtia tractatur, alij dicunt, *corpus Chriſti adeſſe*: alij, *ineſſe*: nonnulli, *ſubeſſe*, hi, *eſſe cum pane*: illi, *ſub pane*: iſti, *circa panem*: multi ſacrificium Miſſæ latina lingua celebrant, plurimi materna; neq. deſunt,qui etiam Græca. vnus apparatu Eccleſiaſtico vtitur: alius prophano veſtitu. Miſeram Germaniam! quæ enim hæc eſt fidei vnitas? quo iure dicetur, *Vna fides?* Sed tu,Caluine,quid dicis? concediſne,inter iſtos eſſe diuerſitatem fidei? concedes ſine dubio: negare enim non potes; cum adhuc circumferantur libri tui,referti caninis,(idem enim eſt, quod Caluinicis) contumelijs aduerſus iſtos, quos paullo ante nominaui,qui tamen omnes Euangelici ſunt. reſpondebis fortè,ſi cæteræ Eccleſiæ vnitatem fidei non habent, tuam ſaltẽ Eccleſiam habere. Sed cuiuſnam,quæſo,Eccleſiæ te eſſe profiteris? nonne Euangelicus es? eſſe te quidem,reſpondes, ſed ex vna tantum Euangelicorum ſecta. igitur Eccleſia Euangelica diuiſa eſt in ſectas? ſed ſi diuiſa eſt,quo pacto erit Eccleſia? ignoſco tibi. Sed tandem cuius ſectæ es tu? ſacramentariæ dices: ò te miſerum! hæccine illa eſt, in qua eſt *Vna fides?* ita me Deus amet, auditores, ſi vnquam in aliqua horum Gigantum ſecta, in hac in primis, & præcipuè deus *confudit labium*. Ca-

pia-

piamus caput illud ſolum Euchariſtiæ, de his tantummodò verbis loquamur, *Hoc eſt corpus meum*; deinde quæ ſit vnitas fidei, cognoſceris. nam Caroloſtadius dicit, *Hoc eſt corpus meū, ideſt, Hoc, quod aßidet menſæ*. Zuinglius, *Hoc eſt corpus meum, ideſt, Hoc ſignificat corpus meum*. Oecolampadius, *Hoc eſt corpus meum, ideſt, Hoc eſt ſignum corporis mei*. Bucerus, *Hoc eſt corpus meum, id eſt, Hoc eſt memoriale beneficiorum meorum*. Ioannes Laſcus, *Hoc, ideſt, tota hac actio cenæ, eſt corpus meum*. Suuinefeldus, *Hoc eſt corpus meum, id eſt, Corpus meum eſt hic.* quid vultis amplius? Eraſmus Albericus ſcribit, vnum Laſcum duodecies variaſſe ſententiam in expoſitione horum verborū. & Lutherus in ſermone, quem habuit Aganoæ anno 1527. de ſacramento affirmat, opiniones ſacramentariorum eſſe infinitas. & tu, Caluine, contendere audebas in tua Eccleſia ſacramētaria *vnam eſſe fidem?* quid nunc dices? Eccleſiam tuam in cæteris ſacramentarijs non contineri, ſed eſſe Caluiniſticam ſolā? inſulſa certè reſponſio: tibi enim interim vnam Eccleſiam cōponis, atque conſtituis, quæ à te ipſo pendeat, & in te ſolo nitatur. Sed Eccleſiam Geneuenſem ſolam nonne deluſit Petrus Richerius? nonne irriſit, Caluine, ſimilitudinem illam tuā Solis, per quam facis, vt ſubſtantia corporis Chriſti, veluti Solis radius, è cælo deſcendat? Præterea in tua ſola Geneuenſi Eccleſia nonne aliqui credunt, in Euchariſtia comedi panem ſolum? alij verò comedi corpus Chriſti imputatiuè, alij comedi ore fidei? O miſeram Babellis confuſionem! quid impurius? quid turbidius? atqui vnum tantùm caput attigimus: quid ſi nobis de alijs tractandum eſſet? nonne ridiculum eſt, vt hoc euitent, Chriſti corpus locum non occupaſſe, eo Euangelij loco, qui habet, Chriſtum ianuis clauſis intraſſe, & ad Apoſtolos perueniſſe? Zuinglius vult, per rimam intraſſe; Caluinus apertis foribus; & Petrus Martyr, per feneſtram. his igitur rationi-

bus

bus erit, o decepti, in Caluiniſtarum Eccleſia *vna fides?* nequaquam verò, auditores, quò ad omnia; neque pariter erit *vna ſpes*, neq; *vnus Dominus*, neq; *vnum Baptiſma*. itaqe à primo ad poſtremum, ſi vbi hæc quatuor non reperiuntur, ibi nō eſt vnitas, vt Paullus Apoſtolus affirmat; & vbi non eſt vnitas, ibi non eſt Eccleſia, vt habent Symbola Apoſtolicum, & Nicænum; certè iudicio Paulli, & trecentûm, & decem octo Epiſcoporum, & Apoſtolorum omnium ſine vllo dubio inter Caluiniſtas vera non eſt Eccleſia. Vera, igitur, Eccleſia eſt Romana; quæ vna eſt; in qua omnes eodem modò ſperamus: omnes eodem modò baptizamus: omnes eundem dominum viſibilem habemus: omnes in eadem fide manemus. ò pulchram, ò ſanctam vnitatem! in omnia propè climata, in omnes oras diffudit hæc arbor glorioſa ramos ſuos. Adueniat nunc catholicus aliquis etiam ab extremis terræ partibus, vel ab ortu, vel ab occaſu Solis, vel ab vltimis Aethiopiæ finibus: vel è Britannia, aut ab ipſo polo arctico, ſub quo multos habitare catholicos, compertum eſt: interrogentur ſinguli ſeparatim: quid quiſq; reſponderit, conferatur; nihil eſt diſſimile, conuenit inter omnes, *Terra eſt vnius labij, Terra eſt vnius labij*. deniq; dicent omnes. *Credo vnam Eccleſiam*. Vna enim eſt: in qua, *vna fides, vna ſpes, vnus Dominus, vnum Baptiſma*. talis eſt ſola Romana Eccleſia. igitur vno Symbolo iam reperimus Eccleſiam. Sed aliquantulum quieſcamus.

ALTERA PARS.

ILLVD profectò euenire ſolet, auditores, cum tabulæ multæ publicè propoſitæ ſint, quarum vna ab eximio, & præſtantiſſimo artifice depicta ſit, reliquæ verò à rudi pictore, vt, ſi quis fortè pertranſiens, primò non animaduertat, neq;

diſcernat, quantùm illa reliquis præſtet; vbi tamen redierit, & diligentius intueatur, non modò quaſi magnum Solem inter minora ſidera conſpiciat, verùm etiam propemodum obſtupeſcat, quòd eum principio non conſpexerit. Multæ ſunt, ſi memoria tenetis (paullò enim ante dicebamus) quæ appellantur Eccleſiæ: atq; cunctæ viſibiles ſunt: ſed in his omnibus, cũ reliquæ congregatæ, & conſtructæ ſint non ſolùm ab ineptis hominibus, ſed etiam ab ipſo Diabolo; vna ſola elucet, non modò à viris præclaris, verùm etiam ab ipſo Deo conſtructæ. Et tamen, ò decepti, cum illac tot præteritis annis iter faceretis, ſocordes, propeq; oſcitantes, nondum intellexeratis, quantùm illa ab alijs differret, quàm diſſimilis eſſet: hodie verò vno ſigno, quod vobis attuli, fieri non poſſe mihi videtur, quin iam animis veſtris eam cernatis. afferemus item alia: præſtabimuſq; (modò nos Deus adiuuet) vt poſteà quàm hodierna, & craſtina diſceptatione diſtinxerimus Romanã Eccleſiam hiſce quatuor notis, *vnam, ſanctam, catholicam, & Apoſtolicam*; vos ipſi, vt ſpero, admiremini, adeò tardos, tàmq; hebetes fuiſſe, vt illam veram eſſe Eccleſiã non intellexeritis. mirabimini etiã, in tot quaſi Eccleſiæ tabulis, & imaginibus vos diſcernere non potuiſſe; alias adumbrationem habere ambitionis, hanc ſalutis: cæteras fallaciæ colores, hanc puritatis: reliquas lineamenta perpaucorum annorum, hanc longiſſimorum ſæculorum: cunctas alias quaſi lineas exigui terræ ſpatij, hanc totius orbis: omnes illas fraudum, & inſidiarum vmbram, hanc ſanctæ ſolitudinis; cæteras ſpeciem pietatis præ ſe ferre, hanc pietatis faciem habere expreſſam. deniq; reliquas à Diabolo depictas, hanc à Chriſto. Diabolum impuris ſuis facibus pro penicillo vſum fuiſſe; Chriſtum ſanctæ ſuæ Crucis penicillo depinxiſſe: Diabolum teterrimo, turpiſſimoq; Stygiæ paludis atramento, Chriſtum regia purpura ſui precioſi ſanguinis. ò

aurora, ò aurora! *Quaſi aurora conſurgens:* quàm clarior paullatim euadit ſemper ſancta Eccleſia! iam de vnitate tractauimus, nunc de ſanctitate loquamur. *Credo vnam ſanctam:* & Petrus Apoſtolus hoc eodem nomine vſus eſt, *Vos eſtis genus electum, gens ſancta.* Epitheton adeò proprium, adeò congregationi huic congruens, vt eo dempto, tollatur etiam congregatio: & ſublata iſta congregatione, non ſit epitheto locus: quoniam extra veram Eccleſiam non eſt ſanctitas: & ſine ſanctitate non eſt vera Eccleſia: vbi enim eſt ſanctitas, ibi eſt Eccleſia: & quicunque eſt in Eccleſia, ſanctus eſt. Verùm, cum paullò ante affirmarim, dummodò in Eccleſia eſſent fideles, poſſe etiam iniuſtos ineſſe; & in Eccleſia etiam reprobos contineri, & hæreſim Anabaptiſtarum, & Donatiſtarum eſſe; ſi quis affirmaret, in Eccleſia ſolos ſanctos eſſe; qua ratione nunc de ſanctitate Eccleſiæ verba faciens, affirmare audeo, omnes, qui in Eccleſia ſunt, ſanctos eſſe? vt nodum hunc expediamus, auditores, diſtinguendum eſt. nam Anabaptiſtæ medicinam in venenum conuertentes, cum hac ſanctitatis nota ab Apoſtolis ipſis inuenta, vti deberent ad dignoſcendam veram Eccleſiam, contrà penitus ad Eccleſiam ipſam permiſcendam, eiusq; naturam immutandam ſunt vſi: atque hoc modo argumentati ſunt. ſi Eccleſia ſancta eſt, non igitur inter ipſius mēbra connumerandi ſunt peccatores. dementes: quis enim patrum à Chriſti temporibus in hunc vſq; diem hoc modo expoſuit, aut interpretatus eſt ſanctitatem Eccleſiæ? iam in ſuperiore diſceptatione multis rationibus, & ſimilitudinibus, & ipſius Paulli Apoſtoli auctoritate apertè demonſtrauimus, congregationis huiuſce vinculum veram eſſe fidem: & quemlibet, quamuis maximum peccatorem, ſemper in Eccleſia eſſe, dummodò non erraret in fide. nunc de his verbis, *ſanctam Eccleſiam,* dico, non iccirco Eccleſiam ſanctam eſſe, quia quilibet fidelis

fidelis Eccleſiæ ſanctus ſit (hoc enim modo nullus patrum vel Latinus, vel Græcus hæc verba vnquam expoſuit) ſed multas alias interpretationes, eaſq; ſolidas, & veras recipere: in quibus illa eſt, Eccleſiam ſanctam eſſe, quoniam eſt Deo conſecrata: & quodlibet ipſius membrum per veram fidem Deo conſecratum eſt, eadem conſecrationis ratione, qua in antiqua lege vaſa etiam ſanctuarij, & ſacerdotis veſtes ſanctæ vocabantur. quare, vti vaſa Sanctuarij, ò Anabaptiſtæ, ſi quis ijs abuſus eſſet, tamen propter dedicationem ſancta dicebantur; & ſicut opifices, quamuis interdum artis ſuæ præcepta non obſeruent, & præter eam operentur, nihilominus non deſinunt eſſe opifices; ita fideles, quoàd fideles fuerint, quamuis millies ab ijs operibus, quæ Deo grata ſunt ceſſent, & in peccata mortifera delabantur; attamen hoc ſenſu appellari ſancti non deſinunt. *Sanctam Eccleſiam*. alio modo exponitur in Cathechiſmo ad Parochos. *Sancta etiam dicenda eſt, quòd veluti corpus cum ſancto capite Chriſto Domino, totius ſanctitatis fonte, coniungitur: à quo Spiritus ſancti Chariſmata, & diuinæ bonitatis diuitiæ diffunduntur*. Et diuus Auguſtinus eodem etiam modo hoc verbo ſanctitatis vſus eſt ijs verbis, *Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum*; cum dixit, *Audeat, & Chriſti corpus: Audeat, & ille homo, clamans à finibus terræ, cum capite ſuo, & ſub capite ſuo dicere, Sanctus ſum; accepit enim gratiam ſanctitatis, gratiam baptiſmi, & remiſſionis peccatorum*. Præterea multi ſancti patres affirmarunt, ea ratione ſanctam eſſe Eccleſiam, quoniam in ea doctrinæ, & ſacramentorum ſanctitas reperitur. Verùm ego, quamuis probè ſciam, eſſe Deo dicatam, & coniunctam cum Chriſto, & veram habere doctrinam; attamen nullam ex ijs ſignificationibus accipio, quotieſcunque ſtatuo verbum hoc,

Sanctam, Symbolum eſſe veræ Eccleſiæ. nolo enim, vt mihi vel iure, vel iniuria, obijci poſſit, me Caluinico more circuitibus vti, aut ambigua afferre, vel tenebras offundere. nam ſi dicerem, Eccleſiam Romanam hiſce priuilegijs, & muneribus inſignatam eſſe, aliæ item ſectæ fortaſſe ſibi eadem arrogarent. quare ſanctitatem Eccleſiæ ita interpretor, vt neminem adeò impudentem fore putem, qui non continuò fateatur, in omnibus Eccleſijs, quæ viſibiles ſint, ſolam Romanam eſſe ſanctam: atque hic ſenſus non ſolùm non erit à me detortus; vel eius verbis aliqua vis facta, ſed etiam vobis ipſis iudicibus erit omnino purus, & proprius; cum non aliunde, quàm ab ipſa ſignificatione vocis, hauriatur. vnde enim deriuatur adiectum hoc, *Sanctus, Sancta, Sanctum*, niſi à verbo, *Sancio, Sancis?* illud verò quid ſignificat, niſi firmo, ſtabilio, conſolido, vel quid ſimile? & hoc ſenſu accipientes *Sanctam*, id eſt corroboratam, ſtabilitam, firmam, apertè dico, hoc eſſe verum, & certiſſimum Eccleſiæ Symbolum; illamq; ſolam in omnibus viſibilibus Eccleſijs veram eſſe, quæ ſancta eſt; id eſt à Chriſto ita corroborata, & confirmata, vt quamuis poſt eiuſdem in cælum aſcenſum plures, eoſdemq; acerrimos impetus pertulerit, nunquam tamen conciderit, neq; labefactata ſit: immò etiam futuris temporibus ſemper in eodem ſtatu ſit permanſura.

Hoc igitur modo *Credo Eccleſiam*: non ſolum *vnam*, ſed *ſanctam*. O munus præclarum, ò priuilegium admirabile ipſius Eccleſiæ, vt ſancta ſit; id eſt, adeò firmata, vt nulla res poſſit eam proſternere, vel impellere; & ſemper permanſura ſit! Et quidem nunquam fallunt, nunquam vanæ ſunt promiſſiones, quæ ab ipſa ſoliditate, veritateq; proficiſcũtur. Chriſtus, auditores, prædixit, conciſurum eſſe templum Hieroſolymorũ; & ecce

Non

Non remanſit lapis ſuper lapidem. Eccleſiæ vero ſuæ dixit, donec maneret Mundus, mãſuram eam: & ecce cùm Mundi diuturnitate, & ipſa diuturna eſt. Et quidem Iudæi, ſummis olim regibus chari, maximorum principum amici, ſummo apud omnes in honore, fauoreq;, bello fortes, in armis exercitati, opibus affluentes, omnem operam, omnem vim eò contulerunt, vt iterum templum ædificarent, neq; conſequi potuerunt. Nos verò Chriſtiani, præſertim primis illis temporibus, egentes, mendici, deſpecti, exterminati, exules, damnati; tamen ſine vi, ſine ſumptu, toto terrarum orbe amplificamus, diffundimuſq; ſanctam Eccleſiam; adeò verum, & firmum, & certum eſt, quod ipſe Chriſtus affirmauit, dicens. *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*. ò promiſſa diuina! ò promiſſa ſtabilia! *Iuraui Dauid ſeruo meo, vſq; in æternum præparabo ſemen tuum. elegit Dominus Syon, elegit in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſæculum ſæculi. Sicut audiuimus, ſic vidimus, in ciuitate Dei noſtri Deus fundauit eam in æternum. Mittam ſpiritum veritatis; vt maneat vobiſcum in æternum. Ego vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſæculi*. an vobis deeſſe videntur perpetuitatis, & æternitatis promiſſa, à Deo facta Eccleſiæ? itaq;, ſi quis eſt tàm impudens, arroganſq;, qui conuenticulum aliquod, tribus ab hinc diebus exortum, appellare audeat veram Eccleſiam; grauem profectò nimis contumeliam, & iniuriam Chriſti promiſſionibus, & vetuſtati ipſius Eccleſiæ facit: quæ eo nomine iuſtè indignata, quòd numero tàm exiguo claudantur anni ſui, de illo, qui id facit, iure conqueri, & exclamare poteſt, *Paucitatem dierum meorum annuntia mihi*. veluti dicat, ò Caluine impie, ò fili olim, nunc verò perduellis, & hoſtis immaniſſime, ego, ego, inquam, te peperi, ego te educaui, ego in ſinu meæ pietatis te collegi, tot annis te geſtaui; ego tàm longo tempore meæ doctrinæ gremio te fo-

ui; ego tibi geminis vberibus vtriuſq; mei teſtamenti, *tanquā paruulo, lac dedi:* in ijs poteras tu facilè tot verbi promiſſionibus erudiri, perdiſcereq;, me à prima Mundi origine incæpiſſe, nunquam deſijſſe, neque aliquo tempore deſituram. nunc tot beneficiorum immemor, & ingrate fili, ſi æternitatem meā didiciſti, cur illam ad dies tàm paucos redigis? quare comminiſceris, quare fingis, me heri tantum ortam eſſe in Geneuæ montibus, in Sodomæ lacunis, in fluminibus Babellis? vnde tu, vnde breuitatem hanc dierum meorum hauris? *Paucitatem dierum meorum annuntia mihi.* non poteſt, auditores, niſi falsò annũtiari paucitas dierum Eccleſiæ: quæ ſemper fuit, & perpetùò manebit. Et quamuis Chriſtus apud Lucam cap.xviij.
Luc. 18. dixerit, *Verumtamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* id tamen non intelligitur fore, vt omninò vera fides defutura ſit (hoc enim modo nuſquam eſſet Eccleſia) ſed vel ſignificat, eo tempore non repertum iri perfectam fidem (ſic expoſuit diuus Auguſtinus *De verbis Domini*) vel, quoniam ob magnum infidelium numerum tunc propè nō videbitur adeſſe fides: ita Theophilactus interpretatur. vel reſpondetur, non affirmantem, ſed interrogantem Chriſtum id dixiſſe. Eccleſiæ ſanctitas in ſua ipſius perpetuitate continetur, atq; in fortitudine, qua ſemper ita præſtitit, vt omnes infidelium, & hæreticorum impetus reprimeret, & frangeret. *Portæ inferi, Portæ inferi non praualebunt aduerſus eam:* atq; hæ portæ inferi nihil ſunt aliud, quàm hæreſes, vt ait Cyrillus in Theſauro: vel generatim omnes oppugnationes aduerſus ſanctam Eccleſiam. quare iam certi ſumus, ſanctitatem cum Eccleſiæ Symbolum eſt, ita exponendam, vt pro robore, & firmitudine ſua intelligatur. Et ſatis manifeſtè iàm liquet, vti illa ſola eſt vera Eccleſia, quæ fidei vnitatem habet, ita ſolam eſſe veram Eccleſiam, quæ ſemper manſit, manebitq; & aduerſus omnes inimicorum impe-

tus conſtitit, & nunquam defecit. Quæ cum veriſſima ſint, quanta occaſio,bone Deus, mihi ſe ſe offert, vt ad vos me vertam, ò decepti, quæramq;, quodnam conuenticulum,quæ ſecta, quæ congregatio reperiatur, appellata Eccleſia, quæ nunquam defecerit? ſed ſatis eſt mihi orare vos, obteſtariq; per Deum,& per ſalutem veſtram, vt mentis veſtræ oculos, quoquò verſus conuertatis, intueaminiq;, an interruptis, deletisq; reliquis omnibus, Eccleſia mea Romana vnquam interrupta ſit. certè,ſi vagari velim per infidelium ſectas, fortaſſe vetuſtior cæteris Mahometana occurreret: quæ tamen nondum ad decimã ætatem peruenit, & iam labat,& ruinam minatur, quod etiam prophetæ ipſius, tametſi falſi,mendaceſq; iam præuidẽt, & prædicunt. Sed hæreticarum ſectarum quænam hodie,quæſo,reperitur, cuius initium, originemq; patres noſtri, vel nos ipſi non reminiſcamur? & quænam eſt, quæ breuiſſimo temporis curſu à clariſſimo,ardentiſſimoq; Sole veritatis,veluti flos exuſtus (nimium honorem tribuo) velut herba fœtens, & noxia,continuò non conciderit,& defecerit? vbi,vbinam nunc ſunt ſomniatæ illæ Eccleſiæ Simoniacorum, Baſyliadiorum, Cherintianorum, Gnoſticorum, Antropomorphitarum,totq; aliorum? præterea, quod maius eſt, vbinam illa eſt Eccleſia Arrianorum, quæ tàm latè diffuſa,tàm diu perſeuerauit? quæ tot concilia congregauit Mediolani, Arimini, Sirmij, Seleuciæ, Antiochiæ? ne veſtigium quidẽ apparet, niſi cùm aliquod ab Euangelicis iſtis renouatur. quòd ſi aliæ iſtorum ſectæ, ſi cum Arriana conferantur, ſunt veluti ex conflagrantibus paleis flammæ, quę celerrimè extinguũtur,pridie tantummodò exortæ, poſtridie non occident? optime Deus,temperare iam mihi nequeo: vera Eccleſia interrumpi nunquam poteſt: ſemper viuit,nunquam deficit. quid ais tu,Caluine? probaſne hoc? velis nolis, te probare oportet,quoniam clariſſimè ipſius Chriſti

 eſt.

eſt. ſed non id negas: nam lib. 4. Inſtitutio. cap. pri. ſectio. 17. ita dicis, *Fatendum eſt, nullum fuiſſe ab orbe condito tempus, quo Eccleſiam ſuam Dominus non habuerit: nullum etiam fore ad conſumationem vſq; ſeculi, quo non ſit habiturus*. & in Epiſtola ad Regem Galliarum apertiſſimè: *Vixit ſanè Chriſti Eccleſia, & viuet, quandiu Chriſtus regnabit ad dexteram patris: cuius manu ſuſtinetur: cuius præſidio defenditur: cuius virtute ſuam incolumitatem retinet: præſtabit ille enim indubiè, quod ſemel recepit, affuturum ſe vſque ad conſumationem ſeculi*: verba hæc omnia, quæ protuli, tua ſunt: ſed gradatim, & ſenſim quæſo. Si, te ipſo fatente, illa ſola eſt vera Eccleſia, quæ nunquam interrupta eſt, quo pacto vera eſſe poteſt Eccleſia tua? immò qua ratione fieri poteſt, vt præter Romanam, alia vera ſit Eccleſia? tu fateris, Caluine, per trecentos annos eam fuiſſe veram Eccleſiam, in qua Petro, diuerſis temporibus, alij, atque alij Epiſcopi ſucceſſerunt: & re ipſa confiteris, trecentis annis veram Eccleſiam fuiſſe Romanam, vel (ſi ab hoc nomine aures tuæ abhorrent) verã Eccleſiam eam fuiſſe, in qua concilium Nicænum celebratum eſt: quam nos etiam veram Eccleſiam profitemur. ſed poſt id tempus, cum in eam corruptelæ, deprauatiq; mores introducti eſſent, deſijſſe eam veram eſſe Eccleſiam. miſerum te, non aduertis, te delirare, & tibi ipſi aduerſari? nam illa trecentorum annorum Eccleſia aut vera fuit, aut non vera. ſi fuit vera, non poteſt vera Eccleſia deficere: igitur adhuc durat. ſi non fuit vera, quoniam tuam Eccleſiam illi ſimilem eſſe affirmas; igitur Eccleſia tua non eſt vera. neſcio, an ſatis dilucidè exponam, quæ volo: clarius loquar. affirmat Caluinus, Eccleſiam nõ poſſe deficere, dicitq;, veram fuiſſe Eccleſiam, quam & nos dicimus, per trecentos annos à Chriſti tempore. et ego dico, ſi illa vera fuit Eccleſia, & defecit; igitur mentitur Caluinus, cum dicit, veram Eccleſiam non poſſe deficere. ſin autem vera Ec-

cleſia deficere non poteſt, & defecit iſta, igitur mendax, vt ſemper Caluinus, quando affirmat, illam fuiſſe veram Eccleſiam. Sed tandem, auditores, aperto campo, & ſine ſubtili, ſpinoſoq; diſputandi genere. veriſſimum eſt, illam fuiſſe veram Eccleſiã: veriſſimum eſt item, veram Eccleſiam non poſſe deficere: ſed eſt falſiſſimum, illam vnquam defeciſſe, quæ potius, perpetua quadam ſerie, ab vno Papa in alium deducta eſt, & perſeuerauit vſque in hodiernum diem. quo Gregorius XIII. ſedem obtinet. Quòd autem olim Caluinus veſter tàm turpiter ſeipſum implicauerit, tàmq; inconſtans fuerit, dum vult, modò interire; modò excitari, vel ſaltem nunc abſcondi, nunc detegi veram, & ſanctam Eccleſiam; nil aliud cauſſæ fuit, quàm mala mens, & malus animus nocendi vobis, pluribusq; alijs: quos cum in ſuos errores, & falſas opiniones inducere non poſſet, dùm à ſancta Eccleſia veritatem perdiſcebant, omnem operam dedit, vt hanc Eccleſiam occultaret. cùm verò intelligeret, ſi negaſſet illam Eccleſiam, quam & nos confitemur, per annos trecentos à Chriſto, nimis apertam, nimiſq; turpem fore impudentiam ſuam; infelix hæc afferre ſomnia coactus eſt, affirmareq; veram Eccleſiam vſq; eò tantummodò manſiſſe, neque vnquã poſtea extitiſſe amplius, quòad ipſe, vel præceptor ſuus eam à mortuis excitauit. miſerum terrarum orbem! qui mille, & ducentis annis caruit Eccleſia: & nihilominus Caluinus aſſerebat, veram Eccleſiam non poſſe deficere. O chimæras, o ſomnia! quò confugietis, Caluiniſtæ? iam ſcio: dicetis, hoc tanto tempore mille, & ducentorum annorum non mortuam, ſed occultam, & inuiſibilem fuiſſe. amici, ſerò ſapitis. ego enim prouidens, quas in ſyluas rurſus belua ſe poſſet abſtrudere, iam heri explicaui rete, probauiq; apertiſſimè, veram Eccleſiam fieri inuiſibilem nunquam poſſe. quare à primo ad poſtremum (hic conſiſtite) ſi in hiſce mille, & ducentis annis

veſtra

veſtra extitit Eccleſia, oportet vos docere, vbinam fuerit: hoc planè ignoratis, igitur nuſquam fuit: igitur mortua eſt prius, deinde ad vitam reuocata eſt. ſed Eccleſia, quæ moritur, & ad vitam reuocatur, non eſt vera Eccleſia; igitur vera Eccleſia non eſt veſtra. illud addendum eſt, ijs mille, & ducentis annis oportere reperiri Eccleſiam, quæ priori illi trecentorum annorum coniuncta, & continuata fuerit: ſed hanc, manifeſtè deprehenditur, aliquam eſſe non poſſe, niſi meam Romanam: ergo clariſſimè patet, Romanam eſſe veram Eccleſiam. Quæ omnia, ò catholici, eliciuntur ab hoc præclariſſimo Symbolo fortitudinis, & ſanctitatis: *Credo vnam ſanctam*. ò feliciſſimam notam, ò glorioſum ſignum, planè in ore meæ matris impreſſum! te te appello, Romana Eccleſia, quæ per promiſſa tibi à Chriſto facta, quàm admirabilem, quàm magnam firmitudinem oſtendiſti, indieſq; maiorem oſtendis! an fortè defuerunt occaſiones, quibus hæc miſerabilis Eccleſia deficeret (humano more loquor) & interiret? nam Petri nauicula, ſi qua vnquam alia, proceloſo mari plerunq; à ſæuiſſimis ventis agitata eſt. heu quot gentes conatæ ſunt eam proſternere? quot Iudæi fidem auferre? quot hæretici ſenſus peruertere, ſcripturas adulterare? quot ſchiſmatici ei omnē obedientiam adimere? Et ipſa ſemper indies fortior, ſemper potentior, ſemper firmior, omnes profligauit, ſuperauit, deuicit. gentes ſanguine martyrum expugnauit: aduerſus tyrannos per ſpem in Deo victrix euaſit: Iudæos virtute debellauit: veritate fregit hæreticos: & ſchiſmaticos imperio diſſipauit. quare quid iam noſtra intereſt, ſi quotidie exoriantur ſiue infideles, ſiue hæretici, eiq; ſiue parent inſidias, ſeu vim afferre moliantur? cum nihilominus per illam promiſſionem, *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, omnes impiorum conatus in ipſius Eccleſiæ amplitudinem, magnitudinemq; redundent. *Terribilis, terribilis, vt caſtrorum*

acies, ordinata eſt Eccleſia Romana. *Circundabo domum meã, dixit Deus, his, qui militant mihi*: quare oppugnari quidem poteſt, ſed expugnari nequaquam. *Ego ciuitas fortis, ciuitas, quæ oppugnatur*, dixit Eſaias: & diuus Hieronymus addidit in Commentario, *oppugnatur, ſed non expugnatur*. & Alexander Epiſcopus Alexandrinus ad Alexandrum Conſtantinopolitanũ ſcribens (id Theodoretus refert) de eadem Eccleſia dicit; *Eccleſiam cognoſcimus, quæ nunquam expugnari poteſt, etiam ſi totus Mundus eam oppugnet*. Petri nauicula fluctuare, fatiſcere, fluctibus propemodum oppleri poteſt, ſubmergi nunquam poteſt. at quiſquis eſt, qui nondum intelligat ſanctitatem, id eſt firmitudinem Eccleſiæ Romanæ, hiſtorias Eccleſiaſticas percurrat, & poſtea iudicet, an illæ videantur aliud, quàm continuata ſeries, & quaſi textura quædam bellorum, & oppugnationum; quæ aduerſus eam tentatæ ſunt: & tamen omnes illæ ad nihilum reciderunt. initium à Tiberio capiamus, & ad Conſtantinum Magnum vſque perueniamus: ijs omnibus temporibus quid prætermiſerunt, quæ non conati ſunt Nerones, Traiani, Diocletiani, Seueri, Valentes, Iuliani, & quotquot alij fuerunt, vt Eccleſiam impellerent, opprimerent, perderent, ſuffocarent? & tamen omnes eorum conatus irriti, & vani fuerunt; omnes vires infirmæ: omnes inſidiæ detectæ ſunt: omnes caſſes, & retia, tanquam araneorum telæ. qua ratione? quoniam *Portæ inferi* nunquàm potuerunt præualere *aduerſus eam*. quoniam ipſa eſt ſtabilis, ipſa eſt ſancta. quòd ſi vos, Caluiniſtæ, obijciatis, me hactenus loquutum eſſe de illa Eccleſia, quam vos etiã non negatis, & quæ vera eſt; nempè quę trecentis annis poſt Chriſti tempora permanſit; age dum iam de hac non loquemur amplius: quin etiam alia ratione obſequemur vobis: omittemus enim & mille ducentos annos, qui elapſi ſunt à trecentis illis vſq; ad mille, & quingentos, quibus quidem Eccleſia ve-

ſtra

ſtra vel mortua fuit, vel ſepulta, vel ſomno ſopita, vel abdita: nihil enim habetur, quod affirmari poſſit. ſed ab anno milleſimo,& quingenteſimo vſque in hunc diem, immò minori annorum ſpatio(non enim tàm ſubtiliter ſupputare volo) qua ratione fieri potuiſſet, vt vos ipſos, tot veſtra conuenticula, tot ſectas, tot inſidias, tantas vires, tantam rabiem, furoremq; pertuliſſet, eiſq; fortiter reſtitiſſet Eccleſia noſtra, niſi illa eadem eſſet, de qua dictum eſt, *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*? illud quippè clariſſimum eſt, auditores, quot quot cõuenticula? ſectæq; hodie in toto terrarum orbe ſunt, quamuis inter ſe diſcordes, ſibi inuicem magnopere aduerſentur, & infenſiſſimæ ſint, hoc vno conuenire, concordeſq; eſſe, vt quantum viribus conniti poſſint, Romanam Eccleſiam oppugnẽt. & ego nonnullos noui, quibus in hanc ſententiam Beſa locutus eſt. ad quoslibet ſiue Lutheranos, ſiue Caluiniſtas, ſiue Anabaptiſtas, ſiue ad quamuis aliam Eccleſiam te transferas, dummodò à Romana recedas. O Beſa, ò Beſa (mihi enim appellandus es, tametſi homo non tantæ exiſtimationis, vt nomen tuum vltrà Geneuenſes fines audiatur) ſiccine agitur? omnes alias ſectas excommunicas, deinde conſulis, vt quilibet illis adhæreat, dummodò Romanam relinquat Eccleſiã? quod eſt perinde, ac ſi dicas, quam malueris tibi ſectam elige, dummodò fias hæreticus. Lutherus item ſcribit, ſe magna voluntate, ſeduloq́; negaturum fuiſſe, Chriſti corpus ineſſe in hoſtia, niſi veritas nimis fuiſſet perſpicua: libenterq; id facturum, non alia ratione, niſi quia hoc modo putabat, *ſe maximè poſſe incõmodare Papatui*. ò putidum cor, & os infame! iſte eſt, igitur, zelus tuus? iſte eſt ſcopus? vt doceas non quæ vera ſunt; ſed quæ ſperes, Papæ damnum allatura? quomodo verò Papæ noceatur, iam clarum eſt. iactura enim ipſius eſt; quoniam iactura fit animarum deceptarum, quas magnopere diligimus, no-
ſtriſq;

ſtriſq; oculis chariores habemus. verùm permittit Deus, auditores, vt iniquas ſuas mentes iſti aperiant, & inter illos tantæ diſcordiæ ſint;ſed diſſentiendo à vera Eccleſia Romana omnes conſentiant, quò in ea ſanctitatis symbolum clarius eluceat,atque appareat,omnes huiuſmodi ſectas obliquis lineis eſſe ſimillimas: quæ quamuis ſuis locis alia multum ab alia diſtet, omnes tamen hac re non differant, quòd à recto declinant. demũ cum omnes nos non ignoremus, quales, & quantos impetus ſemper repreſſerit, & quibus viribus fortiſſimè obſtiterit Eccleſia Romana; nemini iam dubium ſit in primis,quin illa ſancta ſit; deinde poſſimus quaſi exultantes ad hæreticos nos conuertere, dicereq; vos verò extrema omnia contra nos experiamini, non curamus: id enim gloriam noſtram multò magis augebit. quæ autem charitate impulſi dicturi ſumus, attendite. Sicuti ferrum, quod adamantem percutit, retunditur; & ſicuti equus, qui aduerſus ſtimulum calcitrat, ſeipſum pungit, & lædit; & velut vnda ſcopulum feriendo frangitur: ſic, dum vos miſeri lædere Eccleſiam nitimini, ſcopulum veritatis, virtutis adamantem, & ſtimulum veſtrum ſemper (mihi credite) vos ipſos,& animas veſtras comminuitis, pungitis,violatis. non ſolùm quoniam eas acerbioris pœnæ reas facitis,ſed etiam quia clarius veritatem probatis Eccleſiæ noſtræ: quæ cum tantis veſtris conatibus reſiſtat,tantos impetus frangat, docetur eſſe *ſancta*: & ideo vera. Et ecce *quàm incomprehenſibilia ſunt iuditia tua, Domine*; nam quis eſt, qui cernens, tàm male haberi, tandiuq; afflictari Romanam Eccleſiam, induci non poſſit ad credendum, eam tibi inuiſam eſſe, atque ea de cauſſa puniri? Et tamen omnia hæc fauores tui ſunt, & gratiæ,& beneficia. nàm, ſi Romanam Eccleſiam odiſſes, tolli penitus illam, & interire patereris: ſicuti tot,tantæq; aliæ interierunt,& omnino ſublatæ ſunt. Sed quoniam ſponſa tua eſt, tueris tu ſemper eam,& cõ-

ſeruas,

ſeruas,& conſtanter, perfectèq; promiſſa tua ſeruas. atque interim, dum permittis, vt cædatur vndique,& in eam tanto impetu irruatur, neque vnquam concidat, ſed ſtabilis ſemper,& firmiſſima ſit, Sole clarius ſanctitatem eius oſtendis: faciſq; vt ego finem dicendi faciendo affirmare poſſim,duo prima symbola dignoſcendæ Eccleſiæ eſſe, *vnam*, & *ſanctam*. ſola Romana Eccleſia vna eſt, & ſancta: igitur ſola Romana vera eſt Eccleſia. De duobus alijs poſtridie tractabimus In nomine patris, & filij,& ſpiritus ſancti. Amen.

DISCEPTATIO TERTIA.

Qua, non recedendo à Symbolorum ordine, docetur, ſolam Eccleſiam Romanam eſſe catholicam, & Apoſtolicam: quoniam cum diffuſa ſit per totum terrarum orbem, retinet nunquam interruptam Epiſcoporum ſucceſſionem.

Aduerſus ea, quæ Caluinus ſcribit lib. iiij. Inſtitutio: cap. 2. atq; Epiſtola ad Regem.

AEQVVM ne verò videbitur vobis, auditores, vt vna, eademq; parua, atq;, vt ita dicam, infælici ſidere nata prouincia comprimatur moles, magnitudoq; vniuerſi terrarum orbis? iure ne fieri cenſebitis, vt in anguſtos,& propè concluſos montes id omne conijciatur, quod ab ortu Solis, & ab occaſu, ab Aquiloneq;, & à meridie complectendum eſſet? immò rationi conſentaneum ne putabitis, vt finis conſtituatur infinito,terminus interminato, menſura immenſo? vt arguatur mendacij Spiritus ſanctus, impotentiæ filius, infidelitatis pater? vt negetur maxima pars ſui præmij Chriſto, quod iam ei datum eſt auferatur, rapiatur hæreditas,regnum diuidatur,attenuetur potentia, auferatur ſce-
ptrum,

ptrum, ex altiſſimo ſolio propemodum euellatur, & deturbetur, ſpolietur ferè diademate regio, & de rege vniuerſi orbis vix Dominus ſtatuatur minimæ partis ipſius Europæ? iuſtum ne eſſe iudicabitis, ſi regnum Chriſti infinitum eſt, vt aliquis ei terminos conſtituat? ſi oportet corpus eius myſticum in omnes partes extendi, vt vllus eidem fines circunſcribat? deniq; ſi Eccleſia Chriſti debet eſſe vniuerſalis, & catholica, vt quiſpiam audeat, eam efficere priuatam, & propriam? ſine dubio enim id iniquiſſimum, & iniuſtiſſimum eſt. Et tamen, o Sereniſſime Princeps, id Caluiniſtæ faciunt: atq; iccirco faciunt, quoniam iniuſtè faciunt: & tunc faciunt, cum audentes affirmare, ſuam Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam, ideò omnem vniuerſitatem Eccleſiæ catholicæ intra quatuor montes includunt; circa lacum vnum conſtituunt, in vna valle demergunt, &, quaſi in anguſtam vrnam, vniuerſum mare transfundere conantur. conquerebatur pari ratione Auguſtinus pluribus ſcriptis ſuis, præſertim epiſt. 48. *ad Vincentium* de Donatiſtis, & de Rogatianis, quòd etiam ineptè exponentes locum illum Canticorũ, *Indica mihi vbi cubes in meridie*, vniuerſalem Eccleſiam in anguſtijs Africæ coarctare volebant. Et Optatus Mileuitanus ad Parmenianiſtas ſcribens, ijs verbis vſus eſt, quæ vobis, ò Caluiniſtæ, referre non piget: nempè, *Aliud non contenditis, niſi vt vbi vultis, ibi ſit Eccleſia: & ibi non ſit, vbi non vultis*. nàm, ſi vos ex Italia, ex Hiſpanijs, ex Germania, ex Boemia, ex Pannonia, ex magna Galliarum parte, immò, ſi ex reliquis partibus orbis vtriuſq; veteris, & noui Eccleſiam aufertis, vt eam Geneuam transferatis; & contendentes, in quouis locorum iſtorum non exiſtere, & inter vos tantummodò reperiri aſſeueratis, facitis vos quidem idipſum, quod multo antè & Rogatiani, & Donatiſtæ, & reliqui hæretici fecerunt; ſed tamen grauiſſimam iniuriam vniuerſitati ipſius Eccleſiæ facitis: vehementer exte-

nuatis,

nuatis, deſpicitiſq; Chriſti magnitudinem: fallacem in promiſ-ſis ſuis Deum facitis. committitis præterea (atq; vtinam, quæ dico, è veſtris mentibus nunquam excidant) committitis, inquã, vt prouidente,& permittente Deo, vobis ipſis maximum detrimentum afferatis. cum enim maximè probare nitimini, veſtrã ſolam eſſe veram Eccleſiam; tùm vero egregiam mihi datis occaſionem, qua manifeſtè demonſtrare poſſim, veſtram Eccleſiam omni ratione nullam eſſe. Scitis qua de cauſa, auditores? quoniam cum quatuor ſint, vt heri docuimus, veræ Eccleſiæ symbola; quod quidem traditũ eſt ab ipſis Apoſtolis, & à Nicæno Concilio; *vnam, ſanctam, catholicam, & Apoſtolicam*, ſicut heri per illa prima duo symbola, Caluinicam Eccleſiam docuimus non eſſe veram; ita hodie per duo reliqua, idem efficere volentes, quòd ad primam notam ſpectar, ipſimet pro me argumentantur: quoniam ab Eccleſia tollentes vniuerſitatem, priuatam illam,& propriam faciunt: atq; ei hoc modo *Catholicæ* symbolum adimunt. Sed, vt tandem incipiamus, quid ſignificat? quanti refert hæc dictio *Catholica?* quot, & quanta habere oportet Eccleſiam, vt catholica ſit? catholicam dixerunt Donatiſtæ eſſe Eccleſiam, ſi quodlibet ipſius membrum in ſtatu gratiæ permaneret: ſed hæc expoſitio falſiſſima eſt: quoniam non opera, vti iam demonſtrauimus, ſed fides fundamentum eſt Eccleſiæ. alij catholicam eſſe dixerunt Eccleſiã, quoniam comprehendit omne genus hominum indiſcriminatim; vel quoniam omnes complectitur, quot quot ante Chriſtum, vel poſt ipſum veram fidem mediatoris habuerunt. aut quòd quicunq; antehac ſalui facti ſunt, vel ſalui fient, omnes in illa ſola ſalui eſſe potuerunt, vel poterunt. aut quia ipſa docet res omnes viſibiles,& inuiſibiles. aut quoniam illi parent omnes, infimi æque, ac ſummi. vel quia in ea remiſſio omnium peccatorum reperitur. aut quòd in ea virtutes omnes acquiruntur.

 tur.

tur. vel quòd diffunditur omnis gratia. omnes autem expoſitiones hæ optimè videntur; ſed quæ non adeò clarè veritatem aperiant Eccleſiæ Romanæ, atq; hæc, quam poſtremo loco reſeruaui; id eſt, iccirco veram Eccleſiam catholicam appellari, quoniam vniuerſalis eſt: quia vbiq; diffuſa eſt: eo quòd & filij, & membra eiuſdem ſine dubio in quacumq; totius orbis parte reperiantur. ne verò arbitremini, hoc eſſe inuentum meum; præter plurimos patres, quos poſſem afferre, *catholicam*, dicit Auguſtinus, *Maiores noſtri nominarunt Eccleſiam, vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt. Secundum totum enim, καθ' ὅλον Græcè dicitur.* & Cyrillus Hieroſolymitanus, qui fuit annis ab hinc mille, & trecentis, dixit in Cathecheſi. 18. *Catholica vera Eccleſia eſt, quia per vniuerſum orbem terrarum eſt diffuſa: à finibus terræ vſq; ad extremum.* quare catholicam eſſe illam Eccleſiam, quæ vbiq; diffuſa eſt, nemini eſſe dubium poteſt. Et profectò nimis amplam hæreditatem ſibi Chriſtus promeruit, auditores: neq; æquum fuit, ipſum non dominari omnibus gentibus: cum illi dictum ſit, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeßionem tuam terminos terræ.* à prima mundi origine audiri cœpta eſt, auditores, hæc futura vniuerſitas Eccleſiæ: per illa promiſſa, *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes: Numera ſtellas cœli, ſi potes, & arenam maris: ſic erit ſemen tuum*, & his ſimilia. mons Danielis figura eſt appoſita, maximeq; propria Eccleſiæ. *Impleuit omnem terram.* & alibi quoties repetita legitur vniuerſitas Eccleſiæ? *Memor ero Raab, & Babilonis ſcientium me. Dominabitur à mari vſque ad mare. Cantate Domino omnis terra. Super omnem terram gloria tua. Omnes gentes magnificabunt eum. Redemiſti nos, Domine, in ſanguine tuo ex omni tribu, & populo, & lingua, & natione. Ad obediendum fidei in omnibus gentibus. Eritis mihi teſtes in omni Iudæa, & Sa-*

maria, & vſque ad terminos orbis terræ. Eccleſia, vt noſtis, ſponſa Chriſti eſt: ſed, cum nihil opus eſſet, dotem aliquam à ſponſa afferri Chriſto; ipſemet dotem ſponſæ ſuæ dare voluit: hanc nempè diffuſionem, hancq; vniuerſitatem, vt per totum terrarum orbem permanaret: rem verò ipſam etiam contractu firmauit: hoc ſcilicet, quoniam *oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum per omnes gentes: Omnes gentes* (addit Auguſtinus) *totus mundus. Eccleſia totum poſſidet, quod à viro ſuo accepit in dotem.* quarè, ſicuti illa vera eſt Eccleſia, cui promiſſa fuit vnitas; & illa, cui promiſſa fuit ſanctitas, & fortitudo; *Portæ inferi non præualebunt*; ita vera eſt Eccleſia, cui promiſſa fuit vniuerſitas. Et, quoniam Chriſtus, cum ſemel ſpopondit, vt à nobis dictum eſt, nunquam promiſſa fallit; vti per duo prima symbola eas Eccleſias reſpuimus, in quibus vel vnitatem, vel ſanctitatem non reperimus; ſic firmiſſimè, conſtantiſſimeq; nunc reijcere omnes illas poſſumus, quas inuenimus, non eſſe catholicas: ſolam verò illam cenſere Eccleſiam, quæ vniuerſalis eſt, atque per vniuerſum terrarum orbem manat, & diffunditur. Ea verò an Romana ſit, nec ne, poſtea videbimus. ſed interim, me quidem conuertens non ad vos ſolos, ò Caluiniſtæ, ſed ad hæreticos omnes, quot quot vnquam fuerunt; & ad quoſcumq; inuentores, fautoreſq; conuenticulorum, cuiuſmodi tot etiam pluribus in locis hodie reperiuntur; quænam quæſo, appellari poteſt vniuerſalis Eccleſia? quænam, e veſtris ſectis vbiq; locorum diffuſa eſt? quænam in omni regione ſequaces habet? ò admirabile Dei iudicium! tantum abeſt, Sereniſſime Princeps, præter Romanam vt alia reperiri præterea poſſit catholica Eccleſia; vt potius non ſolum hæretici, ſed etiam hæreſiarchæ ipſi, & ipſi aſylorum huiuſmodi auctores, fabricatoreſq;

Ro-

Romanam Eccleſiam, catholicam appellent: neque tàm audaces vnquam, impudenteſuè fuerint, vt ſibi catholicorum nomen arrogarint. Aduertite, quæſo, nàm mirum eſt, quod dico. nonne optimè ſciunt hæretici (neque enim negare poſſunt, nàm ſimul ſymbolum etiam Apoſtolorum negarent) vt vera cenſeatur Eccleſia, oportere eam eſſe catholicam? nonne omnem dant operam, omni vi nituntur, vt ipſorum Eccleſia omnibus vera videatur? qua igitur ratione catholicam eam non appellant? mihi quidem alia ratio nulla in mentem venit, niſi occulta Dei prouidentia id fieri. Scio enim ſexcenta nomina iſtos ſibi tribuere, modoq; Arrianos, quandoq; Lutheranos, nunc Caluiniſtas, interdum Reformatores, aliàs Chriſtianos, ſæpeque Euangelicos dici velle. verùm vbi ad dictionem catholicos perueniunt, ſecare ea, & vrere videtur: ita ſubitò linguam contrahunt, neq; audent, ſe catholicos appellare: &, quoties dici catholicam Eccleſiam audiunt, etiam ipſi, pariter vti nos, Romanam intelligunt. experiri facilè poteſtis, auditores: nam ſi Geneuam accedatis, atq; in ingreſſu ipſius oppidi, interrogemini, quinam ſitis, & reſpondeatis eſſe catholicos, ſi is, qui interrogauit, putat de numero Caluiniſtarum eſſe vos, nullum ego ſupplicium recuſo. ò vim veritatis firmiſſimam, & inuictam! igitur Papiſtæ ſoli ſunt catholici. ſed ſoli catholici ſunt in vera Eccleſia, *Sanctam Eccleſiam catholicam:* ergo veſtro etiam, ò decepti, iudicio, nos ſoli in vera ſumus Eccleſia. alio modo periculum facite. aduocate hominem quempiam, neque huius, neque illius partis, indifferentemq;: Iudæum puta, inter nos educatum, diſcordiarum noſtrarum non ignarum: facite, vt multas earum, quæ inter ſe diuerſæ ſunt, Eccleſias recenſeat, poſtea quàm Lutheranam, & Caluinicam, & alias huiuſmodi nominarit, ſi tandem ad noſtram perueniens, catholicam eam non appellat,

mendax, fallaxq;, & dici, & haberi volo. quid dicitis, auditores, de occulto hoc Dei iudicio? nondum effluxerunt menſes tres (quæſo diligenter aduertite) cum forte ſimul colloqueremur ego, & Caluiniſta quidam, ſatis eruditus; & fortaſſe etiam ex eorum numero, qui multos in errorem pertraxerunt, & ex eo nonnulla quæſiſſem: quæſiui item, an ipſorum Eccleſia eſſet catholica: neque eum, vt id affirmaret, inducere vnquam potui. nam & Mæandros ſemper quæſiuit, & alias res egit, & ad interrogata non reſpondit: affirmauit tandem, ſe non ſolicitum eſſe de Eccleſia ſua, an eſſet catholica; ſatis enim ſibi eſſe, ſi Chriſtiana eſſet, & Chriſti ipſius. tùm ego leuiſſimi hominis tàm longe à ſcopo aberrantis miſertus ſum: memoria enim optimè retinebam, Cyrilli Hieroſolymitani locum (is floruit non procul ab Apoſtolorum temporibus) in Cathecheſi 18. qui locus ad rem noſtram aduerſus Caluiniſtam illum mirum in modum facere videbatur: ſic enim habet. *Quod ſi forte veneris in ciuitates, ne ſimpliciter interroges, vbi ſit Dominicus, aut domus Domini:* videte, an ſatis ſit Eccleſiam eſſe Chriſti: *Nam, & reliqua impiorum hæreſes Dominicos quamuis pollutos appellare non dubitant,* quod tunc maximè vſu venire intelligebam: *Neque id tantum quæras, vbi ſit Eccleſia, ſed catholica Eccleſia.* atque ideò nolebat hoc amicus ille noſter audire: ſed audimus nos; quoniam nomen hoc, *catholica* (concludit ſanctus ille) *proprium nomen eſt ſanctæ huius Eccleſiæ, & matris omnium noſtrum, quæ eſt ſponſa Domini noſtri Ieſu Chriſti, vnigeniti filij Dei.* quod an explicari clarius potuerit, & an debeamus nos eſſe certiſſimi, cum ſoli catholici ſimus, ſolos nos etiam eſſe veram Eccleſiam, veſtrum ſit iudicium. caput Eccleſiæ noſtræ viſibile Romæ eſſe, verum eſt: ſed corpus loco aliquo proprio non circumſcribitur, & vbicumque
diffu-

diffuſum eſt. quòd ſi quando longè, latèq; manauit mater noſtra ſancta Eccleſia (o mirificum gaudium!) hodie, hodie, inquam, temporibus noſtris adeò diffuſa eſt, vt latius Sol lucis ſuæ radios non diffundat. Ego quidem, vt verè dicam, quod ſentio, credo, auditores, à Chriſti temporibus nunquam propagatam, nunquam dilatatam æquè, ac nunc, fuiſſe ſanctam Eccleſiam: & ab ijs diebus, quibus, vno orbe non contenta, extra orbem, vt ita dicam, egreſſa eſt, vt nouos orbes acquireret. Atq; hac de cauſſa, ò decepti, ego quidem (ingenuè fatebor) aliquandiu indignatus ſum; ſed alijs pleriſq; iocos etiam, & riſus, quandoq; præbuerunt deceptores veſtri. miſeros illos, & dementes! qui ſperant ſe noſtræ Eccleſiæ nocere poſſe: membratim eam concidere, extenuare, deprimere, & ad nihilum redigere: neque animaduertunt, nunquã fuiſſe illam tam amplam, excelſamq;, quàm cum ipſi conari cæperunt, vt dignitatem ipſius violarent, & imminuerent. Et quidem, auditores, fuit illud manifeſtum, & inſigne miraculum; vt ſimul, ac Lutherus archipatriarcha Euangelicorum aduerſus Euangelium animum adiecit, ad extinguendam Eccleſiam Romanam, & gloriatus eſt (furiòſus homo, cathenis coërcendus) velle ſe ſummum Pontificatum delere (videte, quàm bene cogitata ſua perfecit) continuò, inquam, perinde, ac ſi camino oleum addidiſſet, latiſſimè creuit incendium: & Eccleſia illa, quam imminuere, & deprimere cogitarat, vſque eò aucta eſt, vt nouum orbem ſibi pepererit. manifeſtum certe indicium, vti Gamaliel affirmabat, *Non eſſe ex hominibus conſilium hoc*. nonnihil de Germania, de Britannia, de Gallijs ademerunt: *Ad Aquilonem* cum Diabolo *poſuerunt ſedem ſuam*: & Eccleſia clariſſimo meridie veritatis ſuæ illos etiam orbes illuſtrauit, qui antea commentitij, & fabuloſi putabantur. hoc loco mihi occurrit, ſeſeq; oſtendit alia Eccleſiæ noſtræ amplitudo, quam reticere nolo. noſtra Eccleſia, & hæc,

aliaq; conuenticula ſe Chriſti eſſe, profitentur, & vnamquamq; earum operam dare conuenit, vt Chriſti fidem, quantùm fieri poſſit, adaugeat, & infideles ad Chriſtum traducat: & tamen, quaſi Chriſtus humanis inſeri pectoribus indignetur, opera, manuq; aliena, quàm ſuæ amatæ ſponſæ, nos ſolos eligit, qui ſemper idolorum cultores ad Chriſtum reuocemus, vti factum eſt in hiſce nouis orbibus. iſtorum verò conuenticula, ne minimā quidem prouinciam à gentium erroribus ad veram Chriſti fidem perduxerunt. conantur quidem, poſtea quàm nos laboribus noſtris Chriſto animas acquiſiuimus, eas auertere, & fraudibus ad Eccleſiam ſuam transferre; ſed munus hoc conuertendi animas ab infidelitate ad Chriſti cultum, apparet Deum nō permittere, niſi ſuæ veræ Eccleſiæ. Sola Eccleſia noſtra doctrinam illam efficacem habet, quæ iure, meritoque appellari poteſt *lex domini conuertens animas*. ſola noſtra Eccleſia ſermonem habet viuum, penetrantem vſque ad diuiſionem animæ. hæretici ſcripturam quidem habent, ſed verum ſcripturæ ſenſum non habent: quod perinde eſt, ac ſi quis vaginam haberet ſine gladio. nam verus ſenſus eſt gladius ſpiritus. quo circà mirum non eſt, vbi infideles ad fidem traducendi ſunt, ſi ij tantū expugnant, qui gladium educunt. nam ſola Eccleſiæ verba verba viua ſunt, non mortua; & ideò ſola altius in pectus hominum deſcendunt, & cor immutant. Philoſophi, qui leges tanta eloquentia, & humana ſapientia condiderunt, nullum tamen alienum populum, ne vicinum quidem (teſte Athanaſiò, ac Theodoreto) ad eas obſeruandas leges trahere potuerunt. Mahumetani, ſi quos ad ſuam ſectam perduxerunt, id bellis, & armorum violentia conſecuti ſunt, vt ab Alcorano præcipitur cap. 18. & 19. nōn autem viui illius verbi vi, quod catholicorum tantummodò proprium eſt. quare hæretici eorum quidē, quos ab errore nos reuocauimus, nonnullos prauis opinionibus, vti

di-

diximus, inficiunt; ſed, vt ethnicos ad Chriſtũ conuertant, non aſſequuntur. *hoc eſt illis negotium*, ait Tertullianus de præſcript. hæreticorum, *Non ethnicos conuertendi, ſed noſtros euertendi. & noſtra ſuffodiunt, vt ſua ædificent*. vnus Freculſus Cronic. Tomo 2. lib. 4. cap. 20. affirmat, Arrianos Valentis Imperatoris tempore, magnum numerum eorum, qui Gothi appellantur, ex ethnicis ſuæ ſectæ feciſſe. ſed locum illum mancum eſſe apparet, & iccirco doctrina Socratis ſupplendus eſt lib. 4. cap. 27. item Sozomoni lib. 6. cap. 37. & Theodoreti lib. 4 cap. vlt. omnes enim conſentiunt, & affirmant, Gothos illos pleroſque fuiſſe catholicos Chriſtianos, qui ab Arrianis deprauati ſunt. Præterea ij, vt clarè conſtat, in vera religione proficere, & progreſſus magnos facere cupientes, per legatos vltro miſſos, vt ſibi magiſtros mitteret, Cæſarem rogarunt; qui cum Arriana ſorde pollutus eſſet, Arrianos Epiſcopos miſit, à quibus falſa tradita ſunt: quod ipſum fallere fuit, & decipere, non erudire. Ceterũ, auditores, hæreſiarcharum ſectæ, vt inquit Auguſtinus contra Fauſtum lib. 13. cap. 12. perdicum more ſemper congregãt pullos, quos non pepererunt. contra verò Eccleſia, quaſi pura, & fœcunda columba, nouos quotidiè fœtus edit: &, probè artem piſcandi callens, laxiora in dies retia in vaſtum pelagus expandit. tàmquam nos ſoli ſimus *piſcatores hominum:* atque iccirco nos ſoli ab infidelitatis pelago humanarum animarum piſces ad Chriſtianitatis littus pertrahimus. iſti verò retia nunquã in mare iaciunt: ſed vbi piſces in littore expoſitos vident, non piſcatores, ſed latrones, in eo omnem ſibi gloriam repoſitam putant, vt piſciculum aliquem ſurripiant. ſed ne mea longius euagetur oratio, firmum erit, veram eſſe Eccleſiam, quæ catholica eſt: ideſt, vbicunque diffuſa. talia verò non eſſe noſtræ tempeſtatis conuenticula, præſertim Caluiniſtarum, ambigere nemo poteſt. ad hæc, quid dicitis Caluiniſtæ? auditores, optimè

noui,quid dicant: negant,ipſam Romanam Eccleſiam maiorē orbis partem occupare; ideoq; per hoc ſymbolum ne illam quidem appellandam eſſe veram Eccleſiam: quin potius cum longè ſit amplior infidelium numerus, quàm credentium, noſtram item Eccleſiam non poſſe iure dici catholicam,& vniuerſalem. O præclaros diſcipulos! quàm bene ij præceptorū mores referunt! Sic affirmat Auguſtinus epiſt. 48. *Ad Vincentiū* dicere ſolitos Donatiſtas, & Rogatianos hæreticos: ſed paullatim per veſtram fidem,miſelli: veſtro enim ipſi gladio vos confoditis. Si vera Eccleſia illa eſt, quæ eſt vniuerſalis, vt in Symbolo ipſi affirmarunt Apoſtoli; & vos negatis, noſtram Eccleſiam Romanam, quæ tam late patet, tamen eſſe vniuerſalem; quænam igitur erit vniuerſalis? veſtranè? quæ conſtat ex quatuor mendicis, ex decem decoctoribus, pariq; numero, vel paullo ampliore apoſtatarum, & deſertorum? vti ſe res habeat, optimè noſtis. quæſo vos, animi perturbationes auferte,vel cohibete ſaltem, & intelligetis,ſi Romana Eccleſia non eſt vniuerſalis, ſine dubio reliquas, quæ cum illa collatæ perinde æſtimandæ ſunt, ac ſi milij granum magno aceruo compararetur, vniuerſales non fore: eademq; ratione non fore Eccleſiam vniuerſalem, neque veram Eccleſiam in terris. quamquàm ne illud quidem verum eſt, auditores, quod ego ab illis aſſeuerari paſſus ſum, ab Eccleſia nempè Romana partem minorem orbis poſſideri. nam ſi rectè, probèq; rationes ineamus, cum hodie vniuerſus orbis in quinque partes diuiſus ſit, in Aſiam, Africam, Europam, Americam, & Magellanicam; Eccleſia noſtra tria membra propè tota complectitur: aliorumq; duorum maximam obtinet partem. nam Americæ, & Magellanicæ quicquid cognitum eſt; Europa verò ferè tota noſtræ eſt Eccleſiæ. præterea magna Aſiæ pars verſus Synarum oram: & in Africa vaſtiſſimæ regiones,quibus Dauid, qui præsbiter Ioannes appellatur

latur, imperat: præter quam quòd omnes illæ prouinciæ,quas Luſitani ſuo adiecerunt imperio, vti decet, Papæ mandatis parent. Et vos, ò Caluiniſtæ, vix minimam orbis partem nobis concedebatis? quòd ſi etiam multo minus poſſideremus,quàm poſſidemus, ſcitis nè quid ſatis ſit, vt Eccleſia ſit catholica? Attendite,vt ſoletis,auditores. Eccleſiam in primis oportet eſſe catholicam, vt affirmant Auguſtinus de vnit. Eccl. cap. 6. & Beda in Canticæ cap. 6. cum autem Synagogæ præſcriptum eſſet tẽpus,& locus,& natio (neque enim poſt Meſſiæ aduentum manſura erat amplius; neque alibi, quàm in Salomonis templo ſacrificium facere poterat) Eccleſiam oportet & nunquam deficere, & quoquò verſus diffundi, & omne populi genus recipere. illud addit Auguſtinus epiſt. 80. ad Heſichium. quamuis, vt Eccleſia ſit vniuerſalis, neceſſe non ſit, omnes homines veram fidem habuiſſe; neceſſe eſt tamen eam fidem in omnibus fuiſſe prouincijs. & illa ſola Eccleſia vera eſt, quæ, cum finem habebit mundus, ad omnes prouincias perueniſſe reperietur. Sed qua ratione? eodem ne tempore ſimul ad omnes; an ſeparatim, & ex interuallo? certè non illo primo,ſed hoc poſtremo modo. clarius dico. vt vera ſit Eccleſia,nihil opus eſt,eam eodem tempore in omnibus orbis terræ prouincijs eſſe diffuſam: ſed vera erit, ſi fides eius conformationem habebit cum ea, quam in mundi fine reperietur ab omnibus terræ partibus tractu,ſucceſſuque temporis fuiſſe receptam. Sed hac tempeſtate, auditores, dicemus ne Eccleſiam nunc primùm naſci,an ætate prouectam eſſe? & certe,ne hæretici quidem ipſi negant iam ſeneſcere: non ergo hodie naſcitur; ſed curiculum ſuum propè confecit: & vera Eccleſia eſt,cuius fides iam omnes ferè prouincias peruagata eſt: quænam igitur huiuſmodi eſt, Vuitembergenſis ne,vel Geneuenſis,an Romana? quàm clara inſpicere volentibus ſunt omnia. Eccleſia vera eſſe nullapoteſt,niſi cuius fides omnem terra-

 rum

rum orbem peragret. at Lutheri Eccleſia pedes quatuor nondũ progreſſa eſt: & Caluini adhuc valle gemina, ac montibus quatuor clauditur. Romana verò vniuerſum ferè terrarum orbem. tàm nouũ, quàm veterem iam peruaſit, & ferè contingit metã; & nos adhuc dubitamus, quæ vera ſit Eccleſia? Auguſtinus anno poſt Chriſtũ natum circiter tercenteſimo Donatiſtas irridebat, qui ſperarẽt, ſuam Eccleſiam per totũ orbem diſſeminari poſſe. nos verò poſt annos mille, & ſexcentos, aut paullominus putabimus, conuenticula hæc heri nata, quæ nondum è carceribus egreſſa ſunt, neque vnquam egredientur, prius ad calcem orbis terrarum peruentura, quàm Eccleſia Romana, quæ iam propè abeſt à meta? præterea vt Eccleſia appelletur, & ſit catholica quid quæritur ex aliorum ſententia? vt certè in omnibus quatuor orbis partibus membra eius diffuſa ſint. Chriſti veſtis diuiſa, vt ait Auguſtinus, ſignificauit, illam fore veram Eccleſiã, quæ in omnibus orbis partibus filios haberet. *Vocauit terram ab ortu Solis vſque ad occaſum: laudabile nomen eius ab ortu ad occaſum.* Angeli electos colligent *à quatuor ventis*. ab ortu Solis, ab occaſu, à Septemtrionibus, & à meridie oportet, eam euocare membra ſua poſſe, quæ iure vera eſſe vult Eccleſia. quamobrẽ Eccleſiæ Romanæ in oriente Synarum, & Iapponis regiones, ad meridiem Præsbiteri Ioannis regna omnia, ſub Septentrionibus plurimæ prouinciæ, & in occidente toti terrarum orbes obediunt: *Ab ortu Solis vſque ad occaſum offertur mihi oblatio munda*, dixit Deus, per Malachiam, loquens de vera Eccleſia. verùm enim verò quænam eſt Eccleſia, in qua aliqua actio ab oriente vſq; in occidentem perfici poſſit, niſi in Eccleſia Romana? *multi ab oriente, & occidente venient*, dicit Chriſtus de vera Eccleſia. ſed in veſtra, ò Caluiniſtæ, vbi ſunt, qui ab oriente, & ab occidente veniant? niſi fortè ortum Solis, & occaſum circa lacus iſtius veſtri ripas ſtatuitis. denique nonne dixit Eſaias,

&

& refert,affirmatq; Paullus Apoſtolus, *Multi filij deſertæ magis, quàm eius, quæ habet virum?* ideſt, fore, vt vera Eccleſia longè ampliorem filiorum numerum haberet,quàm habuiſſet Synagoga? at numerum ampliorem quis habet? vos nè,Caluiniſtæ, an nos catholici? iam res in clariſſima luce poſita eſt: niſi quis cæcus omnino ſiue ſit,ſiue eſſe velit: negariq; non poteſt, vti ſola Eccleſia Romana eſt *vna, & ſancta*; ſic eſſe *catholicam*. itaq; ſi per tria hæc symbola credere voluero, *vnam, ſanctam,& catholicam Eccleſiam*, neceſſe erit,me credere Romanam. Sed parumper quieſcamus.

ALTERA PARS.

CRedo *vnam,ſanctam, catholicam*. addite nunc, & *Apoſtolicam*. & ecce frœnum,& habenas: ecce nodum,catenamq;, quam exuere, & qua ſeſe expedire hæretici nunquam poſſunt: id eſt ſucceſſionem Apoſtolicam. non enim credere debemus omnem Eccleſiam: ſed illam, cuius ordinatam ſeriē, continuatamq; ſucceſſionem in cathedris,& ſacerdotibus oſtendere poſſimus: *Vt omnes intelligerent, quænam eſſet Eccleſia catholica, patres in Symbolo illud diuinitus addiderunt, Apoſtolicam:* habetur in Cathechiſmo ad Parochos. ea profectò ratione,quoniam par eſt conditio magiſterij, & iuriſdictionis. *Paſtores, & Doctores* copulauit Paullus Apoſtolus. itaq; vbi vera eſt iuriſdictio,ibi & verum eſt magiſterium: cum verus ſacerdos abeſt, verus magiſter adeſſe non poteſt. *interroga Sacerdotem legem.* denique cum inuenimus ſacerdotij ſucceſſionem vſque ab Apoſtolis dicere poſſumus, ſucceſſionem etiam doctrinæ reperiri ab ipſis Apoſtolis emanantis. ò quàm illuſtre ſignum,ò quàm dilucidum symbolum veræ Eccleſiæ dignoſcendæ eſt, auditores, cathedra magiſtra! nam ego in mea Eccleſia continuò me ad

inda-

indagandum, & perſcrutandum confero: ſtatimq; occurrit mihi Gregorius XIII. quem ſcio Pio V. ſucceſſiſſe. hunc verò conſtat Pij IV. fuiſſe ſucceſſorem. Pium IV. Pauli IIII. Paulum IIII. Marcelli II. Marcellum ſecundum Iulij III. Iulium III. Pauli III. & vſque eo progredior, vt ad Linum, ad Clementem, ad Petrum ipſum perueniam. demum penetrans, vt ità dicam, in apertum Chriſti latus, ſicuti mihi ſeſe offert cathedræ ſucceſſio, ita doctrinæ ſucceſſionem, quaſi manibus, firmiſſimè comprehendo. Sed vos, ò Caluiniſtæ, quid agitis? rumor eſt, nunc apud vos quendam eſſe, Beſam nomine: & ante illum fuiſſe Caluinum; qui Farello ſucceſſerit. poſt hos verò quot, quæſo, produciris? heu iam finis factus eſt. ò miſerum angiportum! & deinde audetis vos, anguſtiſſimam ſemitam veſtram cum latiſſima illà, regiaq; vià conferre, qua vſque ad Petrum ipſum perducimur? ad hæc quid dicitis? errorem veſtrum non agnoſcitis? qua ratione vos ipſos defenditis? dicetis fortaſſe, ante Farellum alios fuiſſe, incognitos quidem illos, ſed quorum alius alij ſucceſſerit: ſciebam profectò, vos hoc modo reſponſuros. ſed iàm præcluſus vobis eſt aditus. nam, ſi memoria tenetis, antea docuimus, Eccleſiam inuiſibilem, & incognitam non eſſe Eccleſiam: quare cum doctrinæ ſuceeſſio, & ſucceſſio cathedræ inter ſe coniunctæ ſint, neque vos in veſtra Eccleſià oſtendere poſſitis, quod ego in mea oſtendo, continuatam, perpetuamq; ſacerdotij Apoſtolici ſeriem, oportet, velitis nolitis, vel, quòd verum eſt, fateamini, nempè apud nos eſſe veram Eccleſiam; vel idem vobis accidat, quod accidit infelici Caluino. is enim vbi maximè ſe vrgeri ſentit, quandoq; fatetur miſer, iam eſſe laqueos iniectos: deinde, cum eos ſoluere, ſeq; ex eis eximere nequeat, tanto dolore, atque iracundia exardet, vt vertatur in rabiem, atq; argumentorum, & rationum loco, omnis maledicti, probri, conuicijq; torrentem contra nos euomat, peſtilentem, & fœtidiſſimum.

diſſimum. ò infelicem, ò miſerum! & eo miſeriorem, quòd etiam ridiculus eſt. libro ſuæ Inſtitutio. 4. cap. 2. poſteaquàm affirmauit, ſine dubio omnes antiquos patres ſemper ſcrutatos eſſe veritatem Eccleſiæ, per hanc ſucceſſionem Apoſtolicam; vbi argumentis noſtris reſpondendum fuit (quibus tamen quid reſponderi potuit?) præter rem ad conſectandum nos conuicijs ſe conuertit: omnibuſq; verborum contumelijs lacerat, atq; in nomen noſtrum acerbiſſimè, & petulanter inuehitur. Sed vidiſtisne vnquam, auditores, importunam aliquam volucrem, & deformem, viſcatis uirgis inhæreſcentem, vel in caſſes delapſam, quæ tantò magis ſeipſam inuoluit, & implicat, quanto magis pedes agitare, & alas quatere contendit? vidiſtiſne, inquam, beluam immanem, vinculis alligatam, & conſtrictam? quæ vbi omnem artem, & omnem vim adhibuit, vt vincula reuellat, poſt maximas agitationes, poſt plurimos impetus, & conatus inanes, poſtremò ſpumas in ore agere, ſæuire, & frendere dentibus, atque horribiles vlulatus edere incipit? cumq; nihil ſuccedat, furens exedere catenam tentat, & quandoq; dentes ſuos excutit, ſæpeq; carnes etiam, & membra propria dilacerat? hoc ipſum Caluino contingit, in vincula coniecto, firmiſſimiſq; argumentis ſucceſſionis Apoſtolicæ conſtricto. miſer, quantum ſe agitat! hùc, atq; illuc ſe verſat, caput quaſſat, & membra omnia, vt à ceruicibus iugum deijciat, ſed fruſtra. quare poſtremò totus in meram ſpumam conuiciorum abit, denteq; maledico nos carpere, famæq; noſtræ nocere conatur, quamuis potius ſibi ipſe officiat. nam certiſſimum indicium eſt, eum argumentis, & rationibus carere, qui ad calumnias, & conuicia ſe conuertat. ſed quod ſibi ipſe intriuit, id exedat. Ego quidem credo *Eccleſiam*: non quamcunq;, ſed *Apoſtolicā Eccleſiam*, id eſt eam, in qua ab Apoſtolorum temporibus ad noſtra hæc mihi ſe ſe offert directa, & continuata Pontificum

ſuc-

ſucceſſio. quæ an certiſſimum ſit indicium, & argumentum veræ dignoſcendæ Eccleſiæ, non poſtulo, vt mihi affirmanti credatis; dummodò ne ipſius Caluini, contraria aſſerentis, ſententiam probetis. tantùm per ſalutem veſtram vos obſecro, vt vos integros reſeruetis, quòad me patrum multorum doctrinã afferentem audiatis, qui de hac Apoſtolica ſucceſſione tractauerunt; deinde opinionem illam ſequamini, quæ veſtræ conſcientiæ iuſtior, & verior eſſe videbitur. Clemens Romanus, Petri diſcipulus, & ſucceſſor, ita docet. *Vt cum Dei lex legitur, veram illius intelligentiam ab eo diſcamus, qui etiam à maioribus, & à Dei ſacerdotibus, quorum muneris id ſit, traditam ſeruat.* videte, an magiſterium cum ſacerdotio coniungat. Ruffinus lib. 2. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 9. loquens de Gregorio Nazianzeno, & de Baſilio Græcorum omnium Theologorum doctiſſimis, ſcribit, *Sibi Dei intelligentiam non ex propria præſumptione*, ò Caluine, *ſed ab antiquioribus ſacerdotibus poſtulabant: quod ipſos ex Eccleſiaſtica ſucceßione* (audiſne?) *eam intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtaret*. Irenæus aduerſus hæreſes lib. 3. cap. 3. & 4. poſtquàm ſucceſſionis lineam deduxit à Petro vſq; ad Eleutherium, qui tunc viuebat, addit. *hac ordinatione, ac ſucceßione ea, quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio, & veritatis præcognitio, peruenit vſq; ad nos*. Tertullianus item, contra hæreſes ſcribens, hanc admirabilẽ viam aperit, qua conuincantur hæretici: ideſt, cum ab eis quæritur, *vt edant origines Eccleſiarum ſuarum, vt euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum: ita per ſucceßiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, aut Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit, habuerit auctorem, & anteceſſorem: hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ referunt: ſicut Eccleſia Smyrneorum Polycarpum à Ioanne collocatum refert: Romanorum Clementem à Petro edit*. poterat ne Tertullianus, ſi cum ipſo Caluino diſputaſſet, melius, aut aptius

ar-

argumentari? Origenes etiam in Euangelium. Math. tract. 19. dicit *Hæreticis credere non debemus, neq; à paterna ſacerdotum doctrina, & Eccleſiaſtica traditione exire*. Cyprianus, vbi diutiſſimè de hac Apoſtolica ſucceſſione tractauit lib. 2. epiſt. 12. addit, *Et hac vna ratione Eccleſia à quibuſdam confictis, & ſimulatis coniurationibus eſt dignoſcenda*. Hieronymus aduerſus Luciferianos ita ait: *In ea Eccleſia nobis eſt permanendum, quæ, ab Apoſtolis fundata, vſque in diem hanc ſucceßiuè durat*, & ſemper durabit. Sed Auguſtinus, is, cui quandoq; ſe credere Caluinus ſimulat, quo nam argumento ſæpius eſt vſus, vt hæreticos ſui temporis conuinceret, & retunderet, quàm hoc ipſo ſucceſſionis? audite ipſum cap. 4. contra Epiſtolā fundamenti; an loqui clarius potuerit, cognoſcite. *In Eccleſia me tenet, ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum*. & eodem loco tanquàm ad Caluinum conuerſus, *O infelix anima, cui te cōmittis? cur non potius te ſubdis Euangelicæ auctoritati, ab ipſis Apoſtolorum temporibus vſque ad hæc noſtra per ſucceßiones legitimas commendatæ?* Et ad Donatiſtas dicebat. *Numerate ſacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, & in illo ordine patrum, quis cui ſucceßit*: quod ipſum etiam eiſdem ferè verbis poſteà expreſſit ad Parmenianiſtas Optatus Mileuitanus, cum dixit, *Veſtræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Eccleſiam vindicare*. eodem modo, auditores, reliquos antiquos patres citare poſſem: quorum nemo non conſtantiſſimè affirmauit, nuſquam alibi credendum veram eſſe Eccleſiam, niſi vbi iſta ſucceſſio reperiatur. quòd ſi Clementis, & Ruffini, & Irenæi, & Tertulliani, & Origenis, & Cypriani, & Hierōnymi, & Auguſtini, & Optati, totq; aliorum teſtimonio, auctoritatiq; non acquieſcitis; cui nàm tandem fidem adhibebitis? Et tamen præter vnum Clementem nemo Roma-

nus

nus eſt, nemo eſt Italus; qui vobis fortè ſuſpecti ſint, vti primatus Romani defenſores: immò, cum ex diuerſis orbis partibus oriundi ſint, ab Africa, Græcia, Aſia; omnes tamen in primis fundamentum firmiſſimum veræ Eccleſiæ in hac ſucceſſione Romanæ Cathedræ conſtitutam putant. quid ad hæc, Caluine, dices, quò confugies?

Præcludite vobis aditum omnem aurium, auditores, ne atrociſſima blaſphemia, & temeraria, & ſceleſtiſſima, & ante hoc tēpus inaudita vox eas contaminet. ò, Caluine, Caluine, quò te rabies impellit? quò te cupiditas falſæ, & iniuſtiſſimæ defenſionis præcipitem agit? ſciebatnè Caluinus, auditores, poſſe nos in Eccleſia noſtra hanc ſucceſſionem Apoſtolicam oſtendere? ſciebat prorſus. nam ore ſuo, ſiue calamo, Epiſt. ad Regem, cum de nobis loqueretur, ait. *Eccleſiæ formam in Sede Romana Eccleſiæ, & præſulum ſuorum ordine conſtituunt.* Sciebat ne hanc ſucceſſionem, antiquorum patrum iudicio, eſſe certiſſimum veræ Eccleſiæ argumentum? ne id quidem ignorabat. probatur id verbis ipſius lib. 4. Inſtitutio. cap. 2. ſectio. 2. vbi fatetur, ſe vidiſſe quibus in locis rē tractarent patres, ſcireq́. (verba ſunt ipſius) *Quanti hanc ſucceſsionem fecerint, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Auguſtinus, et alij* (*Deo magnas habeo gratias*) Sciebat igitur, omnes iſtos patres ſucceſſionem hanc per magni facere. ipſe verò quid conſilij capit? probat ne fortaſſe patrum iſtorum ſententiam, eisq. honorem eum tribuit, quem debet? ò arrogantiam incredibilem! ò inſolentiam non ferendam! audite, quæſo: omnes illi patres ſucceſſionem plurimi faciunt: ſed omnes decipiuntur, quoniam *friuola ſunt iſta, & planè ludibria*. ò Deus meus, & adhuc reperiuntur homines, ab hoc ſceleſto veteratore, infamiq́; falli ſe patientes? qui patres antiquos ludificat, qui rem affert, Irenæo, Tertulliano, Origeni, Auguſtino, ſexcentisq́; alijs probatiſſimam, & ipſe primum

fate-

fatetur,id ſibi eſſe cognitum: deinde non ſolum reijcit, & aſpernatur, verùm etiam irridet? En,infelices decepti, modeſtia fraudatoris veſtri. ſed is iam ibi eſt,vbi diligenter ineuntur,& bene ſubducuntur rationes. Interim verò adeſte animis, auditores: omnibus ne ijs patribus, quorũ ſcripta paullo ante recitaui, an Caluino ſoli credere mauultis? profectò niſi iudicio, ac propè ſenſu omni careatis,Caluinum reijciendum, patribus adhærendum putabitis: qui ſimul omnes conſentiunt, decernuntq;, ibi veram eſſe Eccleſiam, vbi in vna cathedra reperiatur conſtans, perpetuaq; ſucceſſorum ſeries, quæ ab Apoſtolis ipſis deducatur. ſed cum huiuſmodi ſeries nunquam reperiri poſſit, niſi in Eccleſia Romana; quare tandem, ò miſerabiles animæ, ad gremium veræ Eccleſiæ Romanæ non reuertimini? nam ſicut ab hoc Gregorio XIII. vſq; ad Petrum videtis,nunquam interruptã fuiſſe ſucceſſionem Epiſcoporum; ita,cum iuriſdictio,& magiſterium ſemper coniuncta ſint,compertum vobis,certumq; ſit, ab ipſis Apoſtolis vſq; ad nos doctrinæ Apoſtolicæ filum nunquam interruptum fuiſſe.

Sed cur non Africam citant, & Aegyptum, & totam Aſiam? nempè quia in omnibus illis regionibus deſijt ſancta hæc Epiſcoporũ ſucceßio, cuius beneficio Eccleſias ſe retinuiſſe gloriantur. Leuiſſimum ſanè,& ineptiſſimum argumentum. Equidem, auditores, quandoq; inſaniſſe Caluinum, & præ rabie in furorem verſum exiſtimo. quî enim aliter fieri potuit,cum in tàm graui materia,tàm inani,tàmq; puerili argumento vtatur? attendite,quæſo. nos dicimus,vbi legitima ſit Epiſcoporũ ſuccesſio,ibi verã eſſe Eccleſiam: ipſe verò contra argumẽtatur, hoc modo: in Aegypto deſijt legitima Epiſcoporum ſucceſſio, ergo non reperitur vera Eccleſia. acutè ſcilicet, & planè ad rem noſtram: legitima ſucceſſio Epiſcoporum in Africa deſijt,ergo Romana nõ eſt vera Eccleſia: quis niſi demens hoc modo concludat? perinde,

 ac

ac ſi dicas, Papa Romæ eſt, cras, igitur, pluet. Et quonam homo iſte mentem, & cogitationem omnem ablegarat, dum hæc ſcriberet? ſi affirmaremus, Epiſcoporum ſucceſſionem in aliqua noſtræ diœceſi nunquàm poſſe deficere, cum oſtendatur in Africa, vel in Aegypto defeciſſe, momenti aliquid haberet argumentum. ſed nos non dicimus, cum in aliqua diœceſi fuerit iſta ſucceſſio, fore, vt ſemper in eadem perſeueret. id ſolùm conſtanter aſſeueramus, omnis Eccleſiæ Romanæ ſemper in aliqua diœceſi conſeruatam fuiſſe ſucceſſionem; atq; præ cæteris omnibus in ea ſede, ſolioq;, in quo mortuus eſt Petrus: & in quo ſemper is ſedet, qui caput eſt Eccleſiæ, Petri ipſius ſucceſſor: in eo dicimus conſeruatam fuiſſe, ſemperq; tempora per omnia conſeruatum iri ſucceſſionem Apoſtolicam. in omnibus enim noſtris diœceſibus ſemper fuit Apoſtolicum filum: quòd ſi forte in aliqua deſijt, in alijs permanſit: atque in primis, præcipuèq. Romæ permanſit, & perpetuò permanebit. in Africa defecit, & iccirco ibi non eſt Eccleſia. ſed ego argumentum in aduerſarium retorqueo: dicoq. Romæ nunquā deſijt, igitur Romæ vera eſt Eccleſia. fortunata Roma, quantum enim fauorem, quantam gratiam à Chriſto conſecuta es, quando Petro tuo dixit, *Ego pro te rogabo, Petre, vt non deficiat fides tua?* quod quidem poſtea euentus ipſe comprobauit. nunquam enim Romæ fides defecit, nunqnam defecit Eccleſia. hoc modo antiqui patres de hac ſucceſſione ſenſerunt. quoties enim probare voluerunt Eccleſiam, atque ad eam probādam vſi ſunt ſucceſionis argumento, non ipſam ſucceſſionem, vti Caluinus, per omnes diœceſes quæſierunt, ſed illis ſatis, ſuperq. fuit, eam Romæ reperiri. Auguſtinus, quamuis Africanus, non ab Africana Eccleſia argumentatus eſt, vt tu, Caluine, ſed à Romana: audi. *Si ordo tibi ſuccedentium Epiſcoporum conſiderandus eſt, quantò certius, & vere ſalubriter ab ipſo Petro numeramus?*

Petro

Petro enim ſucceßit Linus, Lino Clemens. Tertullianus item Africanus non vſus eſt argumento Eccleſiæ Africanæ, vt tu vteris, Caluine, ſed Romanæ: attende. *In negotio ſalutis tuæ percurre Eccleſias Apoſtolicas*: & paullo poſt, *Romam habes, vnde nobis quoque auctoritas præſto eſt ſtatuta*. Optatus pariter Africanus non argumentum ſumpſit ab Eccleſia Africana, vt tu, Caluine, ſed à Romana: aduerte. *Ergo in cathedra vna ſedit prior Petrus, cui ſucceßit Linus*: quare, ſi alia, firmioraq; argumenta tibi non ſuppetebant, præter illud vanum, & ineptum Africæ, id ipſum etiam omitti, planeq; taceri potuit. Euomatur tandem, euomatur virus: erumpat, Caluine, rabies tua in contumelias, in conuicia, in ſceleſtas, & nefarias voces. quoniam rationes deſunt, quàm petulanter inuehitur in ſacerdotes? quam acri morſu rabidus canis lacerat Epiſcopos? quis hic eſt diſputandi modus? cur præter rem, non laceſcitus, & ſine vlla occaſione in maledicta, & in iurgia prorumpit? ſed conſiſtite parumper, iam cauſſa contumeliarum patet. Satis is intelligit, ſucceſſionem eſſe certiſſimum ſymbolum Eccleſiæ: videnſq;, nullum iam ſibi relictum eſſe negandi locum, quin filum Pontificum noſtrorum vſque ab ipſo Petro rectiſſimè deducatur, eô confugit, quô poteſt: atque inprimis magno, & impudenti mendacio fallere conatur: affirmat enim non recte Petri ſucceſſorem appellari, qui Petri vitam, & mores non imitetur. deinde probra omnia, iurgiaq; in noſtros ſacerdotes congerit, & quaſi conuiciorum aceruis eorum obruere ſucceſſionem conatur, dum eſſe Petri diſſimiles arguit. ſiccine, igitur, Caluine? ergo negas, eſſe ſucceſſionem, niſi vbi ſit imitatio? verba ſunt tua lib. 4. Inſtitutio. cap. 2. ſectio. 3. *Quid valet ſucceßio, niſi imitatio etiam coniuncta ſit*? tueamini veſtra iura vos, ô Principes, nam ea ratione multis imperia, & ditiones adimeret: & fortaſſe non

ſine aliqua ſeditionis cogitatione, cupiditateq; verba hæc effudit. ſed nonne tu Caluine, paullo ante acerrimus eras Anabaptiſtarum oppugnator, dum ij cenſebant, ſine operum perfectione Eccleſiam eſſe non poſſe? Et nunc tàm repentè ad eorum caſtra transfugiſti, ſtatuiſq;, eum qui perfectionem operum amittat, ſimul etiam Eccleſiæ ſucceſſionem amittere? conſtantiam hominis cognoſcite. libro 4. cap. primo dicit, *Errant, qui non putant eſſe Eccleſiam, vbi non eſt vita puritas*: & continuo lib. eod. cap. 2. ait, *Quid valet ſucceſſio, niſi ſit imitatio?* bone Deus, contradictiones tàm manifeſtæ, pugnantia tàm aperte vim non habebunt, vt decepti, qui quodammodo deſipuerant, reſipiſcant, vt cæcutientes offuſam caliginem diſcutiant? quomodo enim, Caluine, mentiri tam impudenter audes, in ſucceſſione imitationem eſſe neceſſariam? rurſuſq; dolosè mentiri, dum tot, tantaq; vitia in ſacerdotibus noſtris, ſanctiſq; Pontificibus enumeras, quorum multi in ſanctorum numerum relati, multi item martyrij palma decorati ſunt? & quidem, auditores, nos in eorum numero reponi non recuſamus, qui ſe peccatores eſſe, libenter confitentur: ſed ſi in nobis eſſet vitæ puritas, & innocentia, qualis fuit in Hieronymo, in Auguſtino, & in Paullo Eremita, nihilominus honori noſtro, famæq; hæretici detraherent: cum hæreſis, & maledicendi ſtudium ita coniuncta, connexaq; ſint, vt ſeiungi vnquam, ſeparariq; non poſſint. interim me benignè, & attente audite, non conuicia in bonos, non probra in vllos vobis afferentem, ſed veras, & ſolidas rationes: cùmq; ad concluſionem firmiſſimam peruenerimus, vt paucis expediam, mementote, Eccleſiam veram eſſe vnam tantùm, fideles omnes continentem, qualeſcunq; ſint, iuſti, vel iniuſti: hanc ſemper eſſe viſibilem, poſſeq; certis ſignis, & ſymbolis, optime dignoſci; quæ ſunt; *vna, ſancta, catholica, & Apoſtolica*.

atque

atque ex his colligite, & concludite, Romanam Eccleſiam ſolam eſſe veram Eccleſiam. Cæterùm credite, omnia hæc conuenticula, pellices, & concubinas eſſe Diaboli: exulum aſyla, deſperatorum hominum receptacula: atque, vt vno verbo cõprehendam, nihil eſſe, niſi nefarias conſpirationes in Summum Pontificem, & in vrbem Romam. nunc, vt libet, felices abite.

DISCEPTATIO QVARTA.

Qua duo grauiſſima noſtræ fidei dogmata probantur; vnum, veram Eccleſiam errare non poſſe: alterum, Dei verba partim eſſe ſcripta; partim non ſcripta.

Aduerſus ea, quæ Caluinus blaſphemat de Chriſti promiſſionibus, Apoſtolis factis, & de traditionibus Apoſtolicis: toto cap. octauo libri Quarti Inſtitu.

SI verum eſt illud, quod principio dicebam (quod quidem veriſſimum eſt) diſceptationes omnes; & lites, & controuerſias, quæ vnquam fuerint inter nos, & hæreticos, quot quot ſint, vel fuerint, vel poſthac futuræ ſint, eô redigi, vt conſtet, quænam vera ſit Eccleſia; cum à me probatum ſit, veſtrum etiam omnium (vt arbitror) iudicio per quatuor manifeſta ſymbola, omnes alias Eccleſias falſas eſſe, ſolam autem Romanam veram; lætandum mihi eſſet, quòd dirempta controuerſia, ſublata diſceptatione, dijudicata lite, obtenta cauſſa, meis etiam laboribus finis eſſet impoſitus. nam, vti iam dixi, ſi de ſacris imaginibus tractaretur, poſſem, cæteris omiſſis, dicere, videamus, an eas pingi velit Eccleſia Romana. ſi de mortuis, quæramus, an ea pro ipſis precetur. ſi de ſanctis, conſulamus, an ipſa inuocet. ſi de Miſſæ ſacrificio, exploremus, an illa celebret. pariq. modo de alijs

omnibus, de quibus,vt dubium oriretur, fortè contingeret. Sed quæ (malùm) infelicitas iſta eſt, vt conſtricti, deuinctiq; Caluiniſtæ veritate Romanæ Eccleſiæ, adhuc tamen ſibi (quamuis turpiſſimè) perfugium quærant? & cum prorſus non videant, qua ratione noſtram negare Eccleſiam poſſint, ne tamen parere eidem compellantur, in barathrum immenſum ſe præcipites conijciunt, affirmantq; (o blaſphemiam immanem!) etiam Eccleſiam veram ſæpenumero errare, & falli. denique dicunt, Vera eſto Eccleſia Romana: ſed errat in pingendis imaginibus, in orationibus pro defunctis, in inuocandis ſanctis, in ſacrificijs Miſſæ, & in pluribus alijs: vt mirum videri non debeat, ſi nos in his omnibus ab illa diſſentiamus,& cōtraria ſtatuamus. hoc, igitur, modo Caluine? errare, ergo, vera Eccleſia poteſt? quod ſi verum eſt, quid nobis vnquam certi, quid explorati eſſe poterit in terris? ſed à rebus certis abhorret Caluinus: immò, vti ſemper mos fuit hæreticorum omnium,verſari in incerto cupit. ambiguitates amat: dubia quærit: vult tenebras: noctem expetit. atq;, vt nunquam ſciamus,quidnam verum ſit,in dubiũ reuocat etiam illud ipſum verum, quod ſancta aſſeuerat Eccleſia. Montanus hæreticus iàm tanto abhinc tempore, cum ſe conuictum cerneret à ſanctionibus ſanctæ Eccleſiæ; diſcipulis ſuis, ne Eccleſiæ crederent, præcepit, quoniam errare poſſet. Neſtorius hæreticus (Vincentius Lyrinenſis ſcribit) non eſſe mirum affirmauit,ſi Eccleſia ſancta ſæpenumero laberetur,cum fallaces doctores ſequeretur. Iconomachi hæretici, vt habet ſeſſio ſexta ſeptimæ synodi, dicebant, multo tempore veram Eccleſiam erraſſe. Donatiſtæ, & Rogatiani hæretici, vt habetur apud Auguſtinum pluribus locis,quamuis paullo obſcurius,tamen vt aliquò confugerent, idem affirmabant. Vuiclephus damnatus Conſtantienſi Concilio eiuſdem fuit ſententiæ. noſtra verò tempeſtate Lutherus,& Caluinus prouidentes ſine dubio

bio probatum iri facillimè,ſolam Romanam eſſe veram Eccleſiam, quò aliquod ſibi perfugium quærerent, cum id vt probaretur, contingeret; anteuertendum putarunt, dixeruntq;, ipſam etiam veram Eccleſiam errare poſſe. immò Caluinus,ſemper nos conuicijs & maledictis conſectans, multis locis ſcriptũ reliquit, quoties ſancta Eccleſia diſcedit ab expreſſis, & explicatis Dei verbis, ſemper (modeſtam hominis vocem agnoſcite) ſpurciſſimè hallucinari: cum potius ſpurciſſimè ſceleratus ipſe, & temerarius,& impius mentiatur. ſed vt inde etiam intelligere poſſitis, Caluinum ſibi latibula quærere, hoc ipſum etiam probabimus apertiſſimis ſcripturæ ſacræ teſtimonijs. itaq; cum Eccleſiam iam inuenerimus, vbi nunc probetur, errare ipſam non poſſe; tribunal, ò decepti,ſtatuetur vobis: de quo iuſta ſententia pronunciari vobis poterit, ego ne, an Caluinus vera vobis attulerit.

Et quidem teſtimonia ſcripturæ tot,tantaq; ſunt,vt temporis anguſtiæ me ſingula referre, & explicare nõ patiantur: ſed ſunt etiam tàm aperta,firmaq; vt,cum ea non dicam fuſius retulero, ſed vix attigero, vos,ni fallor, veritatem ipſam intueri, & quaſi manu comprehendere poſſitis. in primis verò omnia illa, quæ ad matrimonium indiſſolubile Chriſti cum ſponſa ſancta Eccleſia pertinent, à me faciunt: quoniam, cum matrimonij huius (vt prima diſceptatione diximus) vinculum ſit vera fides; quibus locis promittitur, nunquam fore diuortium inter Chriſtum, & Eccleſiam, eiſdem etiam promittitur,fieri non poſſe, vt vnquam in vera Eccleſia vera deficiat fides. itaq; conſequens eſt, vt ipſa,quòd ad fidem pertinet, errare nunquã poſſit. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*, dicit ſponſus apud Oſeam: & ſponſa in Canticis reſpondet, *tenui eum, & non dimittam*. Synagoga *tenuit, & dimiſit*: ſed Eccleſia *tenet, & non dimittit*. vultis cognoſcere, hanc matrimonij perpetuitatem in ſtabilitate, &

perſeuerantia veræ fidei contineri? Oſea ipſe addit, *Sponſabo te mihi in fide*. itaq; teſtimonium hoc, & reliqua ſimilia apertiſſimè docent, ſi Eccleſia erraret in fide, fore, vt illicò ſequeretur diuortium. at, quoniam inuiolabile eſt matrimonium, inter Chriſtum, & Eccleſiam errare ipſa nunquam poteſt. præterea, qua ratione fiet, vt is errare poſſit, quem perpetuò Deus ipſe regit, & gubernat? Et Dauid, de Eccleſia loquens, quam Syon appellat pſalmo 47. videtur mihi, omnibuſq; magis pijs, & eruditis expoſitoribus id clariſſimè dicere ijs verbis: *Circundate Syon, & complectimini eam, quoniam hic eſt Deus noſter in ſeculum*. &, quod plurimi refert, *Ipſe reget nos in ſecula*. item per Eſaiam loquens Deus, ſe perpetuò affuturum, vt conſeruaret, retineretq; veritatem immaculatiſſimam in Eccleſia ſua, id exaggerat adeò, atque amplificat, vt nullus relinqui videatur dubitandi locus. nam poſtquàm dixit, *Hoc fœdus meum cum eis*; continuò addit, *Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui amodò, & vſque in ſempiternum*. Semen Dauid nemini dubium eſt, quin ſancta ſit Eccleſia. quem Deus præparat ſemper, is errare nunquam poteſt. itaque in pſalmo dicitur. *Iuraui Dauid ſeruo meo vſque in æternum præparabo ſemen tuum*. an verò fieri poteſt, vt Dei domus, & habitatio commaculata ſit? vel fieri poteſt, vt Deus erroribus delectetur, & in erroribus acquieſcat? an ipſe de Eccleſia ſua, & de ſancta ſua Syon non expreſſè dicit, *Elegit Dominus Syon, elegit eam in habitationem ſibi? Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam?* Angelus ipſe, qui miſſus eſt ad annuntiandum aduentum Domini in terras, promiſit Dei filium perpetuò nobis affuturum in regno Iacob, id eſt in Eccleſia ſua, cũ dixit, *Regnabit in domo Iacob in æternum*. eſt petra: & quidem firmiſſima petra, ò auditores, ſancta Eccleſia: vel ſaltem fundamenta habet in firmiſſima petra: quamobrem

obrem non ſolùm non concidit, ſed ne vacillat quidem, aut nutat: & Chriſtus ipſe apud Matth. 7.id aperte confirmat,cum dicit: *Simile eſt regnum cælorum homini ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra firmam petram*. præterea, cum Eccleſia,quæ è cœlo deſcendit, non ſit triumphans Eccleſia,ſed militans; &, cum dicat Ioannes in Apocalypſi, dum videret *ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cælo, tanquam ſponſam ornatam viro ſuo*, eodem tempore auditam ab ſe vocem, dicentem: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus*; qua ratione fieri poterit, vt deprauata ſit, vel imperfecta, vel errorum tenebris obſcura, fœdaq́; habitatio illa, in qua ſemper habitat Deus? & Paullus Apoſtolus nonne apertiſſimè dixit, à Chriſto tantopere dilectam fuiſſe Eccleſiam, *vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata*? an verò ſancta, & immaculata erit, ſi quotidie in errores delabetur? & ad Timotheum (audite, quæſò, & videte, quid ad hæc reſponderi poſſit) loquens de Eccleſia, nonne Paullus ipſe dicit, *vt ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt columna, & fundamentum veritatis*? præclaram verò columnam, & egregium, ſolidumq́; veritatis fundamentum, ſi errare eam arbitremur. Chriſtus item Apoſtolis dixit, & in ipſis dixit Eccleſiæ, *Quæcunque ſolueritis, & quæcunque ligaueritis*. immò dixit, *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſeculi:* videte vos, an adſit Eccleſiæ. quin etiam dixit, *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum:* videte, an errare poſſit Eccleſia. ſed ego in præſentia, cæteris omiſſis, afferam tantùm promiſſa illa apertiſſima, quibus Chriſtus Apoſtolis, & poſt eos, Eccleſiæ ſuæ pollicetur, adfuturum Eccleſiæ perpetuo Spiritum ſanctum: vt certiſſimi ſimus omni tempore

re quicquid vnquam docebit Eccleſia, ſemper doctrinam fore Spiritus ſancti; præſertim cum dixit; *Ego rogabo patrem, & aliũ paracletum dabit vobis, qui maneat vobiſcum in æternum.* & quando addit, *Paracletus autem Spiritus ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia:* & denique, vbi apertiſſimè dixit, *Cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. quibus promiſſis ſic ſe habentibus, vt firmiſſimè ſe habent, cum illius ore facta ſint, qui mentiri, qui deeſſe non poteſt; immortalis Deus, qua ratione tergiuerſari adhuc quiſquam poteſt, aut recalcitrare, & non continuò fateri, veram Dei Eccleſiam gubernatam, rectamq; perpetuò à Spiritu ſancto, non affirmare, niſi quæ iuſtiſſima ſint, non labi, errare nunquam poſſe? audi, Caluine. *Manebit vobiſcum in æternum: ille vos docebit omnia, ille ſuggeret vobis omnia: ille vos docebit omnẽ veritatem*. verba hæc omnia Chriſti ſunt: omnia à Spiritu ſancto dicta: omnia dicta Eccleſiæ. tu verò quid de his promiſſionibus dicis? cognoſcite, auditores, quid dicat: lib. 4. Inſtitutio. cap. 8. ſectio. 11. *Præclaras promiſsiones habet Eccleſia, quòd nunquam à ſponſo ſuo Chriſto ſit deſerenda, quia eius ſpiritu ducatur in omnem veritatem*. Et quidem hactenus melius dici non potuit. ſed vetuſto hæreticorum more; quorum ſpecies admirabilis eſt, qui ſemper absynthium melle illitum offerunt; quorum dealbatis in ſepulchris cadauera ſunt; qui agnorum pellibus efferatam luporum rabiẽ contegunt. *Præclaras promiſsiones habet Eccleſia, quod nunquam à ſponſo ſuo ſit deſerenda*. cur, igitur, non fateris eam errare non poſſe? cur credis, ſponſam hanc, perpetuò coniunctam ſponſo ſuo, mentiri poſſe? auditores catholici, hic Caluinus ſeipſum miſerrimè implicat: intelligetis poſtea, quò turpiſſimè confugiat. nam primò fatetur, deinde aliò ſe conuertit: quia ipſe etiã has promiſſiones videt. exempli gratia capiamus hanc. *Ille docebit vos omnem veritatem:* volo enim antequàm progrediamur

mur

mur vlterius, vt videamus, quibus id Chriſtus promiſerit: an ſolis Apoſtolis: an poſt eos cuilibet fideli, in Eccleſia ſeparatim; an Eccleſiæ quidem, ſed toti ſimul Eccleſiæ. id eſt, an Apoſtolis ſolis datum ſit, vt nunquam poſſent, non vera dicere, an noſtrum cuilibet, qui fideles ſumus; an vero toti corpori Eccleſiæ ſimul congregatæ. hoc loco etiam perſpicietis, quantùm hæretici à medio refugiant, & extrema amplectantur. contrà verò quàm nos, extrema vitantes, medio ſemper hæreamus. extremũ eſt, vt Chriſtus illud ſolis Apoſtolis promittat: extremum item eſt, vt promittat non ſolum Apoſtolis, & Eccleſiæ ſimul congregatæ; ſed etiam fideli cuilibet ſeorſum: medium verò eſt, vt nõ ſolis Apoſtolis, neque cuilibet fideli, ſed Apoſtolis, & Eccleſiæ ſimul congregatæ fiat promiſſio. medium amplectimur nos; hæretici verò in extrema ſe conijciunt. quid verò dici abſurdius, aut excogitari poteſt, quàm ſolis Apoſtolis factam fuiſſe promiſſionem? nam ſi Chriſtus dicit de ſe ipſo, id eſt de ſpiritu ſuo, *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſeculi*; & de eodem ſpiritu, *Qui maneat vobiſcum in æternum*; vixerunt ne ſemper Apoſtoli? manſerunt ne ij in terris vſque ad conſumationem ſeculi? nequaquam. quomodo, igitur, Spiritus in terris cum illis manſit in æternum? ſed ſenſum ſuum apertiſſimè declarauit Chriſtus, affirmans, ſe non de ſolis ijs locutum, ſed etiam de illis, qui credituri erant cum dixit: *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed pro eis, qui credituri ſunt per uerbum eorum in me.* Eſaias dicit, *De ore tuo, & ſeminis tui, & ſeminis ſeminis tui amodò, & vſque in ſempiternum*. quòd ſi poſtremò, quæ à Chriſto dicta ſunt Apoſtolis, interpretaremur, ſolis Apoſtolis fuiſſe dicta; quis non affirmaret, ad Apoſtolos tantùm præcepta, & conſilia Euangelica pertinere, neque aliquid cuiquam noſtrum præceptum, vel conſultum fuiſſe? adeò verò falſa, vanaq; eſt, auditores, hæc expoſitio, vt ab ea etiam ipſe Caluinus abhorreat. cui

cum

cum certum ſit,& decretum, ſemper ab opinionibus,& expoſitionibus catholicis diſſentire, ſine dubio, ſi fuiſſet ſpes tuendæ huius expoſitionis hæreticæ, omnino eam amplexus eſſet: ſed non amplectitur, immò oppugnat. & poſtquàm oppugnauit, nolens adhuc nobiſcum conuenire; neceſſe eſt, eum ad aliud extremum tranſilire, diceretq́;, cum Dominus promiſit, *Spiritum ſanctum edocturum omnem veritatem*, intellexiſſe, poſt Apoſtolos, non ſolam totam ſimul Eccleſiam in concilijs, vti dicemus poſtea, ſed quemlibet chriſtianum ſeorſum, ſemper Spiritus ſancti præſentia, & pietate tanta præditum fore, vt in omnibus rebus ſine internuntio ab ipſo Spiritu ſancto omnem veritatem intelligeret. quæ opinio adeò falſa, & abſurda eſt, vt indigna ſit, quæ à me refellatur. Eò magis, quòd quamuis vera eſſet, nihilominus tamen, vt oſtendam, mecum faceret, mirificeq́; ſententiam meam confirmaret. Et quidem, ſi verum eſt, quòd Caluinus dicit, *Spiritum veritatis non modò vniuerſæ Eccleſiæ ſimul poſt Apoſtolos, ſed ſingulis etiam Chriſtianis promiſſum, & datum eſſe*, ſicut Spiritus ille in Apoſtolis id præſtitit, vt vera omnia ſcirent, & errare non poſſent; quare non idem præſtat in nobis? quare erramus omnes nos, vel errare poſſumus? tu, Caluine, dicis, Spiritum illum, qui datus eſt Apoſtolis, datum pariter fuiſſe ſingulis fidelibus: ergo etiam mihi; ergo errare ego non poſſum. cur igitur mihi tu non credis? immò ſi ſic eſt, igitur, & tu, & ego ſpiritum habemus veritatis: & tamen contraria, & aduerſa ſentimus: alter, igitur, noſtrum fallitur: quomodo ergo vterque veritatem habet? Præterea, nonne tu idem es, qui paullo ante indignabaris, fremebasq́; (& quidem iuſtè) aduerſus Anabaptiſtas, quoniam omne magiſterium ab Eccleſia ſuſtuliſſent, dicerentq́;, quemlibet ſine magiſtro ea omnia edoctum eſſe diuinitus, quæ ad ſuam ſalutem pertineant? at nunc quomodo ad Anabaptiſtas tranſis? nam, ſi noſtrum quilibet

libet ſpiritum tenet veritatis, quid magiſtris opus eſt? ſexcentis modis conuincere poſſemus, falſiſſimam, & abſurdiſſimam eſſe hanc Caluini expoſitionem, ſi nobis id agendum putaremus. ſed, ſi memoria tenetis, non mei fuit conſilij quærere, quibus promiſſionem ſuam feciſſet Chriſtus; ſed oſtendere, errare Eccleſiam nunquam poſſe. quare, vt omittamus loqui de ſenſu illo, quem Caluinus attulit; hoc vnum affirmo, etiam ſi ſenſus ille verus eſſet, propoſitum tamen ego tenerem. nam, ſi fidelibus ſingulis ſeparatim datus eſſet ſpiritus veritatis, ergo multo magis omnibus fidelibus ſimul: errare ergo Eccleſia non poſſet. audite, decepti, Caluinum ipſum veritate coactum id fateri: ait enim, *Neque nego, quin tota fidelium ſocietas, longè ampliori, & vberiori cæleſtis ſapientiæ theſauro prædita ſit, quàm ſeorſum ſinguli*. addo ego: Caluini ſententia fideles omnes ſpiritum habent veritatis: & in ipſis, vt patet, non falluntur multi: ſed eiuſdem iudicio Eccleſia tota ſimul longè pleniorem abundantiam habet Spiritus ſancti, quàm fidelis quilibet: igitur tota ſimul Eccleſia errare non poteſt: atque illud, quod negabat Caluinus, non ſolùm ſacræ paginæ teſtimonio clariſſimè probatur, ſed etiam ipſemet, veritatis vi cõpulſus, idipſum affirmat.

Præterea, auditores, quamuis reliquæ probationes, & rationes omnes deeſſent, nonne Chriſtus ipſe eſt, qui apud Matth. 18. de Eccleſia loquens ait, *Qui non audierit Eccleſiam ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus?* at, quæſo vos, vult ne Chriſtus, vt fallaci, & mentienti credamus? vult nè, vt nobis obſeruandum ſit, quod præcipitur ab ea, quæ falli poteſt? id nullo modo affirmandum eſt. Chriſtus enim (quod cogitare animus horret,) criminum, & errorum noſtrorum origo eſſet, & cauſſa: quarè neceſſariò dicendum eſt, ab eo præcipi nobis, vt ſemper ſanctæ Eccleſiæ credamus, quoniam is & optimè ſcit, & vult, eam errare nunquam poſſe. maximi momenti locus

hic

hic eſt, auditores: & quoties aduerſus hæreticos adducitur, illos eò redigit, vt quò ſe vertant, neſciant. Caluinum audite: hoc enim vltimum eſt eius perfugium (verba ſunt ipſius) *Eccleſia audienda eſt, inquiunt: Quis negat?* tu, mendax & fallaciſſime, paullo ante negabas, ſed nunc veritate coactus ad hæc cōfugis: *Audienda eſt, quando nihil prænunciat, niſi ex verbo Domini*. ò fœdum receptum, ò turpem, & probroſam fugam! negare non poſſum, Caluinus ait, quin Eccleſiæ credēdum ſit: ſed tunc demum, cum à verbo non recedit: & cum ſanctiones ipſius cum Dei verbo conſentiunt. ſed ò te miſerum! quid enim dicis? quid deliras, quid ſomnias? attendite, quæſo: quid aliud verbum eſt, niſi veritas? *Ego ſum veritas*. recedere à verbo non eſt aliud, niſi falſum dicere. Caluinus ait, Eccleſiam verum dicere, quoties à verbo non diſcedit: igitur omnis hæc ſubtilis diſputatio, hoc vnum concludit, Eccleſiam verum dicere, cum verum dicit. ſed ego ijs teſtimonijs, *Portæ inferi. Ego vobiſcum ſum*, tot, tantiſq; alijs quid aliud docui, quid probaui, niſi Eccleſiam cum verbo ſemper eſſe coniunctam, omneſq; illius ſanctiones ſemper eſſe verba ipſius Dei, à quo gubernatur, & regitur? quid dicitis, Caluiniſtæ? iam ſcio: euomite virus, euomite. non me latebat, quorſum tenderent hæc omnia: ſed audiamus, dicitis vos, non errare Eccleſiā, quoties ſtatuta ipſius, etiā in ſacris ſcripturis ordinata reperiuntur. quod iam diu parturiebat animus veſter, tandem peperit. & ego audacter, & libere dico, hic ſubeſſe omnem fraudem; hancq; enunciationem, vt verbum Dei ſolum ſit, quod in veteri, & nouo teſtamento ſcriptum eſt, eſſe quodammodo viam, quæ vos perditum ducat. nam contra verbum Dei aliud quidem ſcriptum eſt, aliud non ſcriptum. Et non ſolum ſcripturæ ſacræ verbum Dei ſunt; verùm etiam traditiones plurimæ, quas à Chriſto, & ab Apoſtolis perceptas vſq; in hodiernum diem ſancta conſeruauit Eccleſia.

ſia. quare affirmare licet, cum nihil vnquam ſtatuat ſancta Eccleſia, quod non probe cum ſcripturis, vel traditionibus conueniat, in ijs, quæ ſtatuit, ſemper cum Dei verbo conſentire,& errare nunquam poſſe. ſed iſtud ipſum, vt multa Dei verba credenda à nobis ſint, quæ ſcripta non ſunt, quoniam grauiſſimũ eſt, vbi paullulum loqui intermiſerimus, nouo principio tractabimus.

PARS ALTERA.

MOyſes omnium prophætarum princeps, Exodi 3. non eſt miſſus ad alloquendum populum, niſi prius edoctus,& inſtructus Dei ipſius ore: vt eius exemplo perdiſcant, qui inferiores ſunt, quicquid prędicatur, vel ſtatuitur, eatenus eſſe verum & certum, quòad cum Dei verbo conſentiat. ſacerdotes, etſi ſumma auctoritate pollebant, oportebat tamen à lege non diſſidere. *Labia ſacerdotis custodient ſcientiam:* eſto ſanè; ſed *legem requirent ex ore eius.* prophætarum munus erat docere populum, ſed verbum Dei: *Audies ex ore meo verbum, & annuntiabis illis ex me.* Et apud Hieremyam. *Qui habet ſermonem meum.* & clauſulas illas tam frequentes in ſcriptura ſacra, *Verbum Domini: hæc ait Dominus: os Domini locutum eſt,* & his ſimiles, qua ratione poſitas fuiſſe cenſetis, niſi vt intelligeremus, eum, qui populos docet, quicunque is ſit, quamuis ſit omnis Eccleſia, nihilominus oportere nunquam à verbo Dei recedere? præclara quidem, & ſancta doctrina: nonne verum eſt, Caluiniſtæ? certè veriſſimum: & eſt Caluini veſtri, præter alia multa, uera omnia, ſanctaq; omnia, quæ ipſe lib. 4. Inſtitutio. affirmat à principio cap. 8. vſque ad finẽ ſectio. 6. ſed quorſum hæc dicit? quid concludere vult? quid inde cõſequi cupit? quicquid credimus, oportere cum verbo Dei conſentire. hoc verò quis negauit vnquam

quam? igitur quæcumque credimus, oportet, ſint in ſcripturis expreſſa. Sed hanc concluſionem quis vnquam, niſi fatuus, planeq; demens affirmet? rectè quidem. audite. equus non eſt homo, ergo non eſt animal: videturne vobis concludens argumentum? nemo id dicet: at nihilo magis concludens erit, ſi dicamus, verbum hoc non eſt ſcriptum, igitur verbum Dei non eſt. nam, ſicuti omnis homo eſt animal, nec tamen omne animal eſt homo; ita omnis ſcriptura ſacra eſt verbum Dei, neque tamen omne Dei verbum in ſacris ſcripturis explicatè reperitur. immò quæ paullo ante tàm appoſite loquebatur Caluinus, omnia à me faciunt: ijs enim ſic vtor. Moyſes ea ſtatuit, quæ dixit Deus: & Eccleſia decernit, quæ dixit Deus: ſed Eccleſia multa decernit, quæ ſcripta non ſunt, & Moyſes item ſtatuit, quæ ore Dei acceperat, non per aliqua ſcripta. immò Moyſes præmonſtrans Eccleſiam, tunc ea dixit, quæ nunc ſancta mater
Exod. 4 Eccleſia iure dicere de Caluino poteſt. *Non credent mihi, neq; audient vocem meam, ſed dicent, non apparuit tibi Dominus:* quaſi dicat Eccleſia, quàm ego inſignem contumeliam ab homine hoc accipio? qui in ijs, quæ mihi ſine ſcriptis aperit, & patefacit Deus, *Non credit mihi, neque audit vocem meam?* ſacerdotes extra verbum nihil annunciabant: & Eccleſia quicquid dicit, à verbo dicit: quoniam, *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum*. & diſtinctionem illam, *Cuſtodire ſcientiam, & requirere legem*, ſi rectè Caluinus ponderaſſet ſine animi perturbatione; fortaſſe cognouiſſet, per eam innui verbum ſcriptum, & verbum non ſcriptum. apud Ezechielem dicitur, *Audies ex ore meo verbum; & annuntiabis ex me*. hoc totum à me ſtat: non enim dici, *Leges verbum* ſed *audies:* & quidem verbum ſcriptum legitur, non auditur. cum Deus dixit, *Qui habet verbum, loquatur verbum*, dixit etiam, *Qui habet ſomnium, narret ſomnium:* & tamen ſomnium non erat ſcriptũ.

Semper

Semper dicere poteſt Eccleſia, *Hæc dicit Dominus: ſic ait Dominus*. & item dicere ſemper poteſt, vti in Actis dixit, *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis:* quoniam ſemper ipſa loquitur, planè cum eo conueniens, quod loquitur Deus, vel in ſcripturis, vel in oraculis ſuis. quamobrem accipientes nos pro verbo Dei æque illud, quod *Scriptum fuit*, atque illud, quod *per manus traditum eſt*, dicimus, ſalutem noſtram in eo verſari, vt credamus, & obediamus his vtriſq; verbis: æqualiter enim ſaluus fit homo in verbo non ſcripto, & in ſcripto, dummodo ſit verbum Dei. Et quidem (attendite, auditores, facile enim errorem deprehendetis) Scitis ne, quid ſit verbum Dei non ſcriptum, & quid traditio? & quidem traditio non nunquam accipitur (tametſi minus propriè) etiam pro verbo Dei ſcripto, & pro ipſa lege, vt habetur Actuum Apoſtolorũ cap. 6. audiuimus eum dicentem, quoniam Ieſus mutabit locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes, ideſt legem. ſed ſi loquamur, & eo ſenſu, quo plerumque Theologi ſolent, Traditio nil aliud eſt niſi doctrina, vel ſimpliciter non ſcripta; vel quã is non ſcripſit, qui docuit. vti dicebat Irenæus lib. 3. cap. 2. *Euenit, neque ſcripturis, neque traditioni conſentire eos.* & Tertullianus lib. de corona militis. *Si legem poſtules, ſcripturam nullam inuenies, traditio tibi prætenditur auctrix*. Exempli cauſſa: nos certò tenemus, neminem, niſi vnum Ieſum Chriſtum, materias ſacramentorum, & formas docere potuiſſe: quoniam nemo vnquam in terris poteſtatem inſtituendorum ſacramentorum habuit, niſi ſolus Chriſtus. & tamen eas oẽs, neque Chriſtus, neq; ipſius Euangeliſtæ ſcripſerunt apertè. iſtæ igitur ſunt traditiones diuinæ. & quidem traditiones; quoniam, qui eas docuit, nõ eas ſcripſit. diuinæ verò, quoniam, qui eas ſcripſit, nõ eas docuit, vti primus illarum auctor: ſed attulit, vti à Deo perceptas. *Præcipio, non ego, ſed dominus*. Ieiunia, quæ ſtatis quatuor anni temporibus

indicuntur, quis docuit? ſine dubio Apoſtoli. quis ſcripſit? Apoſtoli ne? nequaquam. hoc enim non habetur in eorum epiſtolis, neque in alijs quibuſuis eorũ ſcriptis; ſed innumerabiles propè vetuſti Patres, vti ab Apoſtolis accepta, ſcripſere. hæc igitur eſt Apoſtolica traditio. quoniam, qui docuit, nõ ſcripſit: Et, qui ſcripſit, non docuit vti primus auctor; ſed detulit, vt ab Apoſtolis acceptã. Simili ratione Eccleſiaſticæ conſuetudines, quæ iam vim legis obtinuerũt, cum ſcriptæ non ſunt, Eccleſiaſticæ traditiones appellantur; quia, qui docuerunt, non ſcripſerunt. quare traditiones Chriſti ſunt, quas docuit Chriſtus, neque ſcripſit ipſe, Euangeliſtæue ipſius. Apoſtolicæ, quas Apoſtoli docuerunt, ſed nõ ſcripſerunt. Eccleſiaſticæ, quas vſu non ſcripto Eccleſia induxit. atque oẽs hæ non minorem auctoritatem habẽt, quàm ſi eſſent ſcriptæ: neque enim lex, & doctrina à ſcripto, ſed ab auctore vim, & auctoritatẽ accipit. itaque non minori auctoritate pollet Chriſti traditio, quàm Euangelium; & Apoſtolorum traditiones, quàm eorumdem Epiſtolæ: & traditiones Eccleſiaſticæ, quàm leges Eccleſiaſticæ ſcriptæ. Sed & ſcriptura Chriſti in Euangelijs, & Apoſtolorum in Epiſtolis, & Eccleſiæ in vniuerſalibus concilijs, decretiſque omnes auctoritatem diuinam habent certiſſimam, minimeque dubiam. Exploratiſſimã igitur, minimeque dubiam auctoritatẽ pariter habent, quæ his reſpondent traditiones. atque vlla ratione non minus pro verbis diuinis accipienda ſunt verba non ſcripta, quàm ſcripta. quod, vt veriſſimum eſſe conſtet, quæram ex vobis, auditores, putatis ne fieri poſſe, vt quiſquam extra verbum Dei ſaluus fiat? nequaquã. omnes ij, qui à prima mundi origine ſalui ſunt facti, nonne in verbo Dei ſalui facti ſunt? maxime. *Nemo nouit patrem, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare*. Adam, Enoch, Abraham, & omnes Patriarchæ ante Moyſem, ſalui ne facti ſunt? etiam. in verbo Dei? certe. ijs temporibus extabat ne ſcriptum aliquod?
mini-

minime. igitur tunc etiam repetiebatur verbum Dei non ſcriptum, in quo ſalui fierent homines: Et neceſſario vel hoc verum eſt, vel omnes Patriarchæ ſalui non ſunt. Circumciſionis præceptum ab Abraham vſq; ad Moyſem, quomodo obſeruatum eſt, vti ſcriptum, an verò vti *traditum per manus?* ſine dubio hoc poſteriori modo. Et eadem ratione multas Dei ordinationes, ſanctioneſq;, quæ tamen ſcriptæ non ſunt, ſancta conſeruat Eccleſia. quid ad hæc, quid dicet Caluinus? fugiet, ſeipſum implicabit, pedē referet, tot, tàmq; turpes receptus excogitabit, vt vos ipſi ſatis intelligere poſſitis, tuti nihil habere, quò ſe conuertat.

Atque in primis verum eſt (ait ille) perceptum olim fuiſſe verbum Dei per traditiones, antequàm ſcriberetur lex: ſed poſtquàm ea ſcripta eſt, non iam amplius per traditiones, ſed per ipſa ſcripta præcipit Deus, vt verbum ſuum addiſcamus. *Poſtquam Deus verbum ſuum ſcripto mandari, & conſignari voluit, nihil extraneum docendum eſt illi, quod in lege ſcriptum eſt.* ita ne? Verùm ſi omnia poſt legem in ijs ſcriptis patefacta fuiſſent, nihilq; aliud occultatum fuiſſet, & tantùmmodo *Per manus traditum*; quo pacto verum eſſet, id quod apud Eſdrā dicit Deus, *Enarraui Moyſi mirabilia multa, & præcepi ei, dicens; hæc in palam facies; quædam ſapientibus abſconſe trades?* Auditores, non ego vobis affero Caluinos, & Lutheros, ſed affero vetuſtos patres, Græcos, & Latinos: inter quos eminent Origenes, & Hylarius: ille Homil. 5. in Numeros. hic in Pſal. 2. qui vno ore dicunt, Moyſi in monte non ſolùm datam à Deo legem, ſed præterea etiam arcanam ipſius expoſitionem, hac adiecta diſtinctione, vt populis legem in ſcriptis traderet, ſed intimam ipſius expoſitionem ore ipſo, Ioſue ſignificaret: Ioſue verò ſucceſſori; & ſic per manus. Itaq; iam vobis ipſis apertiſſimè licet intelligere, an poſt legem extinctæ fuerint traditiones omnes; an verò flagitioſè, fœdiſſimeq; mentiatur Caluinus, & ſibi ipſe ad-

uerſetur, patribuſq; antiquis, & ſcripturis ipſis. nam, vt liberè dicantur,quæ vera ſunt, nonne Dauid traditionum mentionem fecit, cum dixit, *Deus auribus noſtris audiuimus, patres noſtri annuntiauerunt nobis?* nonne traditiones ſignificauit, ſcribens, *Quanta mādauit patribus noſtris nota ea facere filijs ſuis?* Et Moyſes ipſe, qui fuit legiſlator, num traditiones ipſas ſilentio inuoluit? *Interroga patrem tuum, & annuntiabit maiores tuos, & dicent tibi*. Præterea non ne verum eſt, ipſo legis tempore vſque ad Chriſti aduentum nonnullos etiam extra Iudæam gentem vera religione, & vera fide viua ſalutē animæ conſecutos fuiſſe? non dubium eſſe Auguſtinus ait lib.2. cap. 24. de peccato originali. & lib. pri. cap. 9. de prædeſt. ſanctorū,& lib. 18. cap. 47. de Ciuit. Dei quales fuerūt Iob,& amici eius. Sed Iob,& eius amici, & alij,præter Iudæos,habebant ne legē ſcriptā? minime quidem: & tamen ſalui facti ſunt. igitur per traditionem,& verbum non ſcriptū. bone Deus,non concedebat Caluinus, verbum Dei reperiri niſi ſcriptū: nos verò docuimus,per traditiones inuentum ab ipſis vſq; Patriarcharū temporibus. Elapſus eſt è manibus,dicēs, ſaltem poſt legē ceſſaſſe traditiones,& tamen ēt cum lege eas reperimus. nunc quid faciet? fugam quæret,fugam parabit. Saltem,ait ipſe,neceſſe eſt,vt poſt aduentum Chriſti deſierint. falsò quidem. nàm pedetentim,gradatimq; progrediamur;& videbitis,hunc infelicē ſe ex illo in illū angulum recipere,quoad ab omnibus excluſus, vel in caſſes decidat, vel è rupe decidat præceps. Diuido ego,Caluine,tempus omne,poſtquàm aduenit Chriſtus, in partes tres. in prima,ſtatuo tēpus illud,quo Chriſtus moratus eſt in terris. in ſecunda,illud quo,poſtquàm is in cælum aſcēdit, Apoſtoli non ſcribendo,ſed loquendo docuerunt. in tertia,omne id,quod elapſum eſt,poſtquàm Apoſtoli ſcripſerunt,& labetur vſque ad conſumationem ſeculi. tum redeo ad primū, dum Chriſtus nobiſcū vixit; quæroq;, an quiſquā, niſi inſipiens,& in-

ſanus,

ſanus, affirmet, non oportuiſſe tunc à verbo ſcripto recedere: toto enim eo tempore Chriſti verbum nunquam ſcriptum eſt. reperietis, auditores, Chriſtum de doctrina ſua ne verbum quidem ſcripſiſſe: ſed præcepiſſe, *vt Ore traderetur*, cum dixit, *Euntes* (non ſcribite) ſed *prædicate Euangelium omni creaturæ:* & hæ fuerunt membranæ illæ, quas tot ante annos prædixit Hyeremias, dicens, *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam:* Et quod innuit Apoſtolus ad Corinthios ſcribens, *Epiſtola eſtis Chriſti, adminiſtrata à nobis, non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*. quamobrem, Caluine, te in alium angulum concedere, & noua fuga ſalutem quærere oportet. nam ſine dubio (quantumlibet inquiras, & inueſtiges) nũquam quòad Chriſtus vixit, verbum eius ſcriptum fuiſſe reperies. capiamus igitur ſecundum tempus, poſtquàm Chriſtus finem fecerat tradendi ore proprio doctrinam ſuam: & tunc Caluinus affirmat, amplius opus non fuiſſe noua traditione, quoniam *Ita pleno ore nobis ediſſeruit, vt poſt ſe nihil docendum reliquerit*. Vana quidem omnia. nam duo vobis, auditores, à me demonſtranda ſunt, alterum, quamuis Chriſtus ore ſuo nos omnia docuiſſet, traditione tamen opus ipſa fuiſſe. alterum, Chriſtũ profectò non omnia explicatè docuiſſe, ſed multa reliquiſſe, quæ poſtea indies à Spiritu ſancto ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, vti res, & tẽpus poſtularet, aperirentur. Et primùm quidem illud affirmo, quod etiam vos, ò decepti, interrogo, verumne cenſeatis, an non, poſt Chriſti aſcenſionem Apoſtolos diu voce ipſa, oreq; tantùm verbum Dei docuiſſe, antequàm illud perſcriberent? quòd ſi non reſpondeatis, ſatis erit aſſeuerari illud ab Iræneo 3. lib. aduerſus Valentinum: ab Euſebio lib. 3. hiſtoriæ cap. 24. à Cryſoſtomo Homyl. pri. in Matth. à Theofilacto principio cõmentarij ſui in Matth.: à Hieronymo in Cathalogo ſcriptorum

Eccleſiaſticorũ in Matth. & Ioannem : & à pluribus alijs. præterea, teſtatur idem expreſsè Lucas Euangelij ſui principio, cum dicit, *Quoniam multi conati ſunt ordinare narrationes, quæ in nobis completæ ſunt, rerum: ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi uiderunt*. Et paullo inferius, *Viſum eſt mihi ſcribere, & vt cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem*: docuerunt igitur Apoſtoli aliquandiu voce, & ſermone: nonne verum eſt? inficiari non poteſtis. ſed eo tempore, & ea doctrina ſaluinè facti ſunt ij, qui crediderunt? quis dubitet? Et tamen non erat ſcripta doctrina hæc. igitur ſalui facti ſunt etiam poſt Chriſtũ in verbo non ſcripto. &, quod plane ad rem facit, quamuis Chriſtus omnia docuiſſet, omnino tamen opus erat hac Apoſtolica traditione, qua res à Chriſto acceptas alios edocerent. ſed certe quis eſſet præter Caluinum, tàm impudens, qui dicere auderet, Chriſtum, dum viueret, omnia ita docuiſſe Apoſtolos, vt amplius nouis monitis non opus eſſet? cum ipſemet Apoſtolis dicat, *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò*. quare promittit, ſe miſſurum Spiritum ſanctum, *Qui ſuggeret, & docebit omnem veritatem*. Caluinus ipſe tàm aperta, firmaq; ratione conuictus, & confuſus, paucis verbis ſuo more ſibi ipſi apertiſſimè repugnat. nam lib. 4. cap. 8. ſectio. 7. dicit, *Chriſtus ita pleno ore ediſſeruit, vt nihil docendum reliquerit*: & paullo poſt cap. eod. ſectio. 15. tractans de ijs verbis, *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò*; dicit; *Rudes adhuc fateor, & propè indociles erant Diſcipuli, cum illud à Domino audiernnt: ſed poſtea à Spiritu veritatis ducti in omnem veritatem ſua ſcripta ediderunt*. itaq;, ſi Caluinum audiamus, Chriſtus ore proprio docuerat omnia. & rurſus, ſi audiamus eundem, poſt mortem Chriſti multa à Spiritu ſancto didicerunt Apoſtoli, quæ prius eos latuerant. huiuſmodi decus, & laudem ſibi pariunt, qui falſa defendunt. ſed, cum ipſe propriam exiſtimatio-

tio-

tionem negligat, neq; nos curemus. illud nobis exploratum, & certum ſit, quamuis Chriſtus omnia docuiſſet, cum tamen ea neq; ſcripſiſſet ipſe, neq; aliquandiu Apoſtoli; neceſſe fuiſſe, eo tempore *Ore traderentur hæc omnia*; hominesq; ſalui in verbo nō ſcripto fierent. præterea, ex ijs verbis, *Multa habeo vobis dicere*, deprehenditur, maximum eſſe, & apertiſſimum mendacium, ſi quis dicat, Chriſtum, dum viueret, explicatè omnia docuiſſe: quoniam plura reliquit, quæ poſteà domeſticis ſuis à Spiritu ſancto patefierent. Itaque iam pro comperto habemus, Patriarcharum temporibus ſcripturam non fuiſſe neceſſariam; legis verò tempore in vſu fuiſſe traditiones: ſcimus item, Chriſtum, quoad vixit, non *ſcripſiſſe, ſed tradidiſſe:* Apoſtolos verò poſt Chriſtum plurima, quæ prius ignorabant, à Spiritu ſancto didiciſſe: demumq; multo tempore non ſcripſiſſe illos, ſed ex eorum traditionibus, quicumq; ſalui fiebant, doctrinam recepiſſe. Quando igitur, ò Caluine, originem habuit hæc neceſſitas, vt à verbo ſcripto non recedamus? quando neceſſarium fuit perniciem, & interitum afferre traditionibus, eaſq; prorſus de medio tollere? iàm, auditores, iam ad extremum angulum peruentum eſt: hoc vltimum eſt perfugium. Saltem (dicit Caluinus) poſteaquàm ſcripta ſunt ab Apoſtolis ſacra Euangelia, & Epiſtolæ, credendum eſt, in ijs ſcriptum eſſe quicquid docuit Chriſtus: atq; iccirco, cum ad ſalutem noſtram, quæ Chriſtus docuit, ſufficiant; pro eadem ſalute nihil amplius credendum eſt, niſi quod in ijs ſcripturis continetur. attendite diligenter, auditores: omnis hæc diſceptatio duo complectitur: alterum, docuiſſe Chriſtum quicquid nos ſcire neceſſarium eſt: alterum, omnia, quæ Chriſtus docuerit, ſcripta in Euangelijs eſſe. Et ego dico, hæc vtraq; principia eſſe falſiſſima, & ea ratione nihil mirum eſſe, ſi falſiſſima concluſio à Caluino colligatur. atq; in primis ſi quæratur, an Chriſtus omnia, quæ neceſſaria eſſent,

docuerit, nec ne; longiori diſputatione nihil opus eſt, cum iam antèa probatum ſit,non docuiſſe omnia: dixit enim Chriſtus, *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò*. item quoniam dixit de Spiritu ſancto, *Suggeret omnia, & docebit omnem veritatem*. & quia, licet in quibuſdam vniuerſalibus principijs affirmari fortaſſe poſſet, omnia docuiſſe, attamen doctrinæ ſuæ veritates explanatas reliquit, vt Spiritus ſanctus ſequenti tempore doceret Eccleſiam, cum opus eſſet, & neceſſitas ipſius poſtularet. denique,quia Caluinus ipſe, veritate compulſus, & coactus, id faſſus eſt, cum dixit, *Rudes adhuc erant diſcipuli*; vti paullo ante dicebamus. itaq; iam principium hoc falſum eſt, Dominum, dum in terris eſſet,omnia docuiſſe. Sed,quamuis id veriſſimum foret, tamen falſiſſimum eſſet alterum,nempè quicquid ore docuit Chriſtus, id omne in ſacris Euangelijs ſcriptum eſſe. nam,ſi omnia,quæ Chriſtus fecit, ſcripta nō ſunt, quare abſq; alia probatione credere me oportet, omnia fuiſſe ſcripta, quæ dixit? nemini dubium eſt, à multis doctoribus affirmari, meritò nobis credendum eſſe, multo plures mortuos ad vitam à Chriſto reuocatos fuiſſe tribus illis, de quibus à ſanctis Euangeliſtis fit mentio, omnes etiam clauſulæ illæ vniuerſales, *Curabat omnes, ſanabat omnes*, & ſimiles innumerabilia opera, & infinitas actiones ipſius præcipuas oſtendunt, quæ nō ſunt in Euangelijs expreſſæ. ſed quid nobis laborandum eſt, vt probationes alias quæramus, cum verba Ioannis ipſius habeamus, Solis luce clariora? *Multa, & alia ſigna fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc,quæ ſi ſcriberentur per ſingula, nec ipſum, arbitror, capere poſſe mundum eos, qui ſcribendi ſunt,libros*. quare omnia Chriſti opera non fuiſſe ſcripta, certiſſimum eſt: idemq; arguere liceret de verbis,& doctrinis eius: ſed aliundè id probari apertiſſimè poteſt: veluti ex Luca 24. vbi ſcribitur,dum Chriſtus iret in Emmauntem *Incipiens à Moyſe,& omnibus Propha-*

tis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. Iter illud non admodum breue fuiſſe ſcimus, ſermonem verò admirabilem: nempe de interpretatione ſcripturæ omnis. at vbinam ſcripti reperiuntur ſermones hi? quis Euangeliſtarũ eam Chriſti doctrinam deſcripſit? pariter cap. eod. vbi præſentibus Apoſtolis, cum piſcem, & fauum mellis ediſſet, *Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas:* Item vbi quadraginta ipſos dies (habetur in Actis) *Apparebat eis, loquens de regno Dei.* Sermones hi de Dei regno, ſenſus hi ſcripturarum vbi ſunt? quis deſcripſit? profectò nemo: ſed hi qui præſentes affuerunt, ſequentibus temporibus Eccleſiæ ſanctæ poſtea patefecerunt. Itaq; Caluinus in ſcriptura literam (vt aiunt) amplectitur, *Quæ occidit:* & ego in traditione ſenſui ád hæreo, *Qui viuificat.* qua ratione intelligere vobis licet, auditores, quantùm excellant argumenta Caluini, in duobus falſis principijs conſtituta. cum enim dicat, Chriſtum omnia docuiſſe, & quæcumq; docuit, in Euangelijs eſſe ſcripta, igitur illa ſufficere; dico ego, neque verum eſſe, Chriſtum omnia explicite docuiſſe: & illud eſſe falſiſſimum, quicquid Chriſtus docuit fuiſſe ſcriptum. quin etiam contrà argumentor; Chriſtus omnia non docuit, ergo nobis opus eſt nouis monitis Eccleſiæ. atq; eorum, quæ docuit, pars tantummodo eſt ſcripta: ergo pars altera ex Apoſtolicis traditionibus colligenda eſt. ſed diſputationes omittamus, auditores, & ſine contentione loquamur: quibus tandem magis credendum cenſebitis? Caluino nè, an vetuſtioribus omnibus Eccleſiæ Dei patribus, & Apoſtolis ipſis? Caluinus affirmat, Apoſtolos omnem ſuam doctrinam in ſcripta redegiſſe: at antiqui patres, qui eiſdem temporibus floruerunt, aſſerunt, Apoſtolos doctrinam ſuã partim ſcripſiſſe, partim verò ore, ſermoneq; docuiſſe. audite Dionyſium Areopagitam, qui fuit Paulli diſcipulus, vt habetur Apoſtol. Act. cap. 17. qui fuit Galliarum Apoſtolus: qui vixit,

ſcripſitq; annis abhinc mille, & quingentis,& amplius,an exprimere clarius id potuerit ad Timotheum ſcribens; *Summi illi noſtri Duces, id eſt Apoſtoli, neceſſario ſumma, & ſuperſubſtantialia partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus tradiderunt.* & Papias, antiquiſſimus auctor, vt refert Euſebius, dicebat, *Si quando adueniſſet aliquis ex ijs, qui ſecuti ſunt Apoſtolos, ab ipſis ſedulo expiſcabar, quid Andreas, quid Petrus dixiſſent.* ſimilia ſcribit Origenes, Homil. 5. in Numer. eadem prope tradit Clemens Alexandrinus, in Strommat. eiuſdem generis ſunt, quæ ſcribit Ignatius, Tertullianus, Hieronymus, Auguſtinus, & alij omnes. Præterea (fatendum eſt, dolore ardeo, & impetu quodam feror) quibuſnàm credere volumus,an Apoſtoli per traditiones docuerint magis, quàm ipſis Apoſtolis? Paullum vobis cito ad Theſſalonicenſes 2. cap. 2. *State, & tenete traditiones, quas accepiſtis: ſiue per Epiſtolam, ſiue per ſermonem.* eundem ad Corinthios, *Laudo vos, quod ſicuti tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Item ad eoſdem, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* præterea, *Cætera, cum venero, diſponam.* alio etiam loco, *formam habe ſanctorum verborum, quæ à me audiſti, bonum depoſitum cuſtodi.* Eundem inſuper, *Quæ audiſti à me, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* apud Ioannem verò nonne habetur ipſius epiſtola, *Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam, & atramentum; Spero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui.* At de Petro exiſtimandumne eſt, nihil aliud eum docuiſſe,niſi, quod in ſuis canonicis reperitur? Andream verò, & Barptolemæum, & reliquos Apoſtolos,qui nihil ſcripſerunt,putabimus, nihil prorſus docuiſſe? ah,dilectæ animæ, redite tandem ad vos,tandem reſipiſcite. Et, quoniam ſatis conſtat, Apoſtolos ipſos, & eos, qui Apoſtolorum temporibus vixerunt, traditionum ipſarum certiſſimum dare teſtimonium nolite eas flocifacere: ſine qui-

bus,

bus, omnia abſq; dubio indiſtincta forent, & confuſa. fallaces iſti, & inſidioſi affirmant, vbi ſcriptura adeſt, non opus eſſe traditione: & ego triplicem reſponſionem affero. prima eſt, in lege ſcripta, vti paullo ante probaui, fuiſſe ſimul & ſcripturam, & traditionem. altera, multarum rerum haberi traditionem, quæ ſcriptæ non ſunt. poſtrema, quò ſcripturas ipſas recte intelligamus, oportere, verum earum ſenſum per traditiones inueſtigari; hoc enim vno maxima differentia inter ethnicum, & catholicum, & hæreticum conſtituitur. nam ethnicus ſcripturas aſpernatur: hæreticus illas admittit, ſed ex ſuo ingenio, ne dicam libidine interpretatur: catholicus verò & amplectitur, & in ijs exponendis antiquis vtitur traditionibus. itaq;, vti me ſcriptura ab ethnico diſtinguit, ita traditiones ab hæretico ſecernunt. qua vero ratione omnes omnium temporum hæretici tantopere ſemper à traditionibus abhorruerunt, atq; in ijs reijciendis adeò pertinaces fuerunt, niſi quoniam ſcripturis nō admodum vrgentur? quorum verbis vim plerumq; faciunt: eaſq; pro arbitrio perperam interpretantur: ſed traditiones, quæ verum ſcripturarum ſenſum afferunt, hæreticum frœnant, hæreticum ſiſtunt. *Intellige* (ſcribit Vincentius Lyrinenſis) *non modò aduerſus hæreticos plus habere traditiones, quàm ſcripturas, virium: ſed etiam omnem ferè cum hæreticis diſputationem ad traditiones, à maioribus acceptas, eſſe referendam*. & Tertullianus dicit, *Aduerſus hæreticos magis traditionibus, quàm ſcripturis diſſerendum eſſe*. & Ignatius docet, *Ea ratione hæreticorum vitari cōtagia, ſi diligentius, ac tenacius Apoſtolorum traditionibus inhæreatur*. Pauca addo, auditores, deinde finem dicendi facio: nam meus amor in vos in re tanti ponderis, me paullo longiorem facit: ſed attendite. Vobis perſuaſum eſt ab iſtis, nihil eſſe credendum, quòd in ſcripturis non habeatur. nunc, quæſo vos, creditiſnè, patrem, & filium, & Spiritum ſanctum eſſe conſub-

ſtan-

ſtantiales,& eiuſdem eſſentiæ? maximè id quidem : & tamen ſi explicitè dictum eiſdem verbis in ſacris ſcripturis reperitur,ego mendax haberi volo. creditis manare, ac procedere ſanctum ſpiritum à filio? etiam: ſed ne id quidem in ſacris ſcripturis habetur. creditis perpetuam beatæ Mariæ virginitatem? omnino creditis: neq; id in ſacris ſcripturis proditum eſt. creditis baptiſmum infantium, & paruulorum? ſine dubio: at in ſcripturis ſacris non legitur. creditis, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe? etiam: ne id quidem in ſacris ſcripturis eſt. omnia hæc creditis vos, quæ in ſacra ſcriptura non ſunt: qua ratione creditis, niſi propter traditiones? & quoniam hæc doctrina à Chriſto ipſo, & ab Apoſtolis, quaſi per manus tradita, ad nos peruenit; de perſonarum æqualitate, de proceſſione à filio, de perpetua Mariæ Virginitate, de paruulorum baptiſmo, & de Chriſti ad inferos deſcenſione: eadem ratione auctor ego ſum vobis, maximeq; ſuadeo, vt per traditiones alia multa credatis, quæ ſcripta non habentur. præterea huc adeſte;quare creditis Matthæi Euãgelio? dicetis, quoniam Matthæi eſt: id vero ſi negauero, quo pacto probabitis? nullum enim locum vel nouæ, vel antiquæ ſcripturæ afferetis, in quo Matthæi Euangelium ipſius eſſe Matthæi affirmetur. id tamen creditis. qua ratione? quoniam id vos perpetuæ traditiones docuerunt. quamobrem neceſſariò hærere vos traditionibus oportet. denique ſi credere nihil vultis, niſi quod eſt in ſcriptura; enunciatio iſta, *Non eſt credendũ, niſi verbo ſcripto*, quibus in ſcripturis reperitur? profectò nuſquam eſt. non igitur credenda eſt. vel alio modo dicamus; cõcluſio hæc, *Nihil verum, niſi quod ſcriptum*, veranè eſt, an falſa? ſi falſa; vicimus: ſi vera; vbinam in ſcripturis eſt? certum eſt, non eſſe: igitur, vobis ipſis iudicibus, non eſt vera. quomodo autem omnia, miſelli, permiſceatis, & confundatis, tandem intelligite: idq; fieri, quoniam veritas ipſa veſtræ ſententiæ re-

pugnat:

pugnat: cum Dei verbum, vti clariſſimè demonſtratum eſt, partim ſcriptum ſit, partim non ſcriptum. breuiter, igitur, vnde diſceſſeram reuertor: dicoq́; , veram Eccleſiam nunquam errare poſſe, quoniam à Dei verbo, ſiue ſcriptum illud ſit, ſiue non ſcriptum, nullo tempore diſcedit. qua firmata concluſione, finem dicendi facio. felices abite.

DISCEPTATIO QVINTA.

Qua docetur, concilio legitimo repræſentari vniuerſalem Eccleſiam: in concilium non admitti prophanos, laicoſuè, ſed ſacerdotes; qualeſcunq; ij ſint, ſiue boni, ſiue mali. ad Eccleſiam ſpectare, qui libri canonici ſint, decernere; vti decreuit præcipuè de libris Baruch, & Machabæorum. Contra ea, quæ diſſerit Caluinus, cum alijs locis, tum lib. pri. cap. 7. & lib. 4. cap. 4. & 8. Inſtit.

SPERABAM, Sereniſſime Princeps, ſuperioribus diſceptationibus me tandem tramites ita clauſiſſe, ſepiuiſſeq; vias omnes, vt aduerſarijs meis nullus relictus eſſet euadendi, neque ſe recipiendi locus. cum enim iam probarim, veram Eccleſiam eſſe Romanam, veramq; Eccleſiam errare non poſſe; quid iam amplius in quacunq; diſceptatione de fide reſtare debuit, niſi vt quiſq; ad Romanam Eccleſiam ſe conuerteret, & ipſius exemplo doctrinaq; quid ſibi faciendum, quid credendum eſſet, addiſceret? ſed (immortalis Deus!) quando iſtos aſſequar, quando comprehendam? noua enim paratur fuga. nam dicunt, Eccleſia errare non poteſt: concedimus. quicquid ipſa ſtatuit, veriſſimum eſt: fatemur: ſed nos ea ratione Eccleſiæ non credimus; quia, quamuis nonnulli ipſius Epiſcopi ſimul ad ſtatuendũ quaq; de re quan-

doque

doque conueniant; dici non poteſt, Eccleſiam vnquam ſtatuere: quæ cum longè, lateq; pateat, & in omnes partes diffuſa ſit; fieri non poteſt, vt omnia ipſius membra colligantur: atq; idcirco paucorum quidem Epiſcoporum aliquando ſtatuta circunferuntur; ſed totius vniuerſalis Eccleſiæ, quæ ſola falli non poteſt, neque antehac conſpectæ ſunt ſanctiones, neq; poſthac vnquam conſpicientur. qua in re, auditores, perinde mihi accidere intelligo, atq; miſero agricolæ interdum accidit: qui, vbi vicinum fluuium tumere, neque iam ſe ſe alueo continere animaduertit, quamuis ſummo labore, diligentiaq;, clauſo aditu, quem prius aperuerat, ſperet, ſe ſibi ſatis conſuluiſſe, illiuſq; minacem violentiam repreſſiſſe; tamen, qua parte minus timendum putabat, laxari aggerem cernit, & aquarum vim maiore impetu erumpere; ſummamq; perniciem, & paſcuis, & ſegetibus, atque adeo ipſis ædificijs afferre. fertiliſſimi campi, mihiq; magnopere dilecti, ſunt, ò decepti, conſcientiæ veſtræ: ſed hæretica doctrina turgidum flumen eſt & ſæuiſſimum, & rapidiſſimum; cuius ego cum ora nonnulla obſtruxiſſem, mihi videbar, poſſe in vtramq; aurem conquieſcere: ſed cum adhuc nouos exitus conſpiciam, ad alios extruendos aggeres me accingo. Dico, igitur, ſi fieri non poteſt, vt vnquam Eccleſia noſtra congregetur, & vnquam decernat; non ſolùm Lycurgi Republica, & Solonis, & aliorum omnium inferiorem eſſe, ſed etiam adeò perturbatam, & confuſam, & inordinatam, vt nihil ſupra. item, ſi Eccleſia Chriſti iudiciorum loca, iuſq; ſtatuendi non habet, vt habebat Synagoga, Chriſtum minoris eam, quàm Synagogam æſtimaſſe. denique conſtanter affirmo, quòd ampliſſima ſit, quòd latiſſimè pateat, quòd in omnes oras diffuſa ſit, vt paullo ante negabant Caluiniſtæ, nunc fatentur, & pro ſe afferunt, nihil impedire, quominus Eccleſia congregetur, ſuaſq; leges, & decreta ſanciat: quoniam (atque is erit præcipuus huius primæ

partis

partis ſcopus) quod à primarijs viris Eccleſiæ decernitur, id totius Eccleſiæ decretum appellatur. *Et Concilium Oecumenicum, legitimè congregatum, Eccleſiam militantem repræſentat.* Et certè, auditores, ſi in Republica prophana, in qua tàm magnus eſt & virorum, & mulierum numerus, quod à paucis Senatoribus ſtatuitur, id perinde habetur, vt à tota Republica ſtatutum; & illa dicuntur (vt ab Italis exempla petamus) à Venetis, à Genuẽſibus, à Lucenſibus decreta, quæ ab ipſorum Senatu decernuntur; cur in Republica Chriſtiana, in qua de ſalute hominum agitur, tractanturq; præcipuè grauiſſima dogmata fidei noſtræ, non ſatis erit, primates, & optimates cogi? cur de infima plebe quilibet ad conſultandum euocabitur, ſic, vt ne ipſi quidem cerdones excludantur? Et, ſi in rebus caducis, & fluxis vniuerſus populus libenter parui Senatus auctoritati paret, quare nos in ſpiritualibus, & æternis continuò non cedimus? quare non putamus à tota Eccleſia ſtatutum, quod à tot proceribus ipſius in generalibus concilijs ſtatuitur? Ego quidem, auditores, cogitationes iſtorum quorſum euadant, ſatis intelligo. in primis nempè vt diligenter caueant, ne reperiatur iudex; cum omnem dent operam, vt Eccleſiæ faciem occultent. deinde vt in animis rudium hominum, ſimpliciumq; ſeditionem commoueant, & tumultus excitent falſis huiuſmodi, ſceleratiſq; vocibus; cur vos etiam in concilium non vocant? cur vobis ad congregationes Eccleſiaſticas nullus eſt aditus? cur quodammodò ab vniuerſali Eccleſia excludimini? ſed hoc loco audite quæſo, quid propriè reſpondeat Paullus Apoſtolus prima ad Corinth. cap. 12. *Si dixerit auris, quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore, nunquid ideo non eſt de corpore? ſi totum corpus oculus, vbi auditus?* quaſi dicat, tota Eccleſia vnum eſt corpus myſticum: & multis, varijſq; corporis membris, multi, & varij ſtatus hominum ſimiles ſunt in Eccleſia Dei. nam auribus ſimiles ſunt in-

inferioris gradus homines; quorum intereſt audire, & diſcere. oculis, qui vident, corpusq; videndo regunt, ſimiles ſunt Antiſtites, qui conſulunt, conſulendoq; ſtatuunt, & decernunt. itaque, ſicuti non aures vident, ſed oculi; ita non ad eos qui ſubiecti ſunt, ſed ad primates, & Antiſtites ſpectat regere, & gubernare. quòd ſi, qui ſubiectus eſt, non gubernat; non tamē ſe ab Eccleſia excluſum putare debet. nam eadem ratione aures etiam ſe à corpore excluſas dicerent, quia non vident: ſed, ſi totum corpus eſſet oculus, vbi eſſet auditus? Si tota Eccleſia conſtaret, moderatoribus, & Antiſtibus, vbinam eſſent, qui mandata acciperent, qui parerent? quare verò oculi munus eſt, vt videat, niſi quia in ipſo illa vis, illa virtus continetur? Antiſtitum autem cur partes ſunt, vt gubernent, & regant, niſi quia iuriſdictionem habent? itaq;, auditores, concludere poſſumus, ſicut nō omnia membra vident, ſed oculi tantummodò; & quando ij vident, dicitur videre corpus; ita, quamuis in Eccleſia Epiſcopi ſoli, quorum eſt iuriſdictio, in concilium vocentur, nihil prohibere, quò minus ſanctiones concilij haberi, & accipi debeāt, vti à tota vniuerſali Eccleſia factæ. Habetur hæc enuntiatio expreſsè concilio Conſtantienſi, ſectio. 4. ijs verbis: *Synodus in Spiritu ſancto congregata legitimè, generale concilium faciens, Eccleſiam militantem repræſentat.* Quòd ſi iſti concilio dicerent, veluti Phariſæi Chriſto, *tu de te ipſo teſtimonium perhibes*; nos tamen præter id, quod concilij nomine reſponderi poſſet, *teſtimonium meum verum eſt*, plurimis præterea locis ſcripturam ſacram proferimus, quibus manifeſtè apparet, quod Præſules Eccleſiæ fecerunt, à tota Eccleſia cenſeri factum: præſertim Teſt. Vet. Regum lib. 3. cap. 8. vbi cum congregati eſſent, *Omnes maiores natu*, tantummodò, *cum principibus tribuum, & duces familiarum*, nihilominus tamen de his ſolis dicitur *Benedixit Rex omni Eccleſiæ. Omnis enim Eccleſia ſtabat.* quin etiam in

nouo

nouo teſtaméto quid eo loco clarius, Act.cap. 15. vbi in concilio Hieroſolymitano, poſtquàm dictũ eſt, *Conuenerũt Apoſtoli,* ſolùm & *ſeniores*, tamen de ipſis ſolis paullo poſt dicitur, *Placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia?* Cyprianus lib. 4. epiſtola 9. cum dicit, Eccleſiam eſſe in Epiſcopo, ſatis aperte docet, eodem modo omnes Eccleſias eſſe in omnibus Epiſcopis. Et pari ratione vniuerſalem Eccleſiam eſſe in vniuerſali Epiſcoporum concilio. Athanaſius Epiſtola de Synodis Arimini, & Seleuciæ, & epiſtola ad Epiſcopos Africanos: Epiphanius in fi. Anchorati: Euſebius lib. de vita Conſt. Auguſtinus lib. pri. contra Donatiſtas cap. 18. & lib. 2. cap. 4. & lib. 4. cap. 6 Gelaſius epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ: Gregorius lib. pri. epiſt. 24. ad Ioannem Eulogium, alioſque Patriarchas: & ipſa octaua Synodo. Actio. 5. omnes concordes generale concilium orbis terræ conuentum, vel totius Eccleſiæ cõſenſum appellant. quoniam re ipſa illud dicitur, & dici debet ab Eccleſia ſancitũ, quod à paucis ipſius optimatibus, & primarijs ſancitur; dummodo ij ſint, ad quos iuriſdictio pertineat.

Et non ij ſoli, ò Luthere, neque ij tantùm, ò Melancthon, neque ij tantummodò, ò Germani hæretici, qui doctrina, & ſcientia pollent. ò dementium curas! ò inſana, & malitioſa nimis ſtudia! vbi ſemper laicorum auribus turpiſſimè ſeruitur; & vbi ſacerdotes ſemper oppugnantur. nam dicunt ij, cum pauci congregandi ſint, ad ſtatuendum de rebus Eccleſiæ cur potius non vocātur homines prophani, qui doctrina præſtent, quàm rudes, & imperiti ſacerdotes? quoniam (reſpondeo ego) non ſolùm plerumq; diuinarum rerum magis inſcij ſunt prophani homines, quàm ſacri, ſed etiam, quamuis doctiſſimus eſſet prophanus homo, non tamen eam haberet iuriſdictionem, quæ ſedentibus in concilio neceſſaria eſt. Et quare ad ſtatuendum in Republica (quæro ego) admittuntur ſoli ſenatores, & non priuati

homines multi, ipſis ſenatoribus longè doctiores? neceſſe eſt, dicas, quoniam ſenatores auctoritate præſtant, non autē illi. ſic ego reſpondeo, ſacerdotes in concilium recipiuntur, non autē laici; quoniam nō laici, ſed ſacerdotes iuriſdictionē habent. quamuis brachij maior fortitudo ſit, quàm oculi, non icci rco brachium videt, ſed oculus. nam in omnibus membris illud tantummodò videt, quod videndi vim, & virtutem habet. eadem ratione, quãuis laicus Epiſcopo ſit doctior, non tamē in concilium recipitur: ſed ij tantùm, quibus iuriſdictio tributa eſt: quam iuriſdictionē, quia probauimus iàm cum ſacerdotio ſemper eſſe coniunctam, magiſteriumq; ab Epiſcopatu nunquam ſeiungi; ideo dicimus, ad Epiſcopos noſtros, nō autem ad laicos ſpectare, ea decernere, quæ in rem ipſius Eccleſiæ magis eſſe videantur. Scitis, auditores, quid ego cuipiam eorum dicerem, qui ſe ad concilium non euocari conqueruntur? primò quærerem, qua de cauſſa vocari vellet: tùm, ſi diceret, quia doctrina, & eruditione præſtaret, reſponderē, dum in concilium admitti cupit, ſe ſe rudem, doctrinæq; omnis ignarū oſtendere: quoniam quicumque vel primoribus labris ſacras literas attigerit, apertiſſimè intelligit, neceſſariū eſſe, cōcilium iuriſdictionem habere: eaq; cum apud ſolos ſacerdotes ſit, laicū non admitti. Exodi. 19. dicit Deus ad Moyſem. *Veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum. Deſcende, & cōteſtare populum, ne forte velit tranſcendere terminos, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, & aſcendes tu, & Aaron tecum.* vbi manifeſtè apparet, ad montē conciliorum, in quibus ſermones habentur cum Deo, ſolos ſacerdotes aſcendere. *Moyſes, & Aaron in ſacerdotibus eius.* populo verò ſtatuuntur fines: *Ne forte tranſeat terminos:* neque is montem aſcendit. præterea, vt allegorias omittamus, & à puro ſcripturæ ſenſu non recedamus, Deuteronomij 17. nonne dici-

tur, *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe conſpexeris, venies ad ſacerdotes?* non ad laicos illos, qui iuriſdictionem non habent. Aggæi 2. de legis interpretatione, nonne habetur. *Interroga ſacerdotem legem?* & non alium. Malachiæ 2. nonne ſcriptum eſt, *labia ſacerdotis*, non alius, *cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius?* Ipſe Paullus Apoſtolus, poſtquàm recenſuit, ſeparatim varios ſanctæ Eccleſiæ gradus, nonne tandem munus paſtorale cum magiſterio coniungit? nàm vbi dixit, *Quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, quoſdam Euangeliſtas:* poſtremò paſcere, & docere, connectit ſimul; dicitq;, *Quoſdam paſtores, & doctores:* innuens fortaſſe, quod apud Hieremyam legitur, *Dabo vobis paſtores, qui paſcant vos ſcientia, & doctrina.* denique, ſi cognoſcere cupimus, cuiuſmodi debeant eſſe noſtra concilia, quid certius, quid clarius amplecti, ſequiue poſſumus, quàm primum concilium, velut ideam; & exemplar, quod poſt Chriſtum ab Apoſtolis ipſis habitum eſt: & legitur Act. 15. *In quo, cum propoſita eſſet quæſtio*, quinàm conuenerunt? an forte laici? attendite, *Conuenerunt, non omnis populus*, non, iàm hoc ipſum eſt clarum, ſed *Apoſtoli tantum, & ſeniores*. quod quidem poſtea in Eccleſia Dei ſemper obſeruatũ eſt: & Nicææ, & Epheſi, & Conſtantinopoli, & Calcedone, & alijs locis omnibus. Euſebius loquẽs de vetuſtiſſimis concilijs Victoris Papæ tẽpore, de quæſtione Paſchæ habitis, ſic ait lib. 5. Hiſto. cap. 23. *Conuentus Epiſcoporum, & concilia per ſingulas quaſque prouincias cõuocabantur*. Conuentus Epiſcoporũ dicit, non conuentus eruditorum. Cyprianus principio epiſtolæ ad Iulianũ: Hylarius lib. de Synodis: Ambr. epiſt. 32. Hieronymus lib. 2. Apologiæ cõtra Ruffinũ. Auguſtinus epiſt. 119. Leo epiſt. 16. Ruffinus lib. 10. hiſtor. cap. pri Athanaſius epiſt. ad ſolitariam vitã agentes: hi omnes, & ſexcenti alij, cùm de concilijs loquuntur, cõcilia Epiſcoporum appellant. Theodoſius iunior epiſt. ad Epheſinã ſynodum ita inquit. *Illicitũ eſt eum qui non ſit in ordine ſanctiſſimo-*

rum Epiſcoporũ Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus. Pulcheria Augusta epiſtola ad Serategum Bythiniæ, quæ epiſtola Calcedonẽſi concilio præponitur, eos expelli iubet, ẽt adhibita vi, quicunque præter Epiſcoporum numerũ, & ijs inuitis, ſe ſe in concilium inferre, & intrudere audeant, ſiue laici ſint, ſiue clerici, vel monaci. In Calcedonẽſi concilio Martinus Archimandrita, quamuis inuitatus, actis ſubſcribere noluit, affirmãs, id munus ad ſolos Epiſcopos pertinere. Et eodẽ concilio, cum quidam non Epiſcopi, vt Dioſcoro fauerent, ſe ſe illuc intuliſſent, exclamarunt Patres, *mitte foras ſuperfluos, concilium Epiſcoporũ eſt.* quòd ſi non nullis concilijs Cæſares ſubſcripſerunt, id aſſentiendo factũ eſt, nõ definiendo. In Baſileenſi, ſi quidam ſacerdotes admiſſi ſunt ad decidendum, qui Epſcopi non erant, vitium fuit nõ legitimi concilij. Ceterum omnes ſubſcriptiones conciliorum, quæ legitima fuerint, euolue; & Epiſcopos tantum, eoſque, qui iuriſdictionẽ haberent, non eruditos, & doctrina præſtantes, ſubſcripſiſſe reperies: ſimili modo, quo ab ipſis Apoſtolis factum fuiſſe demonſtrauimus. iſti verò, prudentiores, & peritiores ipſis Apoſtolis, laicos in concilium admitti volunt: falsò ſanè. atque hoc ipſum manifeſtius eſt, quàm vt approbatione indigeat. ad alia trãſeamus. Eccleſia nõ ſtatuit: immò ſtatuit ipſa, cum à concilio ſtatuitur. In concilium quilibet intromittendus eſt: immò pauci. hos paucos decet laicos eſſe, doctrina præſtantes: immò ſolos ſacerdotes. hucuſque peruenimus. nunc Caluinum audite. ſaltem, ſi ſacerdotes admittendi ſunt, bonis tantùm patere aditus deberet: Chriſtus enim in medio eſt bonorum tantùm. *Si fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum.* ſed ſacerdotes oẽs mali ſunt: igitur Chriſtus nunquam eſt in medio eorum. igitur eorũ concilijs credendũ nõ eſt: impudenter prorſus. quid, ò decepti, de veſtri magiſtri modeſtia dicitis? audiſtis hanc præclaram enunciationem? oẽs ſacerdotes mali ſunt. hæccine eſt charitas? hęccine ſunt benedicta? ſed hoc minimũ eſt, aut

om-

omnino nihil. nam hinc occaſionem arripit amplificandi: laxatisq; impuræ ſuæ linguæ habenis, lib. 4. Inſtitutio. cap. 4. à tertia ſectio. vſque ad ſeptimam, nullum criminandi, accuſandiq; ſacerdotes ipſos, denteq; maledico carpendi locum ſibi reliquum facit. præterea aliud modeſtiæ ſuæ præ ſe fert indiciũ: nam paullatim ita effingit, deſcribitq;, quales ſint boni illi, qui in concilium admittendi ſunt, vt parum abſit, quin aperte dicat, tales eos eſſe oportet, qualis ego ſum. ò impudentiam inſignem! ſed ego conuicijs non reſpondeo: illud quidem affirmo, quamuis ſacerdotes, qui in concilium intromittuntur, omnes eſſent improbi (nam plures innocentes, & puriſſimos eſſe conſtat) non tamen propter improbitatem, malitiamq; iuriſdictionem eos amittere. atque huc pertinet pulcherrima ſimilitudo, quam affert Gregorius Nazianzenus in oratione *De ſancto Lauacro*. adſint ſigna duo, in quibus eadẽ ſculpta ſit effigies: ferreum vnum, aureum alterum: vtroq; imprimatur cera; tum diſcernat quiſpiam, ſi poteſt, aureóne, an ferreo facta fuerit impreſsio. hoc idem, ò Caluine, contingit in concilijs noſtris: in quibus vel aurei ſint epiſcopi, vel ferrei, in materia de qua tractatur, eandem imprimunt veritatem: quoniam promiſſiones à Christo factæ ſunt Eccleſiæ, non ſingularibus; dignitatibusq;, non perſonis. Eodem modo Auguſtinus tractatu quinto in Ioannem dicit, puriſſimum aquæ riuulum quandoq; per canalem lapideum ad irrigandos hortos permeare: & quamuis canali non proſit hortis prodeſſe; fieri fortaſſe poteſt, vt ex Epiſcoporum numero, nonnulli ſint, qui lapidei canales dici poſſint: verùm nihilominus per os eorum permeat in concilio Dei verbum, ſanctæq; eccleſiæ hortos irrigat: quoniam, vti dictum eſt, ob malitiam iuriſdictionem non amittunt: & Chriſtus, boni, maliuè ſint Antiſtites, Eccleſiæ ſuæ factas promiſſiones nunquam fallit. At Caluinus inquit, non tamen promittit, ſe af-

 futu-

rurũ, niſi ijs tantummodò, qui congregati ſint *in nomine ſuo*. veriſſimum id quidem. ſed quid ſibi vult congregari *In nomine Chriſti?* hinc enim oritur difficultas omnis: atque hoc loco, oro vos, vt ſubtilem Caluini interpretationem audiatis. quærit Caluinus, an verba concilij, verba ſint Dei; & eſſe affirmat: dummodò Epiſcopi *congregentur in nomine Chriſti*. quærit deinceps, quando *congregentur in nomine Chriſti*. & hæc ipſa verba reſpondet, *Hoc eſt pactum, quod cum Leuiticu ſacerdotibus olim pepigit Deus, vt docerent ex ore ſuo*. id eſt, tunc congregati ſunt in nomine Chriſti, cum loquuntur ſecundum Chriſtum. itaque, auditores, præclara doctrina, altiſſimaq; Caluini eruditio, hæc eſt. Epiſcopi in concilio ſecundum Chriſtum loquũtur, cùm in ipſius nomine congregati ſunt: & ſunt congregati in nomine ipſius, cùm loquuntur ſecundum Chriſtum: ideſt, ſecundum Chriſtum loquuntur, cùm loquuntur ſecundũ Chriſtum. verba Dei dicunt, cùm dicunt verba Dei. vera dicunt, cùm dicunt vera. ò ſubtilitatem miram! tales omnino decet eſſe theologos. Sed quid faceret, quò ſe conuerteret, iniquæ, falſæq; cauſſæ patronus? aliter profectò exponitur congregari in nomine Chriſti ab antiquis omnibus: & ego afferrem vobis, auditores, multas, eaſq; pulcherrimas interpretationes, niſi vna præ cæteris excelleret. Scitis quid ſignificat nomen? dicam: auctoritatem, & mandatum ſignificat: eodem modo, quo dicere ſolemus, ſalutari aliquem nomine illius, id eſt mandato illius. *In nomine meo dæmonia eijcient* dicitur Marci cap. vlt. ideſt auctoritate mea. *Ego veni in nomine patris mei*. ideſt ab eo miſſus Ioannis cap. 5. *nonne in nomine tuo prophetauimus?* Matthei cap. 7. ideſt, iuſſu tuo, vel auctoritate à te accepta. Immò, quod amplius eſt; dicitur aliquid factum nomine meo, cum illius nomine factum eſt, qui meam ſuppleat vicem. qua ratione nomine Regis Hiſpaniarum edicta Neapoli publicè proponuntur,

cum

cum illius mandato proponuntur, qui pro Rege eſt. Itaque congregari in nomine Chriſti, eſt congregari mandato Chriſti. Vel (quoniam Chriſtus ſine internuncio non loquitur) congregari in nomine Chriſti, eſt cõgregari mandato vicarij Chriſti, qui eſt Papa. *Et Synodus Eccleſiaſtica in Chriſti nomine cogitur, cum indicente Chriſto, vel eius vicario cogitur.* Et Epiſcopi congregati ſunt in Chriſti nomine, cum Papa concilium cõuocauit. concilium verò in Chriſti nomine ſemper congregatum manet, quòad illud Papa non dimittit. denique (& hæc totius rei ſumma eſt) illa tantummodo concilij decreta in Chriſti nomine dicuntur emanaſſe, cum emanant à vicario Chriſti, qui eſt Papa. fremat nunc, & ſpumas agat Caluinus, & quaſi furijs agitetur: hoc eſt enim frœnum ipſius: hæc eſt vera norma, certaq; regula, qua intelligimus, an concilia vel prouincialia, vel generalia pro Dei verbo recipienda ſint, vt videamus, an a Papa confirmata ſint. Errarunt concilium Arriminenſe, & Conſtantinopolitanum, Leone Imperatore; quoniam non facta ſunt in Chriſti nomine: id eſt neq; conuocata, neq; confirmata fuerunt à Chriſti vicario. Errarunt concilium Epheſinum ſecundum, & Baſileenſe: non enim in illis perfectè Chriſti nomen affuit; quoniam, quamuis conuocata, non tamen confirmata fuerunt à ſummis Pontificibus. Inter Synodos prouinciales errarunt Anthiochena, Seleuciana, & Carthaginienſis: non enim affuit nomen Chriſti, quoniam eas Papa non confirmauit. Ceterùm non reperietis concilium aliquod, à ſummis Pontificibus confirmatum, quod vnquam errauerit. Aliòquin erraſſet etiam Chriſtus, cum dixit Petro, *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* atque id quidem manifeſtum, & clariſſimum eſt: quoniam in tot concilijs, quæ à Chriſti temporibus vſque ad noſtra hæc celebrata ſunt, nullam ne minimam quidem in mate-

ria fidei repugnantiam reperietis. quòd autem ad mores pertinet, conſtat, concilium aliud quandoque nonnulla decreuiſſe, quæ poſteà alio concilio ſublata ſint. nam temporum varietate fit, vt ordine, beneq; ſtatuerit primum; & optimè ſecundum: at in materia fidei, in qua vna, & eadem ſemper eſt veritas, nunquam aliter in hoc, atque in illo concilio ſtatutum, dictumuè reperietis. quoniam Deus ipſe in illis loquitur: quoniam Spiritus ſanctus aſſiſtit: & quoniam concilium, à Papa confirmatum, errare non poteſt. Adeſte animis: rem enim miram, maximamq; dicturus ſum, ſed veriſſimam. ſi fortè in aliquo concilio Epiſcopi omnes aberrauerint, & falſitatem aliquam ſtatuerint, fieri tamen nunquam poterit, vt eam Papa confirmet. quòd ſi cubitum veſpere ſe contulerit eo conſilio, vt illam poſtridie mane confirmet; eadem nocte vel morietur, vel de ſententia decedet: alioqui Deus non eſſet Deus, quoniam non eſſet verax. *Sed vnum exemplum, quod eſt præ omnibus memorabile, pro omnibus ſufficiat*. Verba Caluini ſunt elati, inflatiq; multũ, vt audietis: montes certè parturient. *In eo concilio, quod collegerunt Pontifices, & Phariſæi Hieroſolymis aduerſus Chriſtum, quid deſideres, quod ad extremam ſpeciem attinet? fit ſolennis conuocatio, præibat ſummus Pontifex, totus ordo ſacerdotalis aſſidebat: damnatur tamen Chriſtus*, ac videri vult Caluinus hoc eſſe pro ſua cauſſa vrgens, & grauiſſimum argumentum. Sed attendite vos, ſimplices, & creduli. affirmo ego, concilium conuocatum, vel ſaltem confirmatum à ſummo Pontifice errare non poſſe: & Caluinus dicit; Sed in concilio Hieroſolymis à Phariſeis habito, nonne aderant ſacerdotes, & Pontifex Cayphas, qui illud non conuocauit ſolùm, ſed etiam confirmauit? maxime: & tamen clarum eſt, concilium illud erraſſe: cum ipſa Pontificis ſententia contra Chriſtum lata ſit, eumq; innocentiſſimum capitis condemnarit. ita ne? vera quidem omnia: ſed audi, Calui-

ne:

ne: ego te imperitiæ, & inſcientiæ poſſem arguere, quòd à Synagogæ concilijs ad concilia Eccleſiæ argumentaris: ſed nolo: immò gratias ago, quoniam vtile, firmumq́; pro mea cauſſa ſuggeris argumentum præ cæteris, quæ in ſacris ſcripturis omnibus reperiri poſſint. quod nam enim concilium poſt hominum memoriam vnquam fuit, in quo maiores errores gigni potuerint, quàm in Hieroſolymitano? in quo ſacerdotes erant dealbata ſepulchra: Pontifex hypocrita: iudices accuſabant: accuſatores luporum naturam induerant: reus puriſſimus agnus: Pontifex impius: Chriſtus innocentiſſimus: qui etiam indicta cauſſa damnatus eſt. ſine dubio concilium hoc in maximos labi errores oportuit, ſi quod vnquam aliud. ſed errauit ne? tantum abeſt, auditores, vt erraret, vt quamuis ſacerdotes loqui clementer poſſent, nihilominus tamen vbi ferenda fuit ſententia, Pontificemq; iudicare oportuit, neceſſe eſſet, eum vera dicere, ſanctiſſimamque omnium aliarum, quæ vnquam auditæ ſint, ſententiam ferre: id eſt, vt *vnus homo moriatur pro populo, ne tota gens periret.* Et ipſe Ioannes Euangeliſta animaduertit: monetq́;, animaduertẽdum id à nobis, quoniam erat Pontifex, neceſſe fuiſſe, eum non verba ſua loqui, ſed Dei: nam *hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit.* ò iuſta, & arcana Dei iudicia! cupit me lædere Caluinus, & tuetur. quid enim præſtare mihi Caluinus potuit, quo magis cauſſa mea iuuaretur, quàm exemplum hoc? audi, Caluine, audi. Dicis, in hoc concilio ea fuiſſe omnia, quæ ad concilium pertinent: ego verò in primis tibi aſſentior: deinde dico, ſed in hoc tota Synagoga non conuenerat; igitur pauci Antiſtites totam repræſentant Eccleſiam. in hoc non aderant prophani homines; ergo ſoli ſacerdotes in concilium admittendi ſunt. in hoc erant homines deterrimi, improbiſſimiq́;; ergo non bonis tantummodo eſſe aditus ad concilium debet. in hoc primò ſacer-

dotes

dotes errarunt, *Neſcitis quicquam*; igitur antequam confirmetur à Papa, errare Concilium poteſt. in hoc extremam manum Pontifex impoſuit, remq́; poſtremo ſuo decreto ſanciuit; ergo petenda eſt à Papa concilij confirmatio. in hoc Pontifex ſceleſtus erat; & nihilominus vera locutus eſt? igitur impuritas, & malitia Papæ iuriſdictionem non aufert. denique in hoc Pontifex, *cum eſſet Pontifex*, quoniam Pontifex erat, non potuit loqui *à ſemetipſo*; ſed fuit organum Dei: *Prophetauit*; igitur in concilijs ſummorum Pontificum cõfirmationes verba eſſe Dei, neceſſe eſt. an verò, auditores, exemplum hoc eſſe poſſit accomodatius, aptiuſuè ad cauſſam meam, veſtri ſit iudicij: & an Caluinus, dum concilijs maledicit, carpitq́; Tridentinum præcipuè, aliud agat, quàm Arrius in Nicænum, Neſtorius in Epheſinum, Eutiches, & Dioſcorus in Calcedonenſe, & in Conſtantienſe Ioannes Hus: atq; vt omnes hæretici aduerſus concilia omnia. Nos interim ex ijs, quæ diximus, ſexcentiſq; alijs, quæ dici poſſent, certiſſimi ſumus, Eccleſiam non errare, eamq́; loqui, cum concilium loquitur: ſic, vt perinde concilij verba Dei verba ſint, ac ſacræ ſcripturæ verba. immò tunc demum ſcio, ſcripturam hanc eſſe Dei verbum, cùm in concilio verbum ſuũ eſſe, mihi Deus affirmauit. ſed de his explicatius quæſo, diſtinctiusq́; loquamur.

PARS ALTERA.

POſtularet hæc materia, de qua verba facturi ſumus, auditores, vt ea ſeparatim, & accuratè tractaretur: ſed in ſuperioribus etiam diſceptationibus, quandoque neceſſe fuit, res maioris momenti, molesq́; grauiores, quàm vellemus, ſimul colligere. nam re vera pauci ſunt dies, quos ad explicanda dogmata ſumpſimus nobis: quæ verò intelligere omnino neceſſe

eſt,

eſt, ſunt plurima. in quibus illud in primis ſcire maximè oportet: non ſolùm tàm eſſe Dei verbum, id quod vobis dicit Eccleſia, quàm illud, quod in ſacris ſcripturis legitur, ſed etiam nos perſpectum, & exploratum nunquam habituros, quodnam in ſacris ſcripturis eſſet Dei verbum, ſi illud in ſua Eccleſia Deus ipſe non aſſereret. optimeq́; Auguſtinum ſenſiſſe, cum aduerſus. *Epiſtolam fundamenti* dixit, *Ego verò euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoueret auctoritas*. & quidem, auditores, videremur nos haud multum à Deo conſecutos fuiſſe, eoq́; nomine parum ei debere, ſi nobis verbum ſuum in nonnullis ſcripturis dediſſet, neq; addidiſſet, rectam, optimamq́; regulam, per quam ſcripturas eas, in quibus ipſe loquitur, à reliquis diſtinguere, ſecernereq́; poſſemus. exemplum erit. in manibus hominum habentur euangelia duo; Marci alterum, qui Chriſtum nunquam vidit; alterum Nicodemi, qui ſæpenumerò cum ipſo collocutus eſt. Et tamen, quod Marci eſt, recipitur, vti factum, à Deo: quod autem Nicodemi, vti factum ab homine mero. eodem modo cur Paulli epiſtolam ad Romanos recipimus, ad Laodicenſes verò non recipimus? cur in ſcripturarum canonicarum numero non ponimus Iacobi Euangelium, & ponimus Lucæ? eſt ne norma aliqua diſtinguendi ſcripturas? eſt ſine dubio. id fatentur omnes. quæ vero? hic oritur diſcrepantia. qui enim lucem quærit, clarè intelligit, ad Eccleſiam ſpectare, vt qui verè libri ſacri ſint, dijudicet, & ſtatuat. qui verò tenebras amat, aliam regulam exquirit, qua denſiſſima caligine veritas inuoluatur, & in lucem reuocari nō poſſit. Ecce vobis Caluinus, lib. pri. Inſtitutio. cap. 7. ſectio. 4. *Altius, quàm ab humanis vel rationibus, vel indicijs, vel coniecturis, petenda eſt hæc perſuaſio*. quod quidem veriſſimum eſt: ſed qua ratione diſcimus nos huiuſmodi diſtinctionem tanti ponderis, & momenti? audite: *Nempè ab arcano teſtimonio*

ſpiri-

ſpiritus: id eſt, vnum quemq; à proprio intimo ſpiritu afflari: quoniam cuilibet ſuus ipſius ſpiritus aperit, quæ veræ, quæuè falſæ ſint ſcripturæ. atque, vt ipſe affirmat ſectio. 2. tàm clara eſt omnibus ſcripturarum diſtinctio, cognitioq;, vt aliam regulam, quàm propriam inſpirationem quærere *Perinde ſit, ac ſi quis roget, vnde diſcamus lucem diſcernere à tenebris, album à nigro, ſuaue ab amaro*. atq;, vt ſolo ſenſu quilibet diſcernit lucem à tenebris, album à nigro, amarum à dulci; ita vnuſquiſq; ſuo ipſius ſpiritu diſcernere ſcit, quæ ſint ſyncerae ſacræ ſcripturæ, vel quæ fallaces, & adulterinæ. ſententiam, quam eiſdem propemodum verbis Lutherus etiam ſcriptam reliquit: hoc enim vno *conuenerunt in vnum*, ſed *aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius*. Ego verò poſſem, auditores, hoc loco diutius immorari, docereq; quantopere ambiguitate, & obſcuritate delectetur Caluinus: cumq; is Eccleſiam occultare conatus ſit, nunc rurſus eniti, vt ſcripturas abſcondat. Verùm, ſi teſtimonium ſpiritus intimum ſcripturas diſtinguit, dico ego in primis, perſuaderi mihi à meo ſpiritu, Machabæorum libros eſſe canonicos. tum conuerſus ad te, Caluine, quæro, quid tibi videatur. quòd ſi reſpondes, non videri tibi; concludo, igitur, clariſſimè, Machabæorum libros eſſe vel ſacros ſimul, & nō ſacros; vel hanc ſuaſionem ſpiritus non eſſe certam, veracemq; diſtinguendi regulam. non quia Spiritus ſanctus aliquando mentiatur (abſit hoc à mentibus veſtris nam vera ſemper aſſerit,) ſed quia, vti iam diximus, vniuerſæ quidem Eccleſiæ, ſed non ſingulis hominibus ſe affuturum pollicitus eſt. quòd verò ad ſingulos homines pertinet, Diabolus ipſe quandoq; ſe *transformat in Angelum lucis*: & iccirco, *Non oportet omni ſpiritui credere*. Spiritus mihi quidpiam dicit: tibi verò, Caluine, diuerſum, & contrarium: igitur non eſt vnus ſpiritus tantùm, ſed duo: quorum alter mentitur, alter eſt verax. Si verò quærere volumus,

quis

quis vera dicat, & quis mentiatur; idem petimus principium, eodèm reuoluimur: & more ſuo *in circuitu impij ambulant*. vel, vt ait Auguſtinus contra Manichæum, qui ad diſcernendas ſcripturas hac regula eadem vtebatur, *id vos agitis*, ò Caluiniſtæ; *vt omnis de medio ſcripturarum auctoritas auferatur, & ſuus cuiuſque ſpiritus, non diuinus, auctor ſit, quid in vna quaque ſcriptura probet, quid improbet: hoc eſt, vt non auctoritati veſter animus ſubijciatur, ſed contrà ſcripturas vobis ſeruire, iniqua tyrannide cogatis*. Caluinus affirmat, ſibi verum ſpiritum eſſe: idem ſibi perſuadet Lutherus; & alter ab altero ſexcentis locis diſſentit, & diſcrepat. cognoſcite nunc, quàm egregia regula vtantur iſti, vt certa faciant, quæ incerta ſunt. ſed hos omittamus, & Cathechiſmum catholicum audiamus. Nos in primis ſcimus, Deum ore ad os amplius non loqui nobiſcum, vt iam antea cum multis: & poſtremò humana carne veſtitum, tribus, & triginta annis: ſed certò etiam ſcimus, ipſum duobus modis nobiſcum quotidie loqui: in ſcriptura ſacra, qui eſt vnus: & in vniuerſali Eccleſia, qui alter eſt. Deum autem loqui in ſcriptura ſacra, fatentur omnes: & loqui in Eccleſia, aperte iam oſtendimus: itaq; cum ſcripturas videmus, certi ſumus Deum à nobis audiri. & cum ſanctiones, decretaq; Eccleſiæ vniuerſalis audimus, nullum eſt dubium, quin ipſum Deum audiamus. Et, quemadmodum, ſi conſideremus literarum notas, & earum characteres, per ſe tantùm, nihil ſunt: ſi verò perpendamus, quid ſignificent, verba ſunt Dei; ita ſi Epiſcopos tantummodò ſpectemus, erunt homines meri: ſed ſi ſpectemus ipſorum verba in concilio à Papa confirmato, ſine dubio verba Dei ſunt. Reſtat, vt cognoſcamus, quæ ſcriptura vera ſit, & quæ Eccleſia vera: quod quidem ipſum viciſſim declarant, & ſcripturæ, & Eccleſia. nàm in ſacra ſcriptura facilè inuenio, qua ratione cognoſcam Eccleſiam, vti ſuperioribus diebus demonſtratum eſt: & ab Eccleſia ſtatuitur

Digitized by Google

mihi veræ ſcripturæ catalogus. immò vtrumq; nemo alius, niſi Deus oſtendit. nam veram Eccleſiam in ſcriptura Deus aperit: & veram ſcripturam idem Deus in Eccleſia docet. itaque nec ab Eccleſia ſcriptura pendet, nec à ſcriptura pendet Eccleſia:ſed ambæ à verbo Dei ipſius auctoritatem accipiunt, qui de Eccleſia loquitur in ſcripturis, & de ſcripturis loquitur in Eccleſia. quòd ad hæc attinet, ſatis habemus ſcire, qui liber canonicus ſit, & qui ſecus: quod quidem reſciri à ſolo Deo poteſt, idq; in Eccleſia. ſimili ratione, qua, ſi forte rex abſens mandaret, ne cuiquam fidem adhiberemus, niſi ſuis ipſius literis, vel ſponſæ; literis acceptis, quò certi eſſemus, à rege miſſas; ſponſam tamen adire oporteret. *Et hæc eſt fides catholica*. ita ſentiendum, ita credendum eſt: hoc enim modo aperiuntur, & clara fiunt omnia: quod idem Auguſtinus affirmauit. *Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoueret auctoritas*. Non quòd in concilijs Eccleſia librum aliquem non vere canonicum, ad libros canonicos addat, vel illum canonicum eſſe decernat, ſed cum liber ſit re ipſa canonicus id auctoritate ſua, quæ falli non poteſt, ita declarat, vt nullus relinquatur dubitandi locus. hoc item modo aduerſus omnes hæreticorum conatus armati, & muniti ſumus, vt, ſi quid obijciant ſacrarum ſcripturarum catalogo, vnico verbo reſpondere poſſimus, ſic cenſuiſſe, ſtatuiſſeq; Eccleſiam, quæ errare non poteſt. Exempli cauſſa, negant iſti (neq; me latet, qua de cauſſa) librum Baruch eſſe canonicum, quoniam citatũ ab antiquis non reperiunt: at ego reſpondeo, Hieremyæ ſcribã fuiſſe Baruch: creditumq; paſſim, oracula Baruch, Hieremyæ oraculis contineri, & comprehendi: quod quidem apertè conſtat: quoniam non ſolùm Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 33. Hieremyam nominat, cum tamen quæ profert verba, ſint ipſius Baruch; ſed etiam idem à Clemente factum eſt in Pædagogia cap. 10. Et ab Ambroſio lib. pri. de pænit. cap. 8. & lib.

3. cap.

3. cap. 14. Examer. & à Baſilio lib. 4. contra Eunomium, & à Ioanne Chryſoſt. Oratione, quòd Chriſtus ſit Deus contra gentes. & à Sixto Papa epiſt. pri. ad omnes fideles, & a Felice Quar. ad Petrum Anthiochenum, & à Pelagio primo ad Vigilium. Et ab ipſa Synodo ſexta, ſectio. 8. poſſem item plures afferre, qui expreſsè Baruch nomina, & verba ipſius proferentes, voces diuinas, & ſcripturam ſacram appellant. Vt Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 5. Cyrillus lib. 10. in Iulianum. Clemens lib. 2. pædagogiæ cap. 3. Ambroſius pri. de fide cap. 2. Euſebius lib. 6. de Demonſtratione Euangelica cap. 19. & alij multi. quid verò alijs argumentis, aut rationibus opus eſt, cum duobus concilijs, Florentino, & Tridentino vniuerſalis Eccleſia canonicum eſſe decernat? Et feſto Pentecoſtes die legendos Baruch libros non minus cenſeat, quàm alios canonicos, & diuinos? idē dico de Machabæorum libris, negari ab iſtis eſſe canonicos (& optime etiam noui, qua de cauſa) ſed ſcire me, tàm canonicos eſſe, quàm qui maximè. non modò, quia id docent Auguſtinus 18. de Ciuitate Dei cap. 36. & Iſodorus lib. 6. Ethimol. cap. 1. & Innocentius primus Epiſt. ad Exuperium Tholoſanum; ſed etiam, quoniam id affirmat Eccleſia, in concilio ſeptuaginta Epiſcoporum, Gelaſio, Summo Pontifice. & in concilijs Carthaginenſi tertio, & Florentino, & Tridentino. Neq; hùc attinet obijcere, libros iſtos, vel alios à ſuperioribus concilijs in canonicorum numerum non fuiſſe relatos: quoniam negatiuū argumentum *ab auctoritate* non valet: & Eccleſia ſancta, *quæ docet omnia*, non tamen *docet omnia ſimul*, ſed *ſucceſsiue*. itaq; vti prius hæc nomina non docuerat, *Homouſion*, *Deiparam*, *Tranſubſtantiationem*, & ea cum fuit opus edidit in concilijs, Nicæno, & Epheſino, & Lateranenſi; ita contingit, vt olim theſaurum alicuius libri canonici non patefaceret; quod tamen alio tempore faciendum cenſuerit. noſtra verò intereſt, cum

ſciamus

ſciamus nunc ſanxiſſe Eccleſiam, vt inter canonicos habeatur, auctoritati ipſius acquieſcere. ſed hoc non fuit conſilij, primiúe inſtituti mei. pergrata quidem mihi fuit occaſio probandi, libros Baruch, & Machabæorum eſſe canonicos, ijs præſertim de cauſſis, quas opportunius alio tempore cognoſcetis. Verùm in præſentia ſatis habeamus, ad oſtendendam amplitudinem, & auctoritatem Eccleſiæ, docuiſſe, non ſolùm eam (quód ad veritatem, & firmitatem attinet) ſcripturæ ſacræ non cedere, ſed ad eá ſpectare, ſcripturam ſacram diſtinguere, & decernere; quoniam ad ſummam in vtraque loquitur Deus. Quare, ò decepti, ſi rem animis veſtris expenditis, quis vobis amplius relictus eſt dubitandi locus? Vera eſt Eccleſia Romana: & hæc, cum loquitur, non errat: loquitur autem in concilijs, à ſuo capite confirmatis. quid hîc deeſt? quid vobis agendum eſt aliud, niſi vt concilia in manibus habeatis, & pareatis? auditores, aduerſarij (iam præuideo) rurſus elabi conabuntur: objicient enim me falſum attuliſſe; neq; enim fieri poſſe, vt concilium à capite Eccleſiæ confirmetur, quoniam Eccleſia viſibile non habeat caput. Quare hęc etiam nocens, & incommoda radix, totius iſtorum cauſſæ, quaſi fundamentum, mihi penitus euellenda eſt, ideo in vtraque craſtinæ diſceptationis parte docebo, Chriſtum cum diſceſſit, reliquiſſe caput Eccleſiæ Petrum; atq; antehac viſibilia capita ſemper fuiſſe, ſemperq; poſthac fore, ſucceſſores ipſius.

DISCE-

DISCEPTATIO SEXTA.

Qua docetur, oportuiſse Eccleſiam Dei vnius tantùm regimine gubernari. Petrum relictum fuiſse principem aliorum Apoſtolorum: ſummum Pontificatum exercuiſſe: Papam conſtitutum fuiſſe ijs verbis, Super hanc petram: *Romam profectum, ibiq; Epiſcopum fuiſſe annis viginti-quinque, ibidemq; mortuum: & ideo ſucceſſorem ipſius in primatu eum eſſe, qui Epiſcopus eſt Romæ.*

Aduerſus ea, quæ Caluinus affirmat, capitibus propè omnibus, 2. 6. 7. lib. 4. Inſtitutio.

GRAVIS adeò, tantiq; ponderis eſt, auditores, ſublimis illa materia, de qua hodie tractaturus ſum, vt ſicut in ea ſola, quaſi in baſi, petraq; firmiſſima, moles omnis fundatur Eccleſiæ Romanæ; ita nos ornamenta, coloresq; parietibus, & tectis relinquentes, in hoc iaciendo fundamento, nihil aliud allaturi ſimus, niſi lateres,& calcem eodem tempore: id eſt grauiſſima teſtimonia, manifeſtaſq;, & firmiſſimas rationes. Negat Caluinus, vt tot alij hæretici negant, primatum Romanum: & primatum Petri: & eô amentiæ progreditur, vt conuicietur, & maledicat non Papæ ſolùm, ſed ipſi etiam Petro. & cap. 6. lib. 4. Inſtitut. tot conuicijs, totq; iurgijs vtrumq; conſectatur, vt aures ipſæ à cõmemoratione abhorreant. ò Romane Pontifex, ò Petre Apoſtole, quàm crudelis, quàm atrox inimicus vobis eſt Caluinus! quàm vos deſpicit, quàm contemnit! quibus enim contumelijs parcit? quod maledicti genus, & apertè, & diſſimulanter in vos non conijcit? quæ probra non contorquet? quæ contumeliarum fulmina non emittit? parum abeſt, ò Petre, quin tibi præſertim paſtoralem virgam eripiat: quin claues è mani-

bus extorqueat: quin petræ, & fundamenti nomen auferat: quin tua Roma te excludat: quin tuæ nauiculæ tibi clauũ euellat: quin principatum adimat, tibi à tuo Chriſto inter omnes alios Apoſtolos manifeſtè conceſſum. quorum omnium, quæ cauſſa eſt, auditores, niſi quam paullò ante dicebam? quoniam non amat lucem: quoniam nihil explorati, nihil comperti vult: quoniam à tribunali certo, & à certo iudice refugit: denique, quoniam perturbationis omnis, & confuſionis cupidiſſimus, cùm tantopere laboret, vt iudicium vnius ſummi principis euitet, neceſſe eſt, ad tollendam Monarchiam, & omnem bene inſtitutam Eccleſiæ gubernationem euertendam ſe conuertat. ſed parum vobis officiet, dummodò attentè audiatis. hac enim vna diſceptatione, quamuis paullò fortaſſe longiore, me facturum ſpero, vt non ſolum rem ipſam oculis intueamini, ſed etiam ipſis quodammodò manibus attingatis: nempè, oportuiſſe Eccleſiam Dei, vnius tantùm gubernatione regi: vnum Apoſtolorum principem conſtitui: meritò eum eſſe debuiſſe Petrum. atq; ea ratione in omnibus ſcripturis potiores fauores ei fuiſſe collatos: eidem huius principatus expreſsè poſſeſſionē traditam fuiſſe: principatum ipſum Petri morte finiri non debuiſſe, & iccircò ſucceſſorem habere: ſucceſſorem hunc eſſe Pontificem Romæ: qua in vrbe commoratus, & mortuus ſit, & ipſos viginti quinque annos Epiſcopatum adminiſtrarit hic felix Apoſtolus.

Atque in primis Eccleſiā Chriſti relinqui debuiſſe ſub vnius tantùm adminiſtratione; arbitror, ne Caluinum quidem ipſum inficiaturũ, neq; negaturum, quin hanc Rempub. reliquis omnibus, quæ in terris ſint, oportuerit eſſe perfectiorem, & melius inſtitutã itaq; quæro ego, an etiam Politicorũ ipſorũ iudicio fateri nos neceſſe ſit, debuiſſe Chriſtũ (vt quod optimũ erat eligeret) vnum tantùm conſtituere, qui rempub. gubernaret. Politia,

Ari-

Ariſtocratia, & Regnum, vt noſtis, auditores, tria genera ſunt bonæ gubernationis: id eſt multorum, paucorum, & vnius; optimam verò, & perfectè ordinatam, & pulcherrimam gubernationem Regni, & principis vnius eſſe, politici ſine controuerſia firmiſſimis rationibus oſtendunt. verùm, ſi Reipubl. Chriſti gubernationem meliorem tribuere poſſumus, æquum ne eſt, vt deteriorem ſtatuendam cenſeamus? iuſtum ne videtur, vt perfectiſſimæ Reipub. à perfectiſſimo omniũ Legislatore conſtitutæ perfectiſſimam regendi ſpeciem auferamus? ſi Chriſtus multorum adminiſtrationem in ſua Republica probaſſet, pleroſq; ad eam regendam adhiberi voluiſſet. ſi paucorum, omnes æque Apoſtolos illi præfeciſſet. ſed quod optimũ erat gubernandi genus elegit, & hanc curam vni tantùm homini demandauit; caput, & principem conſtituens Petrum. itaq; maximè notandum, & animaduertendum eſt, quoties Chriſtus de ſua Eccleſia locutus eſt, vti de Republica, vel, vt ita dicam, de congregatione, quæ ab vno regeretur; ſemper ita locutum, vt vnum, non multos ſummam obtinere poteſtatem appareret: nàm in Euangelijs omnibus vel Politiam, vel Ariſtocratiam appellari ab eo nunquam reperietis: cóntrà verò in eiſdem Euangelijs paſſim eam regnum appellat. *Regnum cælorum*. immò ſi attentius conſideremus ſimilitudines, quibus in ſacris literis deſcribitur Eccleſia, clarè conſtabit, omnes hanc Monarchiæ vnitatem indicaſſe. Exempli cauſſa, cum exercitus appellatur cap. 6. Canticæ, vnus imperator oſtẽditur, cui pareat: cum humanum corpus dicitur Canticæ cap. 7. caput ſignificatur, quod ceteris membris antecellat. cũ ouile appellatur apud Ioannẽ cap. 10. vnus paſtor oſtenditur, quem greges ſequantur. cũ domus nominatur Timoth. cap. 3. vnus pater familiâs declaratur, qui eã gubernet. cũ nauis vocatur epiſt. pri. Petri cap. 3. gubernator demõſtratur, qui claſſem regat, atq; hoc modo ſem-

per. Synagogæ ipſi ſupremū tribunal conſtituit: eiq; vnū præfecit, vt eam nobiliſſimo gubernandi genere decoraret. an verò, quod Synagogæ vltro largitus eſt, id Eccleſiæ ſuæ nō conceſſit? *Prouide de omni plebe uiros ſapientes, qui iudicent populum omni tēpore*. bene quidem. ſed *Quicquid maius fuerit referent ad te, et ipſi minora tantummodo iudicent*. & alias dicebat Deus, *qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis*, non Sacerdotum *imperio* (vt ſingulare illud eſſe tribunal oſtenderet, à quo appellari non poterat) *Ex decreto iudicis moriatur homo ille*. quod ſi nobis e terris licet in cælum aſcendere, & argumentari, vti fit ab Ambroſio epiſt: ad Hebræos cap. 8. & à Greg. epiſt. 12. lib. 4. à ſimilitudine, quæ debet eſſe militanti Eccleſiæ cum Eccleſia triumphante, hoc idem, quod modò dicebam, dubium non habet. teſtes affero Tertullianum lib. 2. contra Marcionem. Hieronymum homil. 34. in euangelia. Iſidorū lib. pri. de ſummo bono cap. 12. vt alios plures omittam. affirmant enim hi principem angelorum omnium cum Monarchiæ imperio conſtitutum fuiſſe Luciferum, & poſt illius caſum, ruinamq; eundem obtineri locum ab illo glorioſo Michaele, de quo modò dicitur *Michael, & angeli eius*. modò Paradiſi præpoſitū appellat Eccleſia, & cœleſtis militiæ principem. præterea, vti Chriſtus matrem ſuam vni Apoſtolo Ioāni commendauit, ita commendanda fuit ſponſa ipſius vni Apoſtolo, qui fuit Petrus: cumque Eccleſia Chriſti corpus viſibile ſit; monſtri ſimilis fuiſſet; ſi caput inuiſibile tantùm habuiſſet: ideoq; iure, & merito diſcedens ipſe caput eidem viſibile ſecundo loco reliquit in terris. poſſet item aliud ab Eccleſiæ propagatione ſumi firmiſſimum argumentum. oportet enim ab Eccleſia omnē operam dari, vt per vniuerſum terrarū orbem prædicetur Euangelium. in Eccleſia igitur vnū eſſe neceſſe eſt, qui poteſtate, & auctoritate ſua per totū orbē prædicatores mittat: *Quomodo enim prædicabunt, niſi mittātur?* hæc autē

mittendi facultas non poteſt ad vnum aliquem Epiſcopum,vel Archiepiſcopum pertinere: nemo enim illorum egredi poteſt diœceſis,vel prouinciæ ſuæ fineis. igitur neceſſarium eſt, omni tempore vnum eſſe in Eccleſia vniuerſalem paſtorem, qui ius ſuum nullis terminis circumſcriptum, aut definitum exerceat, habeatq; ſummam mittendi, quocunque maluerit,poteſtatem. ſed his, ſexcentisq; alijs rationibus,quæ afferri poſſent, ſola illa præferenda eſt,qua probatur,deſiderari potuiſſe Dei prouidentiam: eumq; rem quandam imperfectam,maximeq; confuſam relicturum fuiſſe in terris,niſi vni ſupremo Apoſtolo, & aliorũ principi Eccleſiæ ſuæ curam delegaſſet. cum enim prouideret Chriſtus poſt ſuũ diſceſſum facile (vt fieri quotidie videmus) inter hunc,& illum oriri poſſe cõtrouerſias,& diſceptationes de fide, quorum vterque Eccleſiæ ſuæ membrum cẽſeretur; nõne oportuit, vnum relinqui, qui adiri, qui cognoſcere, qui ferre ſententiam poſſet? quid ad hæc, Caluine,dicis? ſcripturam ipſam relictum iri, qua, veluti hominum, & angelorum trutina, omnes vti potuiſſent. bene, prima fronte. ſed de ſcriptura ipſa, & de eius expoſitione, ſi quæſtio extitiſſet, quis præeſſe, quis de ea ſtatuere, iudicareq; debuiſſet? non ſcriptura: progrederemur enim in infinitum: igitur viui alicuius hominis iudicium. ſed hoc iudicium (dicet Caluinus) fieri potuiſſet à multis in Eccleſia eiuſdem loci, atq; ordinis. inepte ſanè. nam, ſi inter pares illos de interpretatione ſcripturæ,fuiſſet diſceptatio, quis eam diremiſſet? non ipſi diſputantes, quos & partes,& iudices eſſe non deceret. non ſcriptura; quæ eſſet litis,& controuerſiæ materia. igitur, à primo ad poſtremum, ne lites in Eccleſia Dei perpetuò ſine deciſione manerent, & ne permixta, & incerta eſſent omnia, non ſolùm decuit, verùm etiam maximè neceſſarium fuit, Chriſtum Eccleſiæ ſuæ ſupremum tribunal ſtatuere, à quo nulla daretur appellatio,eiq; vnicum hominem

præficere, per quem lites omnes de moribus dirimerentur, & omnibus de fide controuerſijs finis imponeretur. igitur ita factum eſt: & vnum tantùm perpetuò Chriſtus conſtituit caput Eccleſiæ ſuæ, primumq; omnium voluit eſſe Petrum: illum, inquam, quem, vbi aliquis Eccleſiæ præficiendus ſit, ne Caluinus quidem erit tàm impudens, vt ad hoc munus non eligat. & profectò, auditores, nimis multos, nimios egregios fauores, nimis præclaras, & inſignes gratias, præ cæteris omnibus, in toto corpore teſtamenti noui in Apoſtolum Petrũ videmus fuiſſe collatas. itaq; ſi Caluinus ex animo loqueretur, synceraq; mente diceret, quæ ſentiret, cum in hac lite, quæ mihi cum ipſo eſt, ad ſcripturas appellet, viciſſem ego. cæcum enim planè oportet eum eſſe, qui non videat, ſexcentis diuinarum litterarũ locis non ſolùm Chriſtum, antequàm moreretur, Petro innuere, & promittere primatum; ſed etiam continuò, poſt Chriſti mortem, Apoſtolum Petrum incipere Papæ officio fungi, & pontificatum exercere, & ſe alijs Apoſtolis prælatum oſtendere. *Nullus quæſtionem hanc ſoluere melius poteſt, quàm ſcriptura ipſa, ſi locos omnes conferamus, vbi docet, quid muneris, & poteſtatis habuerit Petrus inter Apoſtolos; qualiter ſe geſſerit, qualiter etiam ab ipſis fuerit acceptus:* & ego item mihi nullum aliũ iudicem depoſco. primum concilium (ſi concilium appellare volumus) illud eſt, quod ſcriptum eſt Act. pri. in quo de ſufficiendo Iudæ ſucceſſore tractatum eſt (locum cuiuis videre licet) Petrus id conuocauit, coegit, diſpoſuit, confirmauit: quæ omnia an Papæ munera ſint, veſtri ſit iudicij. cum obiurgarentur omnes Apoſtoli, ſolus Petrus defenſionem ſuſcepit, & apologiam fecit. nemo Apoſtolorum vnquam auſus eſt, gentes ad baptiſmum recipere, antequàm id Petrus inciperet. qui Samariam mitterentur, Petrus conſtituit: de quorum numero eſſe & ipſe voluit. capitis damnare, ſummariæ iuriſdictionis eſt: &

ſolus

ſolus Petrus Saphiram, & Ananiam condemnat. Petrus item ex ſanctorum diſcipulorum collegio Simonem Magum exterminat. ſed, ſi quis Papæ veram imaginem, & germanam effigiem videre cupit, Petrum videat; in concilio Hieroſolymitano Act. 15. qui (omitto, quòd illud conuocarit, quæ videbantur, retulerit, primus locutus ſit) quamuis concilium in cathedrali Hieroſolymitana celebraretur, præſensq; adeſſet vrbis illius Epiſcopus Iacobus; nihilominus tamen Hieroſolymis prius Petrus, quàm ipſe Hieroſolymorum Epiſcopus, ſententiam dicit; quod quidem ad ſolum Pontificem pertinet. in materia fidei Chriſtus Petrum ſemper interrogat, prætereà neminem. in omnibus Apoſtolorum catalogis primum ſemper locum obtinet Petrus: primus Petrus confitetur Chriſtum: primus eſt prædicator Iudæorum: primus, qui gentes ad Chriſtum conuertat: primus flagellis cæſus: primus, cuius nauem ingrederetur Chriſtus: primus, cuius pedes lauerit dominus: primus, cui poſt Chriſtum angeli loquerentur: primus poſt Chriſtum, qui ægrotos ſanaret: primus, qui vno verbo viuos occideret: primus, qui vno verbo mortuos reuocaret ad vitam. præterea ſolus Petrus cenſum perſoluit cum Chriſto: ſolus interrogauit de remiſſione fratris: ſolus in mare ſe coniecit. ſolũ Petrum Paullus viſitauit. ſolus dici ſibi audiuit, *Duc in altum*: ſolus, *tu me ſequere.* Et Caluinus cupiebat ſcripturas ipſas de auctoritate, & poteſtate, & amplitudine Petri iudicare? ſed Petrus tamen (dicit ipſe) ſcribens ad paſtores Ponti, & Galatiæ, & Bythiniæ, & alios, appellat eos, non inferiores, ſed conſeniores, & coëpiſcopos. at, ego reſpondeo, nihiloſecius à Papa fieri. quod enim ad diœceſim Romanã pertinet, coepiſcopus eſt alijs: ſed quòd ad gubernationem vniuerſalem ſpectat, eſt omnium princeps. at Petrus (Caluinus ait) à Paullo reprehenſus eſt: vt habet Epiſtola ad Galatas 2. fateor, inquam ego: ſed eadem epiſtola Paul-

lus prædicare Euangelium non audet, niſi prius doctrinam ſuã cum Petro contulerit. quòd vero ad reprehenſionem attinet, ab Auguſtino non diſcedens, eam non inficior: ſed dico, Paullum ſuarum gentium fautorem, ſtudioſumq́; fuiſſe; Petrum verò Iudæorum defenſorem: neque illam fuiſſe reprehenſionem, quæ ad auctoritatem referretur, ſed ad charitatis redundantiã. Atque in cõcilio Hieroſolymitano iam ſancitum fuerat, vt cuilibet, quòd ad legales cibos attineret, priſcos ritus ſeruare, vel non, liberum eſſet. quare Petrus id ſibi permiſſum animaduertens, cum gentilibus more gentilium viuebat. Superuenere Hebræi, qui nondum legales ritus exuerant, & fortè vel ignorabãt Concilij decretum, vel non meminerant: quibus, ne ſcandali, offendiculiuè occaſionem daret Petrus; à cibis immundis abſtinuit. Sed crebrò nimis accidit, vt ea, quæ bona mente facimus, non bonus euentus conſequatur. quod enim fecit Petrus ne offenſionem afferret Hebræis, id nocuit gentilibus; nam ij potius Papæ exemplo permoti, quàm decretum Concilij memoria retinentes, exemplum pro lege habuerunt; cœperuntq; vereri ſe peccaturos, ſi cibis immundis veſcerentur. Atq; illud fuit, cui Paullus gentilium patronus & tutor modeſtiſſimè occurrit, Petrumq́; monuit, animaduertendum eſſe, ne, dum Hebræis prodeſſe cuperet, gentilibus caſu detrimentũ afferret. rurſus addit Caluinus, ſi Paullo datum erat præputium, & Petro circunciſio, ergo inter ſe æquales erant, & pares. minimè verò, reſpondeo ego: quoniam, cum in Apoſtolis tria conſiderari poſſint, ordo, prædicatio, & gradus; licet ordine Apoſtoli omnes eſſent pares, & prædicatione Paullus, & Petrus æquales; gradu tamen, & dignitate reliquis omnibus ſine dubio ſuperior erat Petrus. Præterea poſſum ego dicere ex hac item diuiſione conſtare, Paullo ſuperiorem fuiſſe Petrum: quoniam ex duabus Eccleſiæ partibus nobilior, vt eam tueretur, ei tributa eſt. *Digniori,*

gniori dignior, nam Chriſtus item *miniſter fuit conuerſionis*, & ad prædicandum *immediate*, non fuit miſſus, *niſi ad oues, quæ perierant domus Iſrael:* & nemo ignorat, quàto frequentior eſſet, nobiliorq́; ijs tēporibus corū numerus, qui ex Iudæis; quàm qui ex gentibus conuertebantur. quare & hoc oſtendit maiorē omnibus fuiſſe Petrum, quæ quidem omnia docent illæ ſcripturæ, vt audiſtis, ad quas appellauit Caluinus, & à quibus ſatis ſibi eſſe dicebat cognoſcere, quem poſt Chriſtum Petrus Apoſtolus gradum obtinuiſſet. Sed iam ſententiam mutat. repreſſa eſt aliquantum hominis ferocia. nulla ratione, inquit ipſe, illud vnquam vobis aſſentiar, niſi ſacræ ſcripturæ locos planè videro, quibus Chriſtus primatum hunc Petro largitus ſit: nullus enim locus eſt, præter illum, *Super hanc Petram:* ibi vero non de Petro locutus eſt Chriſtus, ſed de fide, & de confeſſione, quā prius fecerat Petrus. ſic, igitur, Caluine? tàm cito te pedem referre non pudet? primò ſatis tibi eſſe dicebas, ſi certior fieres, vti poſt Chriſtum ſe Petrus geſſiſſet, nunc verò te crediturum negas, datum Petro fuiſſe principatum, niſi priuilegium, & diploma conſpexeris? iam verò nos & hoc ipſum facilè demonſtrabimus. quòd autem ſperás, nō poſſe nos aliud afferre, quàm verba illa, *Super hanc petram*, hæc quidem fallax, & falſa ſpes eſt: multa enim ſuppetunt, quæ afferri poſſent, vt illud, *Paſce agnos*. & illud, *Paſce oues meas*. & *diligis me plus his?* item *Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides*. item, *Confirma fratres tuos*. &, *Tu me ſequere*. &, *tibi dabo claues*. &, *quodcunque ligaueris*. &, *quodcunque ſolueris*. & ſexcenta alia. ſed quoniam hunc locum eſſe tam leuem, paruiq́; ponderis exiſtimas, ipſum capimus, & clarè dicimus, quamuis cætera deeſſent argumenta, hoc eſſe firmiſſimum. Non quidem nego & ſuper Chriſtum, & ſuper fidem fundatam eſſe ſanctam Eccleſiam, vt exponit Auguſtinus ſermone 13. *De verbis Domini*. & Tract. 124. in Ioannē;

ſed

ſed non iccirco alius excluditur ſenſus, qui & ipſe syncerus eſt, & verus. vtrumque enim probat Auguſtinus lib. pri. Retractat. cap. 21. vt etiam ſuper Petrum locata ſit Eccleſia: ipſeq; fundamentum Eccleſiæ ſtatuatur. immò, auditores, ſi diligenter perpendimus, magis congruit,& magis eſt propria ſecunda expoſitio; præſertim ſi rem ipſam, & quod ante, quodq; poſtea factum ſit, conſideremus. nempe, Chriſtum quæſiſſe ab Apoſtolis, quid de ipſo dicerent homines: interrogaſſe, quid ipſi Apoſtoli dicerent: Petrum ſolum reſpondiſſe: pulchram illam, inſignemq; confeſſionem feciſſe; *Tu es Chriſtus filius Dei viui:* Chriſtum replicaſſe, *Et tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:* Et huiuſmodi alia. Ex his enim omnibus, & alijs, quæ tunc geſta ſunt, liquidò cõſtat, de Petro dictũ, de Petro intellectum; eum ſcilicet futurũ fuiſſe Eccleſiæ Dei fundamentũ. nam præterquam quòd Petrus ſolus hic reſpondet; & Chriſtus ante,& poſt promiſſioné de ipſo loquitur; & cũ ſolo ipſo loquitur; & nomine ſuo appellat; &, ne ſimilitudo nominis Simonis alterius errorem afferat, nominat etiam patrem, Bariona, præter, inquam, hæc omnia; ſi de ipſo non ſenſiſſet, cũ dixit, *Super hanc petram,* ad quid eum nominaſſet illa metaphora Petræ, dixiſſetq;, *Tu es Petrus?* neque ego nunc illud quæro, an hic ſit locus, quo Simon nouo Petri nomine vocatus eſt: an verò, cum iam anteà appellatus fuiſſet Petrus, nunc Chriſtus nomen illud iteret, & illi quaſi reuocet in memoriam. ſed, vtcumq; ſit, præclare ſentiunt Hieronymus lib. 4. Comment. in Hieremyam,& Chryſoſtomus Homil. 18. in Ioannem, nominis mutatione ſemper ſignificari dignitatis acceſſionem. præterea, vt omittantur hæc omnia, quis tanta animi perturbatione, tantaq; rerum ignoratione, & imperitia laborabit, qui audiat, cuiquam nomen per metaphoram imponi, continuoq; aliquid ea metaphora promitti; neque opinetur, ei promiſſionem fa-

ctam

ctam, cui per metaphoram nomen eſt impoſitum? exempli cauſſa: ſi dixero, tu ſerpens es; & hanc ſerpentem arbitror eſſe prudentiſſimam; quemnam, quæſo, ſignificari cenſebis, niſi teipſum? ſi te ſerpentis nomine appellauero, continuoq; aliquid per ſerpentis metaphorã dixero, de quo, niſi de te dictũ erit? vel ſi dictum erit de alio, quàm vanum, quàm ineptum fuit, eo tem pore proprium nomen immutaſſe? pari modo Chriſtus dicit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. ad quid vtitur petræ metaphora, poſteaquàm eum Petrum nominauit? vel quàm inaniter, poſtquàm eum appellauit Petrũ, translationem petræ vſurpat, niſi ad nomen illud alludit, vultq; eum intelligi, cui nomen eſt impoſitum? nodum vnum hoc loco ſupereſſe lib. pri. Retractat. cap. 21. Auguſtinus dicit. affirmat enim argumentum firmiſſimum fore, ſi Petro Chriſtus dixiſſet, *Tu es Petra, & ſuper hanc petram*. ſed liceat mihi, tàm ſancti, tantiq; viri pace reſpondere; prorſus vt ipſe volebat, ita contigiſſe. quamuis enim lingua noſtra latina, vbi marem alloquimur, dicimus *Tu es Petrus*: & non *Tu es Petra*: attamen proprietate Græci ſermonis, & Hebræi, & Syriaci, quo Dominus eo tempore loquebatur, apparet, perinde voces illas ſemper ſignificare, ac ſi dixiſſet, *Tu es* non *Petrus, ſed petra*; *Et ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam*. itaq; conſtat, appellatum à Chriſto *Petram*, quoniam is erat, quem (per petræ metaphoram alludens) ſanctæ ſuæ Eccleſiæ principem conſtituere decreuerat. ſed iſtæ omnes *ſunt veteres ineptiæ*, Caluinus dicit. Ego verò, quòd *veteres* appellat, gaudeo. nemini enim dubium eſt, vetuſtiſſimam expoſitionem eſſe, cum Chriſtus dixit, *Super hanc petram*, intellexiſſe de Petro. quod autem maledicit, *ineptias vocans*, vt iſtius temeritatem agnoſcatis, videatiſq;, qui ſint, quos ineptos appellet, nonnullos curſim referam vobis eorum, qui hanc opinionem habuerunt. nam, ſi nos eo nomine

inepti

inepti ſumus, ineptus eſt Chryſoſtomus Homil. 55. in Matth. ineptus Hylarius, Canon. 16. in Matth. ineptus Cyprianus epiſtola ad Quintium. item Origenes tract 5. in Matthæum. item Theofilactus in 22. Lucæ. Et Leo Papa concio. 2. de Petro, & Paulo. Et Tertullianus de præſcriptionib. hæreticorum. Et Epiphanius in Ancorano. Et Dionyſius Areopagita ad Timotheum, & ineptum eſt Calcedonenſe concilium. immò, quoniam tantos ſibi ſpiritus ſumit Caluinus, tantumq; inſultat, cum pro ſe Auguſtinum citat, ineptus eſt Auguſtinus, non ſemel: Sed primò in Quæſtionibus noui teſtamenti. quæſtio. 75. deinde in Pſalmum 108. enarratione prima, & in Ioannē. tract. 56. & lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. pri. Et epiſt. 108. Et ſermone de ſanctis, die feſto ſanctorum Petri, & Paulli. ſermo. 5. & alibi paſſim: vbi, nihil ab alijs ſanctis diſcrepans, id affirmat, quod, niſi impudentiſſimè, negari nō poteſt: nempe (præter ſacrarum literarum teſtimonia pluribus locis, quibus Petri primatus oſtenditur) tùm præcipue, cum Dominus dixit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram* eo dicendi modo principatum Petro tribuiſſe, caputq; & fundamentum ſanctæ ſuæ Eccleſiæ eum conſtituiſſe. *Cunctis enim Euangelium ſcientibus liquet, quod vere ſancto, & omnium Apoſtolorum principi Petro totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, cum ei dictum fuit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, dicit Gregorius Papa, & alter Gregorius theologus, & vetuſtior ita ait; *Petrus ipſa petra illa vocatur, quæ Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habuit*. At, *fundamentum aliud nemo poteſt ponere, niſi Chriſtum Ieſum*, dicit Paullus: & de Chriſto Paullus idem dicit eſſe *petram*. *Petra autem erat Chriſtus*. bene omnia, ſi bene intelligantur. nàm tu vel inſcius, & imperitus es, Caluine, vel improbus. Si enim huic argumento tuo, iam ab alijs hæreticis tui ſimillimis allato, non vidiſti, quæ ampliores Eccleſiæ patres reſponderunt,

derunt, ignorantiæ eſt. ſin vidiſti, & ſcire diſſimulas, vt aliquẽ fallas, malæ mentis, nocendiq; cupidæ. Baſilius de pœnitentia. Ambroſius Lucæ cap. 9 Cyrillus Alexandrinus vbertimè apud Eſai. 4. Leo Papa epiſt. 84. omnes hi, & alij plures reſpondent, & maximè hoc modo. cum boni natura ſit, ſeipſum diffundere, vt ait Dionyſius Areopagita de diuinis nomin. cap. 4. nihil mirum eſt, Chriſtum, ſummum bonum, adeò ſua diffudiſſe, vt etiam nominum ſuorum alios participes eſſe voluerit. ipſe lux eſt; *Ego ſum lux mundi,* & tamen Apoſtolis dicit, *Vos eſtis lux mundi*. ipſe ſolus eſt bonus: *Nemo bonus, niſi ſolus Deus:* & nihilominus dicit, *Bonus homo de theſauro*. ipſe peccata remittit: *Quis eſt hic, qui etiam peccata remittit?* & quidem Apoſtolis dicit, *Quorum remiſeritis peccata*. ipſe eſt Agnus: *Ecce Agnus Dei:* verumtamen dicit, *Ecce ego mitto vos, ſicut oues*. ipſe eſt Dei filius: & certe *dedit poteſtatem filios Dei fieri*. ipſe eſt paſtor: *Ego ſum paſtor bonus:* attamen Petro dixit, *Paſce oues meas*; Et eadem ratione Chriſtus eſt fundamentum: & nihilominus communia fundamenta ſunt Apoſtoli omnes: *Super fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*. ſingulare verò, maximeq; præcipuum fundamentũ eſt Petrus. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Et iure quidem. nam primarium fundamentum Chriſtus eſt: & Petrus ſecundarium. Chriſtus ſimpliciter eſt petra: & *Petrus eſt Petra propter Petram*. Chriſtus caput eſt, & fundamentum inuiſibile: Petrus verò remanſit in terris, vt pariter nunc ſucceſſor eius viſibile caput, & fundamentum. Vos verò, ò Catholici, cum tàm crebrò metaphoram hanc iterari auditis, Petrum relictum fuiſſe fundamentum Eccleſiæ, quid per hanc vocem fundamentum intelligitis? quibus præcipuis muneribus donatum fuiſſe Petrum arbitramini? ego vobis exponam. fundamentum eſſe, nihil ſignificat aliud, niſi eſſe primum. neque vno tantùm primatu, ſed

tribus

tribus ornatus eſt Petrus, quo tempore fundamentum Eccleſiæ conſtitutus eſt: primatu nempe dignitatis, primatu poteſtatis, & primatu fidei. nàm & Papa nunc inter omnes Epiſcopos eſt primus; & tunc fuit Petrus inter omnes Apoſtolos: primus, inquam, dignitate, primus iuriſdictione, & primus fidei confirmatione. præclarè autem tribus hiſce primatibus, tria reſpondent verba Petro, à Chriſto dicta. vt dignitate primum eum ſtatueret; *Paſce oues meas*. vt primum iuriſdictione, *Quodcunque ligaueris*. vt primum fidei confirmatione, vtq; ab eo appellari non poſſet, *Confirma fratres tuos*. quòd ad dignitatem ſpectat, primatus hic maximè inſignis eſt: cum alijs modò hæc, modò illa ouis commendata ſit: vni autem Petro omnis Chriſtianus grex commiſſus, & creditus: quare grauiſſimi viri maximè animaduertendum putant, apud Ioannem. 21. Petro non fuiſſe dictum; *Paſce has, vel illas oues*, ſed ſimpliciter, & vniuersè, *Paſce oues meas*. neque dictum, *Super hanc petram ædificabo hanc, vel illam Eccleſiam*, ſed generaliter *ædificabo Eccleſiam meam*. atque ex hoc primatu pendebat auctoritas illa, qua Petrus, dum viueret, vtebatur, & qua Epiſcopos in tot, tantisq; Orbis regionibus inſtituit; Iacobum Hieroſolymis: Euodium Antiochiæ: Vrbanum Tarſi: Epaphroditum Siſiæ: Figellũ Epheſi: Appellam Smyrnæ: Olympum Philippis: Iaſonem Theſſallonicæ: Silam Corinthi, plurimosq; alios, vt memoriæ, literisq; proditum eſt. nam primatus dignitatis illud denique præſtabat Petro, vt inter omnes Apoſtolos ad eũ totius Orbis cura reſpiceret: pertineretq; non has, vel illas tantùm oues paſcere, ſed Chriſti gregem vniuerſum. *Paſce oues meas*. atque animaduertendum ait Theofilactus, Chriſtum non eodem modo ſemper loqui: ſed nunc dicere, *paſce agnos*, nunc *paſce oues*. *agni enim ſunt, qui introducuntur*; *Oues vero perfecti*; vel *agni* verbum iteratum, populum Hebræum, & gentilẽ ſignificat: verbum verò

oues epiſcopos deſignat. ait enim Leo Papa. *De toto Mundo unus Petrus eligitur, qui et vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctæque Eccleſiæ patribus præponatur: ut quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multiq́; paſtores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit Chriſtus:* quod omne in præſentia primatum dignitatis appellamus: Similiter etiam prima tum iuriſdictionis obtinuit: illum, inquam, quem ei Dominus promiſit ijs verbis. *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo:* cum ijs, quæ ſequuntur. & hoc loco pulcherrima oritur obſeruatio: qua conſideratur, ea propè omnia, quæ Petro communiter cum alijs dicta ſunt, poſtea Petro ſoli, ſeparatim à reliquis, repetita fuiſſe. Exempli cauſſa: cum arguuntur omnes, *Non potuiſtis vna hora vigilare mecum*, Petrus deinde ſolus arguitur; *Simon dormis?* vbi multis promittitur *faciam vos fieri piſcatores hominum*, ſigillatim poſtea Petro fit eadem promiſſio: *Ex hoc eris homines capiens*. ſi omnibus Orbis cura demandatur, *Euntes prædicate*, eadem deinceps ſingulariter Petro delegatur: *Paſce oues meas*. denique (quod ad rem facit) ſi Apoſtolis omnibus dicitur, apud Ioannem cap. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt*. & rurſus apud Matth. cap. 18. *Quæcunque alligaueritis*. Petro diſtinctè, ſeorſumq; idem dicitur apud Matth. 16. *Quodcunque ligaueris*: neque nũc ego tractabo, an primis verbis facta fuerit promiſſio, & ſecundis donum: non item afferam vobis varias expoſitiones grauiſſimorum patrum ad illos tres locos, quos nuper attigi: vnum dicam, ſed in primis notandum, maximeq; obſeruandum: poteſtatem ligandi, atque ſoluendi duplicem in Eccleſia Dei reperiri. vnam ſoluendi à peccatorum vinculis, vti fit in confeſſionibus, ligandiq́; cum non abſoluimus. alterā ligandi cenſuris Eccleſiaſticis, veluti excommunicationibus, & alijs huiuſmodi, ſoluendiq; eos, qui ligati fuerant. inter has autem

Mat 16

tem

tem iuriſdictiones: tres apertiſſimæ differentiæ ſunt. vna eſt; quòd prima iuriſdictio naturaliter, & præcipuè ad abſoluendũ pertinet; & ex accidenti ad ligandum, cum ſecunda præcipue, & naturaliter ad ligandum, ad ſoluendum verò ex accidenti pertineat. Sacerdoti enim in primis conceſſum eſt, vt peccata remittat, licet quandoq; contingat, vt retineat, cum non remittit: iudici verò tributa eſt præcipua auctoritas in primis ligandi cenſuris Eccleſiaſticis: quamuis vbi aliquis ligatus ſit, ſoluẽdi etiam auctoritate vti eum oporteat. altera differentia eſt, ꝙ prima iuriſdictio, ſemper ordini coniuncta eſt: ſecunda nequaquam. quoniam abſoluere à peccatis nemo niſi Sacerdos poteſt: ſed excommunicare, & alia exercere poteſt etiam ipſe laicus, dummodo ei tributa ſit iuriſdictio. denique hoc differunt, quòd auctoritas abſoluendi à peccatis, quæ ordinem ſequitur (quatenus ſequitur ordinem) æque in omnibus Sacerdotibus eſt; cum altera cenſurarum, & pœnarum magis in hoc ſit, quàm in illo; & ampliſſima, tanquam in fonte, & origine, ſit in Papa. quibus differentijs ſic ſe habentibus, vt dixi, attendite nunc, quæſo, quomodo exponantur illi duo loci, immo tres: & quàm clara reddantur omnia. nam apud Ioannem 20. vbi Dominus omnibus Apoſtolis & ſimul etiam Petro dixit, *Quorum remiſeritis peccata*. dico primam auctoritatem tribui: id eſt ligandi, ſoluendiq; à peccatis. apud Matthæum verò 18. vbi item omnibus Apoſtolis, & ipſi Petro dicit. *Quæcunque ligaueritis*, ſecundam donari auctoritatem, nempe cenſurarum, affirmo. quod ea ratione probatur, quoniam continuò eam impertit, poſtquàm dixerat, *Si non audierit Eccleſiam, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*. quam ſecundam Petro ſoli iterat, cum apud Matthæum 16. dicit, *Quodcunque ligaueris*. ſed cur ita? in memoriam tres, de quibus diximus, differentias reuocate, & rem totam cognoſcetis, neque ſatis mirari poteri-

tis.

tis. Diximus, primam differentiam ad ſoluendum, & ad ligandum pertinere: & ecce apud Ioannem 20. ab actu ſoluendi fit initium: *Quorum remiſeritis*. apud Matthæum verò 18. incipitur ab actu ligandi, *Quæcunque alligaueritis*. diximus, primam comitari ordini ſacro, ſecundam non comitari. Et ecce apud Ioannem dicitur prius, *Accipite Spiritum ſanctum*. apud Matthæum verò 18. omittitur. denique diximus, primam æqualiter eſſe in omnibus, ſecundam autem præ cæteris eſſe præcipuè in Papa: & ecce apud Ioannem 20. datur omnibus ſimul, quod item fit apud Matthæum 18. ſed Petro ſoli eadem iteratur apud Matthæum 16. ab actu item ligandi incipiendo, & ſine dono Spiritus ſancti: cum ei dicit Chriſtus, *Quodcunque ligaueris*. quod quidem maximè ad primatum pertinet, quem ſecundo loco poſuimus: id eſt ad probandum fontem omnem, ipſamq; iuriſdictionis originem in Petro fuiſſe collocatam: pariq; ratione non ambigimus, tributum eidem fuiſſe primatum confirmationis fidei ijs verbis, *Confirma fratres tuos*. ſed quoniam de hac fidei confirmatione ſatis abunde ſuperiore diſceptatione diximus, cum de concilij materia tractaremus, huic parti primæ finem faciamus, ſatiſq; habeamus in præſentia declaratum à nobis, oportuiſſe Chriſtum caput Eccleſiæ ſuæ in terris præ cæteris Apoſtolis relinquere: caput illud, Petrum fuiſſe: Petrum ſemper, quod ex ſcripturis conſtat, poteſtatem ſummam exercuiſſe: hanc ei tributam, cum appellatus, & conſtitutus eſt fundamentum Eccleſiæ, ijs verbis, *Super hanc petram*: verbis eiſdem tres primatus accepiſſe, dignitatis, iuriſdictionis, & confirmationis fidei. nunc Petrum relinquamus, & tranſeamus ad Romanum Pontificem, ſed interim parumper reſpiremus.

Mat: 18

K Pars

SATIS quidem mirari non poſſum, rationemue inire, quî fiat, quod tamen fieri plerunq; videmus, auditores, vt quot quot poſt Chriſti, Petriq; tempora Eccleſiæ, Deoq; ipſi inimici extiterunt, bellum indixerint, & arma cōuerterint, linguæ ſcilicet aculeos, & petulantiam in Pont. Romanum. illud certò ſcio, ſi cætera mihi deeſſent argumenta ad probandum ius, & auctoritatem Papæ, id eſſet firmiſſimum, vt intelligerem ex Deo eſſe, quòd quicunque Deo inimici ſunt, hoſtes, & infenſi ſunt Papæ. pudet me quidem referre, immò erubeſco, quoties illa in mentem veniunt nefaria, ſceleſtaq; conuicia, quibus Caluinus Romanum Pontificum conſectatur. ſed quid potuit aliud? cū enim Simon magus fuerit omnium hæreticorum pater, vt affirmant Clemens, Iuſtinus, Tertullianus, Irenæus, & alij plures, cumq; is Petro fuerit crudeliter inimic⁹, filij Simonis magi hæreditario quodam iure Petri ſucceſſoribus non poſſunt non eſſe capitales, & immaniſſimi hoſtes. ex tot probris, quæ Caluinus in Papam ingerit, vnum tantum referre volo; Antichriſtū eum vocat: cùm tamen Hieronymus in hæreticos, eaq; ratione in ipſum Caluinum, hoc vtatur verbo, & eos membra Antichriſti appellet. demens Caluine, quomodo omnibus ſummis Pontificibus congruere vox huiuſmodi poteſt, cum muneris non ſit, ſed perſonæ? nos autem quid ille dicat, non curemus. dum enim in eo totus eſt, vt Papæ maledicat; amens agitur, & præceps, & ſeipſum confundit. at ego ſic argumentor. Paullus ad Theſſalonicenſes dicit, fore, ut Antichriſtus ſedeat in vera Eccleſia Dei: ſed Papa ſedet in Eccleſia Romana; igitur, ſi Papa eſt Antichriſtus, Eccleſia Romana eſt vera Dei Eccleſia, & Caluini ſecta neceſſariò conuenticulum eſt. Et quidem, auditores, non eſt dubitandum, quin conuenticula

ſint hæreticorum ſectæ, & quin Eccleſia Romana vera ſit Eccleſia. Sed Papa non ſolum non eſt Antichriſtus, vt mentitur Caluinus, ſed potius eſt œconomus familiæ, paſtor gregis, fundamentum Eccleſiæ Dei, caput, norma, regula, princeps ſanctæ Eccleſiæ; Petri ſucceſſor, ſummis, & mirificis priuilegijs auctus, & Chriſti Vicarius. Et, vt referam vobis totam Bernardi clauſulam; *Papa eſt magnus Sacerdos: Summus Pontifex: Epiſcoporum princeps, hæres Apoſtolorum: primatu Abel: grauitate Noe: patriarchatu Abraham: ordine Melchiſedech: dignitate Aaron: auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel: poteſtate Petrus: vnctione Chriſtus.* adeo verò connexa eſt Papæ cauſſa cum cauſſa Petri;(vt omittam nunc,quod ſemper affirmare poſſum, ipſius cum cauſa Chriſti) vt maledici Papæ nequeat,quin eodem tempore Petro inferatur iniuria: neque fieri poſſit,vt Papæ primatus adimatur, & ſimul primatu non ſpolietur Petrus. itaque Caluinus fugam meditatur, & viam ſibi parat,qua ſe ſe recipiat: cumq; Papæ nocere maximè cupiat, ne tamen in ſalebras incidat,id ita conatur,vt Petrū non offendat. audite quæſo,quàm aperte referre pedem incipiat. *De Petro concedam fuiſſe illum Apoſtolorum Principem*. ita dicit lib. 4.cap. 6. ſectio. 8. Inſtitutio. atqui paullo antè non tàm humanus, non adeò benignus erat, neque tàm in concedendo liberalis. conatus eſt interim impius oſtendere, Petrum fuiſſe, ſi non minorem, certè æqualem, & nihilo maiorem cæteris Apoſtolis: ſed vbi cognouit tàm magnum, tàmq; impudens mendacium tueri ſe non poſſe; quod vendere non poterat, vltrò largitus eſt: cæpitq; fateri, à Chriſto relictum fuiſſe caput Eccleſiæ; & caput illud fuiſſe Petrum, principem Apoſtolorum. *De Petro concedam fuiſſe Apoſtolorum principem*. quod quidem veriſſimum fuit. ſed cum nos proſequimur, dicimusq; Petri ſucceſſorem etiam hodie primum eſſe Epiſcoporum om-

nium; cùm negat, recalcitrat, & fatuam illam vocem effundit: *Non eſt cauſa, cur ex ſingulari exemplo vniuerſalem faciant regulam*. perinde, ac ſi dicat; verum eſſe, Petrum ſuperiorem alijs fuiſſe, quo tempore caput habebat Eccleſia; ſed non ideò ſequi, vt idem noſtra tempeſtate contingat: immò hodie Epiſcopos omnes ſine delectu, diſcrimineue aliquo præſtantiæ eandem habere poteſtatem. ſed, quęſo te, Caluine, ſedato planè animo loquamur. primatus Eccleſiæ vel eſt honor, vel non eſt. ſi non eſſe dicimus, quæro, cur Petri temporibus primatum habuerit Eccleſia. Si honor eſt, quid deliquit, quid commiſit, vt honore ſtatim mortuo Petro priuaretur? ſi Eccleſia & ante, & poſt Petrum ſemper eadem fuit Eccleſia, quare de Regno translata eſt in Politiam, vel in Ariſtocratiam conuerſa? Si eſt eadem domus, cur ademptus œconomus? ſi idem grex, quare ſublatus paſtor? at (dicis) libertatem volumus Euangelicam. ineptè ſanè. nàm ſi tuo iudicio libertatem habet Eccleſia, cum capite caret; quo ſuo vitio, quaue culpa, dum Petrus vixit, caput habuit, libertatem amiſit, ſerua fuit? libertatem verò dicis Euangelicam? rem certè ridiculam. num libertatem habebit ciuitas, ſi magiſtratu priuetur? nauis, ſi gubernatore careat? ſchola, ſi magiſter adimatur? ædificium, ſi fundamentum deſit? familia, ſi nullus ſit œconomus? regnum, ſi deſeratur à rege? corpus, ſi auferatur caput? homo, ſi mentem non habeat? ò quàm crebrò, quàm libenter vocem pro voce vſurpant hæretici. nunc enim quæ licentia eſt, libertatem appellant. ſed hæc ſeu licentia ſit, ſeu libertas, vt malunt; dico deteriorem eſſe, ſine dubio, quacunque Aegyptiaca, ſiue Babylonica captiuitate. nam, quæſo vos, ò decepti, ſi oues Chriſti vel ſaltem earum ſpecies eadem ſemper manſura erat, quare eundem paſtorem (ſaltem quòd ad auctoritatem pertinet) manere ſemper non oportuit?

ſi Chriſti

ſi Chriſti regnum æternum eſſe debuit, cur temporalis debuit eſſe principatus? præterea ſcimus, in Apoſtolorum collegio à Petro, Apoſtolorum principe, (quod Caluinus etiam fatetur tandem) repræſentatum fuiſſe Papam: & à cæteris Apoſtolis repræſentatos Epiſcopos; ſi, igitur, morientibus Apoſtolis, nõ extincta eſt eorum auctoritas, ſed in ſuccedentibus Epiſcopis viguit, cur moriente Petro decuit interire auctoritatem ipſius, neque in Papam transferri? quòd ſi Eccleſia nunc principem ſummum non habeat, quis non intelligit, incidere nos in eas difficultates, quas in prima parte affirmauimus tàm abſurdas fore, niſi Chriſtus moriens caput Apoſtolis ſuis reliquiſſet? neque enim Eccleſia optimũ gubernationis genus habuiſſet, quod vnius eſt: neq; meritò, apteùe diceretur, *Regnum Cœlorum:* neq; præſtantiores ijs, quos Synagoga acquiſiuit fauores, conſecuta eſſet: neque dedecore caruiſſet, ſi monſtri ſimilis, inuiſibile caput habuiſſet, cum ſit ipſa inuiſibilis. neque enim aliquis extaret, qui poſſet mittere ad prędicandum omni creaturę: denique, vt tunc diximus, ſi in interpretatione loci alicuius, vel in declaratione, an liber aliquis ſcripturæ ſacræ recipiendus eſſet, inter orientales, & occidentales Epiſcopos nunc forte lis orietur, quis petendus, quis adeundus eſſet, qui eam dirimeret? ſi hodie primatum non haberet Eccleſia, atque in Concilio eſſet inter patres aliqua controuerſia, quis de ea ſtatueret, quis iudicaret? ſi cum Petri morte ſummus Pontificatus interiſſet, in primis illis concilijs, in quibus numero quandoque præſtabant Arriani, quibuſnam adhibenda fuiſſet fides? ad ſummam Caluinus dicit, poſt Petrum finem factum eſſe Papatui. ſed æquũ ne eſt, me affirmanti tantum neque teſtimonium, neque ratio nem afferenti credere? id ſolum dicit. (audite) primatus iam deſijt: nam & ſi *vnus inter Apoſtolos ſummus fuit, quia pauci erant numero, ad regendum tamen totum orbem terrarum nemo*

vnus ſufficit. Ego verò primùm Caluino gratias ago, quòd affirmet, eam eſſe veram Eccleſiam, quam regere ſi velimus, regere *totum terrarum orbem* neceſſe ſit: hac enim ratione manifeſtò apparet, ipſius non eſſe veram Eccleſiam, ſed meam: deinde argumentum facilè retorqueo, dicoq́; ; immò, quoniam eo tempore pauci admodum erant, ijq́; Apoſtoli, vel diſcipuli ſumma virtute, perfectioneq́;, quos ſuo ipſius ore plerũq; Chriſtus erudierat, parum oportebat, eos ſub vno capite cogi. id factum eſt tamen: adeò probauit Chriſtus hoc gubernandi genus. quid nunc, cum Eccleſia toto orbe terrarum pateat, vt tu ipſe fateris, quid cenſendum putabis? quanto æquius hiſce temporibus hæc vnitas domini conſtituetur? *vnus Dominus*. age, age Caluine, alios aditus aperi tibi, nouas molire fugas. inficiabaris, Petrum relictum fuiſſe principem Apoſtolorum: tùm animaduertens, quod imbecillum eſt, ſtare diu non poſſe; quę negaueras affirmaſti. item dicebas modò, ſublatum morte Petri primatum omnem, & ego in eaſdem anguſtias te compuli: Eia, per tuam fidem, da etiam hoc ipſum. & paullatim te de fero cicurem, de inhumano manſuetum faciemus. Quę ſequuntur verba Caluini ſunt: eodem loco, quo ſuperiora, ſectio. xj. *Alterum illis largiar, ſic conſtitutum in Petro Eccleſiæ primatum, vt perpetua ſucceſsione ſemper maneat*. iam duo munera conſecuti ſumus. ò beneficium hominem, & liberalem! primò concesſit, poſt Chriſti mortem Petrum relictum fuiſſe Apoſtolorũ caput: nunc volens, & libens concedit etiam, mortuo Petro ſemper manere primatum in Eccleſia, ſemperq́; Epiſcopum aliquem eſſe oportere, maiorem, & ſuperiorē alijs Epiſcopis, quemadmodum Petrus fuit omnibus Apoſtolis. quid, igitur, reliqui eſt? quid negabit Caluinus? quò confugiet? attendite: *Cur non Antiochena Eccleſia primatum ſibi iure vendicat?* id eſt, quamuis negare non poſsim, quin reperiri debeat hic primatus

atque hic Epiſcopus, aliorum Epiſcoporum princeps; Romam tamen tàm male odi, vt pernegem, primatum Epiſcopo Romano tribuendum: magis enim decet tribui Hieroſolymorum Epiſcopo, vbi mortuus eſt Chriſtus: vel, ſi mauultis præferri Petri ſucceſſorem, æquius eſt honore affici Antiochenum Epiſcopum, quoniam Petrus Antiochiæ prius Epiſcopus fuit, quàm Romæ. ò vulpinas fraudes! qui ſunt hi anfractus, quæ circuitiones? quamuis enim, auditores, (quod iam fieri nequit) vel Hieroſolyma, vel Antiochia ſummi Pontificis ſedes ſtatueretur, putatisne, tunc demum fore, vt Caluinus imperio, atq; auctoritati Papæ ſe ſubijceret? non eum amor torquet erga Hieruſalem, neque charitas in Antiochiam; ſed angit odium, & contemptus Romæ. Reperiuntur adhuc in vrbe Roma duo Epiſcopi; quorum alter Hieroſolymitanum titulum habet, alter Antiochenum. quòd ſi Caluinus, cum à Papa defecit, ea ratione impulſus eſt, quoniam alterum alteri præferendum putaret, quare ſe ad hoſce duos Epiſcopos non contulit, vel ad eũ ſaltem, quem eſſe principem Eccleſiæ cenſebat? quòd verò, auditores, Caluinus quærit, cum Chriſtus Hieroſolymis mortuus ſit, quare eo in loco ſummum Sacerdotium non permanſerit; reſpondebit pro me Paullus, qui apertiſſimè dicit. *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt, vt legis translatio fiat.* reſpondebit & Chriſtus; qui Hebræis dixit, *Auferetur à vobis regnum Dei.* idemque cognoſci poterit ex verbo, quod Hebræis prædicatũ eſt. *Vobis oportebat loqui verbum Dei, Sed quia indignos vos redditis, Ecce conuertimur ad gentes.* quis neſcit Deum, vt Iudęorum arrogantiam retunderet, ſuperbasq; illas voces reprimeret, *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini,* voluiſſe & legem, & Sacerdotium, & templum, & ſedem transferre à Iudæa ad gentes? quod cum ita ſit, quid opus eſt percunctari, quare ſedes non permanſerit Hierolymis? immò cum ea collo-

cāda eſſet inter gentes, quid fieri potuit aptius, quàm in illa vrbe ſtatuere, in qua ſedes erat ipſius gentium imperij? eadē ratione, quoniam erat Roma regina gentium, expediri alter nodus facile poteſt, cur Romæ potius, quàm Antiochiæ ſedes poſita ſit: ſed affero vobis firmiora. Marcellus .n. Papa Epiſt. ad Presbiteros Antiochenos dicit. *Et ſi Petri ſedes initio apud Antiochenos fuit; tamē poſtea, iubente Domino, Romā translata eſt.* ideſt Petrū manifeſto Dei iuſſu; (& ita credendū eſt) ſedem Antiochia Romā tranſtuliſſe. quòd ſi Caluinus ſemper ſui ſimilis, ſemper impius, irridet, quæritq; quis hoc patefecerit; reſpondeo ego, quæ Marcellus dixit, eadē ab Anacleto affirmari Epiſt. 3. *Ad omnes Presbiteros, et Epiſcopos*: eadē dici à Hieronymo, *De Viris Illuſtribus* in vita Petri. eadem ſcribi à Damaſo in vita eiuſdem Petri. Si verò pergit Caluinus deridere, & contemnere Marcellos, Anacletos, Hieronymos, Damaſos; porrò decet eum, qui tantos viros deſpicit, à me ita floccifieri, & deludi; vt, cui reſpondeam, indignum putem. attamen non eius cauſſa, ſed veſtri, ò decepti, id vnum dicam; quamuis id ei Deus nō aperuiſſet; iure tamen, & merito, vbi primùm Romana Eccleſia cōſtituta eſt, debuiſſe Petrum ſanctam ſedem ſuam Antiochia Romam transferre. Sed illud in primis ſciri oportet, antiquitus Petrum, & alios Pontifices, dum ciuitatibus honores largiuntur; ac declarant, quęnam ſit potior, atq; alijs præferenda, conſueuiſſe eam habere rationem, quam Reſpublica Romana in imperio ſuo haberet. Exempli cauſſa. Petri temporibus in tota prouincia Syria Proconſulis præcipua ſedes erat Antiochia: Palæſtinæ verò metropolis erat Cęſarea. at Hieroſolymę nihil amplius erant, quàm ſimplex Paleſtinæ ciuitas. quare Petrus; Romanorum ſecutus exemplum, Hieroſolymis, tametſi origine, & vetuſtate nobiliſſimæ ciuitati Epiſcopum tantummodò conſtituit: Cæſareæ, vti metropoli Archiepiſcopum: & Antiochiæ, vbi ſedem habebat

Pro-

Proconſul, conſtituit Patriarcham: atq; hac ratione ciuitatum omniũ maxima, clariſſimaq; eo tempore erat Antiochia. Itaq; Petrus, quem præter vniuerſalem omnium Eccleſiarum gubernationem decebat præterea alicui præcipuæ Eccleſiæ præeſſe, iure illam elegit, quæ tunc toto terrarum orbe præſtantiſſima erat, ſedemq; ſuam Antiochiæ poſuit. quòd ſi paullo poſt Eccleſiam Alexandriæ inſtitui contigiſſet, quemadmodum præfectura Alexandrina Antiochenam dignitate ſuperabat, (nam & præfectura Auguſtalis appellabatur) ita Eccleſia Alexandrina ſine dubio maior fuiſſet, vti etiam nunc eſt, quàm Antiochena; & Petrus Alexandriam Antiochia ſuam ſedem tranſtuliſſet. verum aliter viſum eſt Deo. nam poſt conſtitutam Eccleſiam Antiochiæ, priuſquàm conſtitueretur Alexandriæ, conſtituta eſt Romæ: qua in vrbe ſatis eſt dicere conſtitutam Eccleſiam fuiſſe, ad docendum aliquam digniorem, neq; oriri potuiſſe, neque vnquam poſſe. maximè, igitur, decuit, omniq; rationi conſentaneum fuit, Petrum, relicta Antiochia, ſedem ſuam, & omnium, qui ipſo mortuo in eius locum ſucceſſuri erant, Romæ collocare. atque ita meritò, ſiue manifeſto Dei iuſſu factum id fuerit, ſiue aliter; certè conſtare, translatam ſedem à Petro Romam: eumq; Antiochiæ non amplius ſeptem annis commoratum eſſe; Romæ verò ipſos viginti quinque annos Epiſcopatũ gubernaſſe, ibidemq; mortuum. itaque tribus præcipue de cauſſis appellandus eſt Romanus Epiſcopus, Petri ſucceſſor potius, quàm Antiochenus. prima, quòd diutius Romæ commoratus eſt Petrus, quàm Antiochiæ. altera, quoniam priori tempore Antiochiæ fuit, poſteriori Romæ. tertia, quia non Antiochiæ, ſed Romæ mortuus eſt; & ſedi ſuæ ſigilla quodammodò ſui ſanguinis impreſſit. quæ ſunt, vt videtis, clariſſimæ, firmiſſimæq; rationes. itaq; rurſus angitur Caluinus, æſtuat, torquetur. alia perfugia quærit: amenſq;, & deuius fugiendi ſtudio, non videt,

quàm

quàm lubricum, quàm præcipitem in locum ſe conijciat. noſtis, quid dicat? primùm affirmat, Petrum nunquam Romam acceſſiſſe, nedum ibi eſſe mortuum. deinde, quaſi nouo munere nos donet, concedit Romam veniſſe, & Romæ de vita deceſſiſſe: at nihiloſecius tamen negat, tot annis in ea vrbe Epiſcopatum adminiſtraſſe. Sed quomodò fatuus hic, & miſer mẽdacia tàm aperta poterit defendére? mihi credite, auditores, quæ afferet ineptiſſima, & ridicula videbuntur. ò inania argumenta! attendite quæſo: Paullus Epiſtola, quam ad Romanos ſcribit, nullam de Petro mentionem facit; ergo Petrus Romam nunquam profectus eſt. deſipis ne, & deliras? ſi ſaltem diceres, quo tempore ſcripta eſt Epiſtola, Roma aberat Petrus, ferendus eſſes: nam & ego aſſentior, vt audietis poſtea, ijs viginti quinque annis, quibus Epiſcopatum Romæ tenuit Petrus, ſæpenumero iuſtis de cauſſis & neceſſarijs, eum compulſum fuiſſe ab Vrbe diſcedere: ſed cũ dicat, tunc non aderat, ergo nunquam adfuit; neſcio certè, quo magiſtro tàm præclarum argumentandi, concludendiq; genus didicerit. rurſus hoc argumento vtitur Caluinus. Scribens Roma ad Philippenſes Paullus, conqueritur, ſe deſertum ab omnibus: quod magnum indicium eſt, Petrum non adfuiſſe. ſed concedamus, tunc non fuiſſe Romæ: ergo nunquam fuit? hoc nimis ineptum eſt. quid cum ait, Lucas in Actis non ſcribit, Petrum profectum fuiſſe Romam; igitur nunquam profectus eſt? quid ſtolidum magis, magiſuè ridiculum? eodem enim modo dicam ego, Lucas non dicit; cæleſti gratia frui Paullum, ergo non fruitur. ſed aliud audite. Petrus, vt videri poteſt, Epiſtolam ſcribit Babylone: ergo cum tàm longè abeſſet Roma, fieri non potuit, vt Romam accederet. egregium quidem curſorem Caluinum eſſe oportuit, qui viginti quinque annorum ſpatio Babylone Romam perueniri poſſe deſperaret. Sed, quod plurimum refert, argumentum hoc ſententiæ Caluini ipſius mirum in mo

dum

dum aduerſatur. nàm cum is dicat, Babylone ſcripſit,ergo Romam non venit; reſpondeo ego; Babylone ſcripſit, ergo tunc maximè erat Romæ. vſurpauit enim tùm Babylonis vocem per metaphoram, vt vitia Romanæ Ciuitatis ſignificaret: cumq; Romæ eſſet; dixit, ſe Babylone ſcribere: quod quidem meum inuentum non eſt, ſed expoſitio Hieronymi, Papiæ, & Oecumenij. ſed quid ego tempus fruſtra contero, in recitandis tàm magnis Caluini ineptijs? an Petrus Romæ fuerit,& an ibi mortuus ſit, neque Caluino, neque mihi credi poſtulo. Ecce Dionyſius Corinthius vetuſtiſſimus, ad Romanos ſcribens: *Sed & vos per talem doctrinam, & cohortationem Romanæ, & Corinthiæ Eccleſiæ plantationem à Petro, & Paullo conſitam contemperaſtis: ambo enim & Corinthi apud nos eadem docuerunt, & iſthic in Italia apud vos, cum eadem ſimul promulgaſſent, eodem tempore martyrio ſunt perfuncti*. Ecce Gaius antiquiſſimus ſcriptor, *Ego uerò Apoſtolorum trophæa demonſtrare poſſum: ſi enim in Vaticanum, aut Oſtienſem uiam ire velis, Apoſtolorum, qui Eccleſiam hanc fundarunt, fundamenta inuenis*. Ecce vobis Hieronymus in Catalogo: *Simon Petrus, ſecundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem magum Romam perrexit, ibiq; viginti quinq; annis Cathedram Sacerdotalem tenuit*. Ecce Auguſtinus, de ſede Romana loquens; *Cathedram, in qua Petrus ſedit, & nunc Anaſtaſius ſedet*. Ecce Optatus Mileuitanus: *In ea cathedra, in qua Petro Linus, Lino Clemens*. Ecce Egeſippus, Papias, Clemens Alexandrinus, qui omnes conſentiunt, affirmantq;, à Marco ſcriptum Euangelium, quod Romæ à Petro prædicari audierat. an deeſſe putatis auctores, qui idem teſtantur, præter hos vetuſtiſſimos quos citauimus? quàm bene autem id oſtenditur per ea, quæ geſta ſunt apud Lucam cap. 5.? cum Chriſtus Petro iubet, vt *reducat à terra puſillum*: deinde *ducat in altum*: id eſt, ſuam ponat ſedem haud longius à terra; à pro-

à promiſſa terra, id eſt, Antiochiæ: ibiq; maneat *puſillum*: ideſt, annis ſeptem: poſtea *ducat in altum*; vaſtiſſima maria tranſeat: pergat ad gentium reginam,& ſuper ſeptem colles ſedem ſuam conſtituat. *felix Roma, felix Roma*: quæ fumare adhuc videtur, & calens eſſe Petri ſanguine; ſed clariſſimum eſt Petri,& Paulli corpora Romæ eſſe. igitur vel ij Romæ mortui ſunt; vel quęri oportet,quis,quo tempore, vndeuè illuc ea detulerit. quid dicitis, Caluiniſtæ? negatis ne, horum duorum Apoſtolorum corpora Romæ eſſe? ſi negatis, illud certè negatis,quod totus terrarum orbis affirmat. quodque, vt ait Nicolaus primus ad Michaelem imperatorem, teſtificatur perpetuus ab infinito propè tempore ad Apoſtolorum limina, omnium nationum cõcurſus. præterea,ſi non ſunt Romæ,vbi nam ſunt? eſt ne credibile, horum duorum tantummodò ex tanto Apoſtolorũ,& martyrum numero nullam exſtare memoriam? id ſane veriſimile non eſt, neque vllo modo credendum. igitur Romæ ſunt. Ac quoniam nunquam afferre poteritis,quis illa,& quando illuc aliunde tulerit; ſatis firmum erit argumentum, vt inquit Euſebius lib.2.hiſtor.cap.25. ad probandum,Romæ mortuum eſſe vtrumque Apoſtolum. *Et horum teſtimonium quærere exſtrinſecus,*(verba Euſebij ſunt) *ſuperfluum puto,cum rem geſtam inſignia vſque in hodiernum diem, & ſplendidiſſima eorum monumenta teſtentur*. videte nunc quàm apertum,clarumq; ſit, quod de Petro affirmamus. & audebat miſer Caluinus in dubium reuocare,quæ certa ſunt,&,an Petrus Romæ fuiſſet, diſceptare? ſed iàm paullo mitior eſt: non minas iactat amplius, nõ metum incutit: vel ſaltem largus, & liberalis videri vult concedens enim Petrum,& Romæ commoratum eſſe,& ibi mortẽ obijſſe,tempus contrahit,negatq;, quod Euſebius, & Hieronymus ſcribunt, & alij plures, vigintiquinque annis Romæ Epiſcopum fuiſſe. ſed quamuis id parum mea referret, (ſatis enim

habe-

haberem, probari vltimum Epiſcopatum Petri fuiſſe Romanũ, quò oſtenderem, Romanum Epiſcopum iure & merito oportere conſtitui ſucceſſorem Petri potius, quàm Antiochenum. attamen, ne permittamus homunculum arrogantem tantos ſibi ſpiritus ſumere, vt exæquare ſeſe cœlo audeat, néue à Caluino impunè aſſeri patiamur, mentitum fuiſſe Hieronymũ, & alios; dico, nullum eſſe dubium, quin Petrus ipſis vigintiquinq; annis, immò & amplius menſibus ſex Romæ fuerit Epiſcopus. computari autem ratio facilè poteſt. Et quidem à probatiſſimis auctoribus aſſeritur, à Chriſti morte ad mortem Petri ipſos quadraginta annos effluxiſſe. ſed ego tantùm ad eum numerũ me refero, qui ne à Caluino quidem ipſo negari poteſt: concedoq; fuiſſe triginta ſeptem. tùm dico, Petrum annis quatuor, & paullo amplius peregrinatum eſſe, priuſquàm Anthiochiæ conſiſteret: ſeptem Antiochiæ commoratum, dum eſſet vrbis illius Epiſcopus: non nihil etiam temporis abſumptum, quo itinere Romam profectus eſt. itaque, cum Romam peruenerit anno vndecimo, & ſexto menſe poſt Chriſti mortem; vt conficiatur numerus annorum triginta ſeptem; clariſſimè colligitur, Epiſcopatum Romæ annis vigintiquinque, & ſex menſibus obtinuiſſe. fateor tamen hoc tempore quandoque Roma diſceſſiſſe, (præſertim cum à Claudio Imperatore Hebræi omnes Vrbe pulſi ſunt) & in Aſiam reuertiſſe: ſed quis dicat eum, quãuis abſentem, Epiſcopum non fuiſſe? itaque iam conſentiunt omnia. nàm Hieronymus dicit, Romam veniſſe Petrum ſecũdo Claudij anno: quod quidem veriſſimum eſt. cum enim eò profectus eſſet anno vndecimo, & menſe ſexto poſt Chriſti mortem; tunc planè elapſi erant anni quatuor, & menſes ſex imperij Tiberij Cæſaris: Caij totidem; & agebatur ſecũdus annus, quò Claudius imperabat. quod item ſcribit Paullus ad Galat. anno tertio poſt conuerſionem ſuam, qui eſt quartus poſt Chriſti mor-

mortem, ſe vidiſſe Petrum Hieroſolymis, veriſſimum eſt: accidit enim ijs quatuor annis,& amplius, quibus multa loca peragraſſe Petrum diximus, antequàm Antiochiam perueniret. Scribit etiam Paullus eadem Epiſtola, poſt quatuordecim annos vidiſſe eum Hieroſolymis: id eſt, quatuordecim poſt conuerſionem,qui ſunt quindecim poſt Chriſti mortem; quod pariter veriſſimum eſt. nam ſecundo anno poſtquàm Romam venerat Petrus; (is erat quartus imperij Claudij) cum cæteris Hebræis ex Vrbe eiectus eſt, & tamdiu abfuit, dum eum Paullus, quo tempore dicit, Hieroſolymis videre potuerit. itaque conſtant omnia; & à veritate nihil eſt alienum. Caluini quidē ambages, & nugæ multæ, ſed nihil ad rem: qui ſi rationes alias neſcit depromere,vt probet Petrum tot annos non fuiſſe Romæ Epiſcopum, præter inanes illas,quòd eo tempore interdum alibi viſus ſit, refellendas eas pueris relinquam. Ego enim ad grauiora me conuertens concludo; cum Petrus ſit Apoſtolorum princeps, vt concedit Caluinus; cumq; ſucceſſorem eius primū in Eccleſia locum obtinentem manere ſemper oporteat, quod etiam fatetur Caluinus; ſine vlla dubitatione neceſſariò ſequi, vt ſucceſſor hic ſit Romæ Epiſcopus: Romæ illius, cuius Epiſcopus fuit Petrus, & quo loco martyrium pertulit, poſtquàm Epiſcopatum Antiochiæ tenuerat. Eſt igitur, ò Catholici, Papa noſter fundamentum Eccleſiæ Chriſti: tres illos primatus, nempe dignitatis, iuriſdictionis, & fidei confirmationis obtinens, de quibus dictum à nobis eſt, cum de Petro tractaremus. Et eſt quidem Epiſcopus Romæ, ſed eſt Orbis Pontifex; refer turq; ad duo; ad Vrbem ſcilicet,& ad Orbem. vno par eſt alijs Epiſcopis, in ſua diœceſi: altero omnibus alijs antecellit, riteq; Chriſtiani gregis vniuerſalis paſtor appellari poteſt. quare Pelagius Secundus Ioannem Conſtantinopolitanum ſeueriſſimis verbis caſtigauit, quòd vocari vniuerſalis auderet: quin etiam

acta

acta ipſius reſcidit, aboleuit; quoniam *inconſulto Pontifice Romano* Concilium conuocarat. neque inferior Pelagio in auctoritate retinenda, exercendaq; poteſtate fuit ſucceſſor eius Gregorius, quem nullis precibus exorare potuerunt Mauritius Imperator, & Conſtantia Auguſta, vt eundem Ioannem nomen vniuerſalis ſibi vſurpari pateretur: & meritò quidem. quoniam nemini, niſi Petro, eiusq; ſucceſſori dictum eſt. *Paſce oues meas* vniuersè, & generaliter. Concilium Conſtantinopolitanum, cap. 2. quamuis cæteris Epiſcopis Epiſcopum Conſtantinopolitanum præponat; intelligit tamen Epiſcopos *alicuius vrbis* tantùmodo, *non Orbis*. item Concilium Carraginienſe tertium, & Africanum: illud Siritij tempore, hoc Bonifacij prohibent quidem, *ne primæ ſedis Epiſcopus appelletur princeps Sacerdotum*. ſed verba illa, *primæ ſedis Epiſcopus*, non ſignificant Epiſcopum Romæ, ſed eum, qui ſit primas: quæ dignitas media eſt inter Archiepiſcopatum, & Patriarchatum; & iure: quoniam princeps Sacerdotum ſolus eſt Epiſcopus Romæ. in Concilio verò Nicæno, Canone 6. vbi legitur, oportere Patriarcham Alexandrinũ ſuæ Metropoli præſidere, *Quia Romano idem mos eſt*; mendum eſt librariorum. quoniam, vt apparet in codice vetuſtiſſimo Vaticani, non ſcriptum eſt *Romano*; ſed *Metropolitano*. ſed quamuis etiam ſcriptum eſſet, *Romano*, intelligendum eſt, pro qualitate, & proportione cuiuſque: id eſt, æquum eſſe, Alexandrinum præſidere ſuæ Metropoli, vti Romanum vniuerſo Orbi. quòd, ſi quis dicat, à Gregorio recuſatum fuiſſe titulum, quo vniuerſalis appellaretur, reſpondeo, iure tamen ab eo accipi, retineriq; potuiſſe; cum etiam Concilium Calcedonenſe ſummis Pontificibus illum obtulerit; ſed factum eſſe mirabili quadam viri modeſtia, demiſſioneq;, vt non ſolùm reijceret, ſed etiam illum abiectum, contemptumq; vltro ſibi deligeret; cuius adhuc vſus retinetur, *Seruus Seruorum Dei*. ſumma

ma eſt; Papam eſſe totius Eccleſiæ caput. quæ res primatum dignitatis continet, atque eo nomine ad ipſum, neminemq́; aliũ munus pertinere, quod exercuit, exercet, & exercebit, vt omnibus in Eccleſiijs ſemper Epiſcopos inſtituat. eadem ratione primatum iuriſdictionis tenet: quo primatu conſtat, quot Imperatores,& Reges anathemate damnarit, & imperia, regnaq́; eis abrogarit: & quoties Romanum Imperium nunc è Græcia in Germaniam: nunc è Germania in Gallias; rurſusq́; è Gallijs in Germaniam tranſtulerit. reliquo demum primatu, quod pertinet ad confirmationem fidei, liquido apparet, nullum fuiſſe Concilium, quantumlibet antiquum,ſed ne Calcedonenſe quidem, vel Epheſinum, vel Conſtantinopolitanum, aut Nicænũ, (quæ quatuor Euangelijs comparantur) quod non acceperit, immò etiam non poſtularit ab Epiſcopo Romano confirmationem. Quæ cum ita ſint, auditores, iàm conſtituta, iàm in tuto ſunt omnia. poſui enim fundamentum, vt ita dicam, aduerſus omnes diſceptationes, quæ nobis ſunt hæreticis:cum immò ſententias reperi, lites quaſlibet dirimentes. reperi item iudicem controuerſiarum omnium, quæ in materia fidei præteritis temporibus vmquam ortæ fuerint, vel nunc ſint,vel in poſterum futuræ ſint inter nos, & hęreticos quoſcunque,ac quantumuis duriſſimos, & impudẽtiſſimos. Sex enim ſuperioribus diſceptationibus probaui, veram Eccleſiam eſſe Romanam: eamq́; errare non poſſe, quoties in Concilijs loquitur, à Papa confirmatis, qui eſt Eccleſiæ caput. quare ſi decernendum ſit, qui libri verè ſint canonici; ſiue intelligendi ſynceri ſcripturarum ſenſus, ſiue aperienda veritas omnis diſceptationis, vel ad fidem, vel ad mores pertinentis, iam nouimus, quò nos conuertamus; ad magiſtram nempe veritatis; iàm amplius errare non poſſumus. Sed expeditis armis, tantoq́; belli apparatu ad certamen deſcendendum eſſet: & maximè quidem cuperemus

hoc

hoc potiſſimum loco ea omnia tractare, quæ in contro-
uerſiam vocantur. ſed, quoniam temporis anguſtijs prohibemur; ea capientes, quæ vobis maiorem vtilitatem ſint allatura, materiam de homine tractabimus: Et ſex diſceptationibus inſequentibus, ab eo tempore initium facientes, quo conceptus eſt, per omnes eiuſdem progreſſus, quòad infernalem in locum detrudatur, vel euehatur ad cœlum, videbimus, quibus locis falſa docuerit Caluinus; & ijs armis, quæ parauimus mendacia refellere, & vera tueri ſummis viribus enitemur. Felices abite.

DISCEPTATIONVM FR. FRANCISCI PANIGAROLAE EPISCOPI IN DOGMATA

Pars ſecunda.

DISCEPTATIO SEPTIMA.

Qua oſtenditur, hominem ante baptiſmum teneri peccato Originali, contracto ab Adamo per propagationem. baptiſmo deleri peccatum omne: relinqui autem concupiſcentiam, quæ tamen peccatum non eſt, ſed ad peccatum propenſio. Aduerſus ea, quæ Caluinus dicit lib. 4. Inſtitutio. cap. 15. & lib. 2. cap. pri. Sectio. 2.

QVEMADMODVM ea naturalis philoſophiæ pars cæteris partibus ad tuendam noſtram hanc vitam mortalem præſtantior eſt, magisq́; neceſſaria, qua diſcimus corporis humani conſtitutiones, habitudinesq́; pernoſcere; ſic in diuina philoſophia, id eſt in Theologia, quamuis multa dogmata magnopere proſint, ſi minus ad conſeruandam, at certè ad comparandam immortalem vitam; illa tamen pre cæteris omnibus prorſus neceſſe eſt, probè teneamus, quibus addiſcimus, qua ratione ſtamus, qua concidimus: qua ægrotamus, qua valemus: quibus item cognoſcimus ægritudines, & remedia: demumq́; pœnas, & præmia; culpas, & gratias animarum noſtrarum. naturalium rerum tria eſſe principia, materiam, formam, priuationem: materiam propria carere forma: Elementa quatuor eſſe: in cælo an ſit materia, diuerſa ab Elementorum materia: Elementa re, an virtute maneant in mixto: hæc, & alia huiuſmodi ſcire pulcherrimum eſt. ſed harum rerum ſcientia, vt vitæ noſtræ breuitati occur-

occurramus, vel diuturnitati conſulamus: vtq; valetudinem tueamur, vel morbos depellamus, nulli vſui eſt. atque, ſi quando nonnihil adiumenti adfert, id ita remotum eſt, & exiguum, vt diſcerni vix poſſit. eadem ratione in Theologia complura ſunt dogmata, qualia ſunt de Eſſentiæ vnitate: de Trinitate perſonarum: de filio à patre generato: de Spiritu ſancto à patre, & filio procedente: de Mundo creato: de incarnato Chriſto: de Mariæ virginitate, & ſimilia: quæ omnia quis dubitet eſſe digniſſima, quæ intelligantur? & tamen, dummodò credantur, quamuis non exactè cognita, detrimenti nihil accipitur. quæ verò, vt ita dicam, ad hominem pertinent, veluti, quid ſit peccatum origine contractum; quomodo poſſimus eo liberari; quæ peccata grauia, id eſt mortalia ſint, quæ leuia, id eſt venialia; quo modo gratiam amittamus; quo modo in gratiam redeamus; quid ſit iuſtificatio; qua ratione fiat; quid in ea requiratur à nobis; hæc & eiuſmodi alia, omnes ſcire oportet, quantum quiſque ingenio ſuo conniti poteſt: quæ cum percipimus, facilè nobis viam munimus ad beatitudinem: cum verò ignoramus, in tantis tenebris, tantaq; caligine verſamur; vt penè fieri non poſſit, quin per præcipitia deferamur. quare cũ rerum aliarum cognitio in homine præclara ſemper eſt habita, tum ſui ipſius præclariſſima; vt etiam illud receptum ſit ab omnibus, nempe ab Oraculo dictum, *Noſce te ipſum*. creberrimi verò ſunt auctores, tum prophani, tum ſacri, qui *de homine* tractauerunt: neque iniuria celebratur ille, qui dixit, hominem de externis rebus ſolicitum, neque de ſeipſo cogitantem, ſimilem eſſe aſtrologo illi, qui dum motus, & aſpectus cæleſtium corporum metiretur, vt quæ remota erant, exploraret, non animaduertit, ante pedes iacere vallem, abruptis ripis, in quam miſerrimè decidens, extinctus eſt. cum, igitur, ijs armis, quorum apparatum ſex ſuperioribus diſceptationi-

bus oſtendi vobis, id eſt auctoritatibus quinque, Scripturæ, Eccleſiæ, traditionum, Conciliorum, & Papæ, mihi cum Caluino depugnandum ſit; euoluendaq; integumentis omnibus; & nudanda aliquando ipſius mendacia, quamuis id in quouis fidei noſtræ dogmate facile fieret; temporis tamen exiguitate coactus, in anguſtum me contraho: & reliquis omiſſis, vnã tantummodò partẽ, illam nempe, quæ de homine tractat, ſuſcipio. Ea verò vobis contingent, vt maxime ſpero, quæ de leonibus dicuntur: qui manſuefacti, & arte, humanaq; ſolertia aſſueti, cincti floribus, & margaritis ornati, propè timidi, trementesq; reſticula tenui quòcunque rectori libuerit, perducuntur. at,, ſi quando ad perſpicuum fontẽ peruenerint, in quo, tanquã in ſpeculo, ſeipſos poſſint intueri; iubas, & minacem frontem, & ardentes oculos cernentes, indignantur; eosq; prorſus deliciarum, & ornamentorum tædet, pudetq;: excitati verò, non ſolum flores excutiunt, corollas comminuunt, & monilia frangunt; ſed etiam ſolitis aſſumptis viribus, & virtute priſtina generoſi fugiunt, minitanturq; & à rectore longè recedentes, ſyluas continuò petunt. ita vos, ò decepti, qui me dicentem auditis, quamuis rector veſter Diabolus, ſeu rector Caluinus effrænata ſenſuum libertate, & voluptatum illecebris, quaſi margaritis, & floribus, tantum vobis languorem attulerit; adeò vires omnes animorum veſtrorũ eneruarit, vt exili doctrinæ ipſius funiculo tracti, ipſum adhuc in omni fide ſequamini; certe cum primum hiſce meis diſceptationibus ad perlucidũ Catholicæ doctrinę, & ſcientiæ *de homine* fontem ducemini, & in eo imaginẽ, veſtráq; ſpeciẽ intueri poteritis; non dubito, quin vos maximè veſtri pudeat, ſubitoq; erubeſcatis; quòd viæ veſtræ tàm inquinatum, tàm fœdum ducem hactenus ſecuti ſitis. itaq; margaritas abijcietis: contemnetis enim cupiditates, prauosq; ſenſuum affectus; & generoſæ veſtræ originis non obliti, facilè vos ad priſti-

nam

nam ſeueritatem referentes, à turpi magiſtro abhorrebitis Caluinum expelletis, eijcietis, exterminabitis; celeriq́. gradu ſyluam petentes, reuertemini ad ſanctam illam Eccleſiam, à qua nimia veſtra iactura, nimioq́. dedecore ille vos abduxit, qui núc temeritatis ſuæ, ſcelerisq́. dat pœnas. ſumma eſt, me vobis ſex proximis diſceptationibus demonſtraturum hominis ortum, curſum, occaſum. aperiam enim, quo in ſtatu principio ſit. deinde, dum progreditur paullatim; quouſq; vel ad cœlum, vel ad inferos perueniat, quas ſtatus mutationes faciat; quaque in re Caluiniſtæ nobiſcum ſentiant, vel à nobis diſſentiant. nam videndum erit, quis eſſet hominis ſtatus, cum natus eſt. an eſſet in gratia necne: an culpa, qua tenebatur liberari poſſet: quid per baptiſmum conſecutus ſit: poſt aquam baptiſmi quem ſtatum adeptus ſit: quare innocentiam per baptiſmum quæſitam non retinuerit: quid cauſſæ fuerit, cur in mortale peccatum delapſus ſit: poſt peccatum mortale cuius conditionis fuerit: an remedijs nonnullis ſaluti eiuſdem ſubueniri poſſit: & quibus: & quid libera voluntas proſit: an gratia neceſſaria ſit: vnde oriatur vocatio: cuiuſmodi opera præparent ad iuſtificationem: quid iuſtificet: per iuſtificationem quid remittatur; culpane, & pœna; an tota culpa, ſed non tota pæna: qua ratione, dum viuimus, pœna perſoluatur: morientibus nobis antequàm perſoluta ſit, quomodo poſt mortem ſatisfieri poſſit: an ſit tertius locus, in quo ſatisfiat, antequàm perueniamus ad cœlum. ò materias ſublimes! nunc incipiamus: quæramusq́., quo in ſtatu naſcamur: ſed prius videamus, quis Adami ſtatus fuerit ante, & poſt primum ipſius peccatum. Neque tamen, auditores, mei propoſiti eſt, accuratius, fuſiusq́. de toto innocentiæ ſtatu tractare. res enim nimis altè repetita longiorem etiam orationem poſtularet: ſed quæ maxime hùc pertinere videntur, tria tantùm ſpectantia ad Adamũ afferemus. primum, ipſum,

antequàm peccaret, in Dei gratia fuiſſe: deinde aliquam in ſe repugnantiã non habuiſſe; conſenſiſſe enim & humores in corpore, uiresq;, & facultates in anima. poſtremò promiſſum illi fuiſſe, modò ſe talem præſtaret, qualis erat, tales etiam fore filios, & nepotes, & omnes, qui ab illis naſcerentur. ò pulcherrimum certe, & feliciſſimum hominis ſtatum! in quo an ſolum donùm originalis iuſtitiæ idem efficeret, quod nunc efficit gratia, eumq. Deo charum redderet; an verò præter donum iuſtitiæ donum præterea haberet gratiæ, nunc non quæro. ſed is ſine dubio antequàm peccaret, erat in gratia Dei: qua fiebat vt, ſi eo in ſtatu (non dicam vitam amiſiſſet, non enim amittebatur vita) ſed ad eam metam, terminumq. perueniſſet, quo Deo placuiſſet eum in gratia confirmare; certè translatus eſſet ad intuendam Dei faciem, qua beatitudine nunc fruuntur, qui cœleſtem gloriam adepti ſunt: & præterea motus nullos, nullos tumultus, pugnasúe paſſus eſſet; ſed compoſita, ſedataq. fuiſſent omnia. quod vt facilius percipiatis, auditores, reuocanda vobis eſt in memoriam admirabilis fabricatio hominis: in quo non ſolùm duo ſunt coniuncta, viciſſim tàm contraria, quàm eſt corpus, & anima; ſed etiam in vnoquoque eorum ſunt quaſi partes aduerſæ, &, vti dicam, factiones, quibus perpetuum ali bellum videmus: humores ſcilicet in corpore, motusq. & affectus in anima. in corpore noſtro, vti quatuor elementa ſunt; ignis: aër, aqua, terra; &, vti ſunt qualitates quatuor, frigida, calida, humida, & ſicca; ita quatuor humores inſunt, melancholia, pituita, bilis, & ſanguis: qui ſecum ipſi magnopere pugnant, & alius alium ſemper vincere, & ſuperare contendit. ea ratione fit (quod medici optimè norunt) vt quòad ij inter ſe, pares, & æquales ſunt; valetudine vtamur bona: cum verò inæqualitas oritur, in morbos incidamus: & vbi vnus reliquis fuerit admodum ſuperior, mortem etiam conſequi neceſſe ſit.

idem in anima contingit: in qua præter alias multas, duplex præterea eſt vis, nempe, ſenſus, & ratio: duplex item appetitus, rationis, & ſenſus: & ſemper rationem ſibi ſubijcere ſenſus enititur. quare, dum ratio ſuperior eſt, integri, atque innocentes ſumus: cum verò libido, ſiue ſenſus dominatur; tùm in peccata, & in culpas incidimus. itaque duobus, vt videtis, vexamur bellis; vno in corpore; altero in anima: vno, quod ab humoribus gignitur; altero, quod ab illa duplici vi oritur, de qua diximus. vno, quod ad mortem corpus rapere conatur; altero, quod ſemper animam allicit, ad peccandum. quæ quidem adeò ſunt in omnibus nobis inſita, vt fieri aliunde fidem, nihil neceſſe ſit, cum nemo reperiatur, ita ſiue communi ſenſu, ſiue ratione carens, qui in ſeipſo non experiatur, cum damna, & incommoda, quæ ab humorum inæqualitate naſcuntur; tùm perenne bellum, quod ſemper eſt inter ſenſum, & rationem. immò verò ne Adamus quidem ipſe his malis caruiſſet (ſunt enim humanæ naturæ conditiones) ſi is in *meris naturalibus* creatus eſſet; ideſt, ſi Deus, vt iſtis naturalibus conditionibus occurreret, dum ipſum creat, gratuitum donum illi continuò non infudiſſet, quod nos originalem iuſtitiam appellamus. atque donum hoc fuit veriſſimè donum pacis; componens in Adamo lites omnes. pertuliſſet enim in ſeipſo, non munitus eo præſidio, pugnas, & humorum in corpore, & multiplicis potentiæ in anima: ſed munere tam præſtanti donatus, antequàm peccaret, omnibus humoribus inter ſe æqualibus, abſque vllo certamine vtebatur; & cuncti ſenſus ipſius rationi ſine repugnantia parebant. itaque nec propter humores mortem vnquam obijſſet, ſed immortalis fuiſſet; nec propter illecebras, & incitamenta ſenſuum aliquando peccaſſet, ſed integrum ſemper ſe, & innocentem præſtitiſſet. iam igitur duo vidimus eorum, quæ de Adamo dicebamus: vnum, in primo illo ſtatu amicum fuiſſe Dei, ac ſi contigiſſet,

tigiſſet, vt transferretur, ad intuendum ipſum Deum euectus eſſet. alterum, eo munere donatum fuiſſe, quo duo bella naturalia ſedabantur; humorum in corpore, & potentiæ multiplicis in anima; ſic, vt ſi in pomi præcepto lapſus non eſſet, immortalis, & innocens permanere potuiſſet. ſequitur tertium, promiſſum ipſi à Deo fuiſſe (modo non peccaret) fore, vt omnes eius filij naturales eiſdem donis præditi naſcerentur. itaque, ſi is peccatum non commiſiſſet, quilibet noſtrum, qui ſecundum naturam ab eo producti ſumus, adeò in gratia Dei natus, donoq; iuſtitiæ munitus foret; vt neque morbis laborare, neque mori, neque ab intimis ſenſibus ad peccandum impelli, alliciuè permitteretur. ſed promiſſis additæ periculi denuntiationes, & minæ: ſi neglexiſſet, & præcepto non paruiſſet, gratiam, & originalem iuſtitiam amiſſurum; non ſolùm quam accepiſſet ipſe, ſed etiam quæ poſteris eius promiſſa eſſet. itaque, quot quot ab eo ſecundum naturam orirentur, vel procrearentur, fore, vt nati & concepti eſſent in ira Dei, & ſine iuſtitiæ dono, atque iccirco hinc morti, & morbis obnoxij: illinc verò ſtimulis quibuſdam intimis, atque viuaci, & nunquam deſinente fomite ad peccandum incitati. quibus quidem malis an Deus ſummo priuilegio Mariam Virginem exemerit, nec ne; nõ eſt hic quærendi locus. ſed in ſumma hic erat Adami ſtatus; priusquã peccaret, erat in gratia Dei: & dono auctus, quod ea ſedaſſet ſopiſſetq́. quæ rationi repugnatura erant, & ei Deus promiſerat (ſi non peccaſſet) in eadem amicitia Dei, & cum eodem dono naſcituros filios ipſius, & poſteros omnes, quot quot ſecundũ naturam procrearentur. poſtulare videretur occaſio, vt longius progrederer, oſtenderemq;, quem in ſtatum Adamus, poſtquã peccauit, peruenerit; vt poſtea docere etiam poſſem, quo in ſtatu poſt ipſius peccatum ſimus nos, cum naſcimur. ſed prius exemplum vobis affero; cui hærere me oportebit ſex hiſce di-

ſpu-

ſputationibus; vt in eis non ſolum omnem *de homine* doctrinā comprehendatis, ſed etiam vt eo exemploquaſi depicta imago quædā ſe ſe vobis offerat,per quam & facilius,quæ ſum dicturus percipiatis,& diutius memoria teneatis. Proponite vobis,igitur, auditores, ob oculos,rapidiſſimū flumen, quod omni vi ſua feratur,& rapiat quæcūque in ipſo ſunt,ad rupes duas, vndiq; præruptas, & maximè præcipites. ſtatuite præterea in eo flumine poſitum à domino fluminis,ornatum,inſtructumq; nauigium, & in eo gubernatorē;& in imo nauigio plurimos trāſitus cauſſa, cum viros tum fæminas, paullatim in ſuperiorem partem aſcēdentes. Fingite etiam dominum fluminis, quo tempore nauem deduxit, ne illa aquarum impetu ad rupes impelleretur,firmiſſimum aggerem tranſuerſum extruxiſſe; eumq; flumini ita obieciſſe, vt aqua illa, quæ ſua vi ferebatur præceps, nunc propter oppoſitum aggerem prorſus immobilis ſit; & naui, quam ſine dubio violentus amnis perdidiſſet, iam nullum periculum immineat, ſed tuta ſine labore nautarum conſiſtat. poſtremò illud addite, dominum fluminis, cum rectore nauigij pepigiſſe, pollicitumq; (ſi non peccauerit) ſe beneuolum adeò,& amicum ei ſemper fore, vt etiam aggerem illum ſemper tueatur, & firmum conſeruet: neque ſoli ipſi, hæc duo beneficentiæ ſuæ dona largiturum, ſed etiam omnibus ijs, qui nauigandi cauſſa ſuperiorem partem nauigij ſcandent: in amicorum enim numero ſingulos habiturum, moleq;, & munitione aggeris ſemper amnem tranquillum fore. contra verò,ſi peccarit,continuò apertas inimicitias indicturum; ſublataq; mole fluminis impetum non amplius cohibiturum: neque id ſolum facturum, ſed etiam quot quot tranſituri nauigarint,pro hoſtibus habiturum: qui etiam & deſtructum aggerem, & aquas, ad præcipitia rapientes, inueniant. Et ecce vobis tanquàm in tabula depictum, quod paullo ante dicebam de Adami ſtatu, priuſquàm peccaret.

ret. ſi enim diceris, flumen eſſe naturam humanam, & fluminis dominum Deum eſſe, & nauclerum Adamum, & qui in ima nauis parte ſunt, eſſe filios, & nepotes, & poſteros ipſius ſecundùm naturam; &, cum ſuperiora conſcendunt, eos naſci; & fluminis rapiditatem eſſe humorum incitamenta, vel multiplicem humanæ naturæ vim; & rupes duas eſſe mortem, & peccatum; & molem flumini obiectam feliciſſimum eſſe originalis iuſtitiæ donum; tunc ſpeciem eorum, quæ propoſui, perſpicere ſtatim poteritis. Si dominus nauem ſine vllo præſidio flumini commiſiſſet; eam aquæ vis ad rupes impuliſſet; id eſt, ſi Deus Adamum in *meris naturalibus* creaſſet, is duas propenſiones habuiſſet; vnam ad peccatum, ad mortem alteram: ſed molem oppoſuit, cum in ipſius creatione donum illi originalis iuſtitiæ largitus eſt. moles amnem natura rapidiſſimum coërcuit, & repreſſit: originalis iuſtitia, bella ſuſtulit, quæ ab humoribus, & à multiplici naturæ vi mouebantur. gubernator nauis euitare rupes facile potuit: & facile Adamus potuit in immortalitate, & innocentia permanere. immò omnes, qui ſuperiorem nauigij partem ſcandiſſent, Deum propitium, & amicum habuiſſent, & molem in flumine inueniſſent; id eſt filij omnes, nepoteſq; & poſteri Adami ſecundũ naturam nati fuiſſent in gratia Dei, & originalis iuſtitiæ dono muniti. Sed, peccante rectore nauis, comminatus erat dominus, ſe ſe eius amicitiam dimiſſurum, molemq; fluminis, non ipſi ſolùm, ſed omnibus, qui trãſituri eſſent, adempturum: ideſt, peccante Adamo, minatus eſt dominus, ſe non modò ipſi gratiam, & iuſtitiam originalem erepturum, verùm etiam quot ab eo producerentur, tot ſibi inimicos, tot hoſtes orituros, bellaq; eoſdem tàm grauia laturos & cupiditatum, & ægritudinum; vt ſemper & raperentur ad mortem, & ad peccandum ſtimularentur. atque hic erat Adami ſtatus, quem deſcripſi, priuſquàm in peccatum laberetur.

ſed

ſed infelix peccauit,vt noſtis. & eo peccauit grauius, quòd nihil habebat interius,quo ad peccandum incitaretur. iuſtiorẽ enim excuſationem habent milites arcis illius, quæ capitur, ſi non ſolùm oppugnantur ab externis hoſtibus, ſed etiam à domeſticis produntur; quàm ij,qui leui oppugnatione perterriti, continuò ſe ſe hoſtibus dedunt, & vltrò portas aperiunt. Ego ò Adame, ſi pecco, in primis re,foris obiecta ſenſibus, ad peccandũ alliciot: & Diabolus,& occaſiones, & exempla, & fortaſſe ſuaſores nonnulli, & ſexcenta alia externa ſtimulos adhibent. præterea appetitu proprio interius vrgeor, & ſenſus ipſe ad me incitandum conſpirat. te verò Diabolus quidem, & mulier, & pomum extrinſecus inuitarunt; ſed interius, cum vis animæ multiplex te non oppugnaret, ſedata, & compoſita erant omnia: ſenſus nihil incitabat, nihil mouebat appetitus,& continuò victus es tamen. quamobrem,auditores,quas Deus minatus fuerat pœnas, meritò pertulit. nam continuò Dei gratiam amiſit: & ſtatim ei iuſtitiæ originalis vtiliſſimum donum ereptum eſt: & ſubitò factus eſt certiſſimus, quos ſecundum naturam produxiſſet (ſecundum naturam dixi, vt Chriſtum eximerem, qui de Spiritu ſancto natus eſt) omnes orituros & Deo inimicos, & perenni pugna vexandos; quam pugnam ederet cum multiplex animæ vis,tum humores; quæ ſunt mala tria, bonis tribus oppoſita, quibus feliciter,dum eſſet innocẽs,fruebatur. itaque, priuſquàm peccaret, quoniam in gratia Dei erat, ſi hinc translatus eſſet, ad clarum Dei conſpectum perueniſſet: at continuo poſtquàm peccauit, cum è Dei gratia excidiſſet, ſi contigiſſet, vt in eo ſtatu è vita diſcederet, neque pœnituiſſet prius; nunquam Deum videre potuiſſet. atque, vti prius, manente in eo pace,quæ ex gratuito dono iuſtitiæ originalis oriebatur, nunquam vel humorũ repugnantiam, vel appetitus vim perpeſſus eſſet, ita continuò poſt peccatum experiri incipiens impetus humorum, & ſenſuũ

cer-

certamina,ſenſit ſe & morti obnoxium,& ad mala propenſum. denique, vti prius ſperabat, ſe viſurum ea, quæ diximus bona in proprijs filijs propagari, ita ſtatim, poſtquàm in culpam lapſus eſt,ipſemet nonnullos naſci ſibi filios vidit, Deo infenſos, ſubiectosq; ſenſibus: immò nihil dubij eſſe cognouit,quin omnes poſteri, eiſdem conditionibus naſcerentur. quid amplius? commiſſa culpa, relictus eſt gubernator in naui, infeſto, atque inimico fluminis domino, ſublatoq; aggere, & mole, quibus repreſſa aquarum violentia,flumen antea tutum,tranquillumq; reddebatur. ſed de Adamo ſatis. nunc ad noſipſos ſermonem conuertamus,& ea, quæ principio noſtri conſilij, primiq; propoſiti fuerunt, tandem exponamus. quæramus igitur, quo in ſtatu ſimus nos,cum in hanc lucem edimur. ſed,heu, moeſtam admodum, luctuoſamq; materiam habemus: nimiſq; triſte eſt memoria repetere,quàm ſtatus noſter ab Adami ſtatu differat. neque ego minima quęcunque huc allaturus ſum,ne dolorem veſtrum, & meum adaugeam. quòd enim ipſe initium ſumpſerit ab innocentia, nos à peccato; quòd ipſe Dei manu formatus ſit, nos ab hominibus, per ſordidam voluptatem geniti; quòd ipſe in amœniſſimis hortis locatus, nos in inculto loco,& horrido; ipſe in paradiſo terreſtri, nos in hoc Mundo, maxime immundo; hæc, & multa alia prudens omitto. Sed hæc vna diſſimilitudo me nimis torquet, angitq;, quòd ipſe abſq; culpa, & pœna creatus eſt; nos autem infelices, cum naſcimur, in ipſo ortu culpam habemus, & pœnam. quare,quòd ad pœnam ſpectat (ò nos miſeros!) morti ſubiecti ſumus; & malæ propenſioni, cum primum ad ætatem peruenerimus, qua ſapere,& intelligere incipiamus. quòd verò pertinet ad culpam; quis non videt, hanc eſſe duram nimis, calamitoſamq; conditionem? vt peccemus antequàm naſcamur? peccatores ſimus prius,quàm homines: ante offenderimus Deum,quàm à

Deo

Deo producti ſimus: cælo exulemus, antequàm Mundum norimus: prius amiſerimus gratiam, quàm acquiramus lucem: antequàm intelligamus, quid pœna ſit, aut culpa, iam culpam commiſerimus, iam pena affecti ſimus? Duo tamen, quæ paullo videntur obſcuriora, diſcutienda ſunt. primum eſt, cum prælia, & pugnæ, quæ ab humoribus fiunt, & vis multiplex animæ, ſint naturales conditiones, vti dicebamus, quare appellantur pœna? alterum, ſi peccatum nullum eſt, niſi voluntarium, qua ratione peccauit, culpamuè contraxit infans ille, qui adhuc voluntate vti non potuit? ſed dicimus, multa eſſe mala, quæ pœnæ dici non poſſunt, ſi quid adſit, quod impediat; ſublato verò ob delictum aliquod impedimento, continuò pœnæ naturam ſuſcipere. exempli cauſſa. aliquis ex egenis parentibus natus eſt inops: in eo certè paupertas pœnæ rationem non habebit, quoniam non propter maleficium ſuum inopia premitur. ſed fingite, eundem, quòd grandi aliquo munere donatus ſit, ex paupere diuitem factum: deinde, ob facinus perpetratum erepto munere, in paupertatem recidiſſe: certè hæc paupertas eadem eſt, qua laborabat prius: ſed tunc pęna non erat, nunc verò pena eſt; quoniam prius nihil comiſerat, quare egeret; nunc ob crimen ſuum ad egeſtatem redit. pari ratione, ſi Adamus in *meris naturalibus* creatus fuiſſet, duo illa prælia pertuliſſet, non pœnarum nomine, quia non peccarat; ſed cum pręlia ſublata fuiſſent iuſtitiæ dono: amiſſo deinde ob ſuum delictum dono, rurſus prælia redierunt: atque illa, quę prius fuiſſent naturæ conditiones, nunc in pœnas peccati conuerſa ſunt: neque in ipſo ſolo, ſed etiam in omnibus nobis pœnæ peccati ſunt. Mariam virginem, ò docti, ſemper excipio: ſi enim liberam eam, & ab omni peccato alienam etiam originali ſtatuere volumus; neceſſe eſt, dicamus, in ipſa mortem appellari potuiſſe naturæ conditionem, ſed non culpæ, vel peccati pœnam. Et

hoc,

hoc, quòd ad penam pertinet. quòd verò ad culpam, cum dubitetur, qua ratione peccare infans potuerit, qui voluntatis vſum non habeat; paucis affirmo, actu peccare eum non potuiſſe, eiuſmodi enim peccatum non eſt, niſi ſit voluntarium; ſed originali tamen peccato non carere. Simillima porrò ratione, qua rex, ſi domeſticorum aliquis in crimen læſæ maieſtatis incidat, eum, & poſteros omnes ab omnibus ſuis finibus exulare iubeat, ſemperq; à ſua gratia alienos fore decernat; quicunque naſcuntur, à gratia regis auerſi naſcuntur, ſimulq; exilij pœnam ferūt. quod quidem accidit non peccato proprio, neque quod illi commiſerint; ſed originali, & alieno. itaque iàm perſpicuum eſt, quo in ſtatu naſcamur. clariſſimum eſt item, quemlibet noſtrū in pœna naſci: id eſt morti obnoxium, & concupiſcentiæ, quæ ad peccatum allicit: omneſq: naſci in peccato originali, & iccirco abſq; gratia domini fluminis, & inimicos Deo. an autem naſcamur omnes in peccato originali, quid Caluinus ſentit, quid affirmant ſectatores eius? in re tàm manifeſta, atque in tanta luce poſita, neque ipſe, neque ſectatorum aliquis veritati ſcripturarum ſacrarum palàm audet aduerſari: ſed artificium hominis, calliditatemq; cognoſcite, quæ etiam in ſcriptis ipſius manifeſtè deprehenditur. nullas vnquam occaſiones amittit negandi Catholicas concluſiones, dum id, quod agit, ſperet viſum iri probabile: ſed vbi ſceleſtæ nimis impudentiæ foret, ſi eas negaret; vt ſaltem aliqua ex parte fidem eis abroget, dicit, nos ad eas probandas inanes rationes, &, qui aliò pertineant, locos afferre. Exempli cauſſa. negare Caluinus ſanctiſſimam Trinitatem non poteſt: ſed verba illa Geneſis, *Creauit Dij*, quibus vtimur nos, dicit nihil prorſus ad rem facere. negare non poteſt filij diuinitatem, ſed ijs verbis, quæ nos probamus, *Deum de Deo, lumen de lumine*, ait Battologiam ineſſe. Sic etiam (quòd huc pertinet) peccatum originale negare non poteſt: ſed tamen, vt

vobis

vobis aliquo modo noceat, duo teſtimonia, quibus nos maximè nitimur, aliò detorquere, eaq; eſſe inepta oſtendere conatur: Ioannis 3. & Paulli ad Roman. apud Ioannem enim Chriſtus dicit Nicodemo: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt.* at Caluinus lib. 2. Inſtitutio. cap. 3. aliter locum exponit: neque videt, actum hîc cum Nicodemo, quomodo quis per baptiſmũ renaſcatur: itaque nõ poſſe illa verba, *Quod natũ eſt ex carne, caro eſt,* alium ſenſum habere, niſi vt per ea exprimatur cauſa originalis peccati: & intelligatur *Caro* pro peccatore, ſicut etiam dicitur, *Caro, & ſanguis regnum Dei non poßidebunt*. doceatq; Chriſtus, quare neceſſarium ſit renaſci per innocentiam, quia ſcilicet naſcimur omnes in peccato originali propter peccatum primi parentis, quia deniq; *Quod natum eſt ex carne, caro eſt.* neque ab hoc ſenſu diſſentit ipſa gloſſa ordinaria. cum enim exponit, quid ſit naſci ex carne; inquit, ideſt ex primo homine per carnis ſucceſſionem. ſed impudentius etiam inſidiatur Caluinus verbis perſpicuis Epiſtolæ ad Roman. *In quo omnes peccauerunt.* dum interdum exponit, nos omnes in Adamo peccaſſe, id eſt omnes peccando Adamum imitari. Et quidem bono magiſtro vſus eſt: didicit enim ab Eraſmo illo, qui *ponens oua*, vt ſolet, in adnotationibus ad Paullum, eo loco dicit, *Omnes peccauerũt in Adam,* id eſt, *Omnes peccando ipſum imitati ſunt.* verùm gloſſa ordinaria non ſic exponit, ſed dicit: *Qui non ſua propria voluntate peccauerunt, ſicut Adam, ſed originali tenebantur, vt pueri*. neq; ita intelligit Auguſtinus; ſed ait: *Non ſolùm eius exemplo peccauerunt*. & paullo poſt, *Omnes vnus homo fuerunt*. nec Ambroſius hoc modo exponit, ſed dicit: *Manifeſtum eſt, omnes in Adam peccaſſe, quaſi in maſſa: ipſe enim per peccatum corruptus, quos genuit, omnes nati ſunt ſub peccato*. non item Chryſoſtomus, qui dicit, *In quo omnes peccauerunt* ob cibum ligni: *ij etiam qui de ligno non comederunt*. neque Anſelmus eo modo interpretatur

tur, ſed ait; *In quo omnes peccauerunt, quia quando ipſe peccauit, omnes in eo erant, & tota humani generis maſſa in illo eſt infecta peccati veneno*. Præterea legitur Regum lib. 3. cap. 8. *Non eſt homo, qui non peccet*. & Eccleſiaſt. 4. *Graue iugum ſuper filios Adã, à die exitus de ventre matris eorum*. & pſal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*. denique verba Paulli, *Per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti ſunt multi*: & alij ſexcenti ſcripturæ loci apertiſſimè oſtendunt, nos omnes peccatores naſci. & Concilium Tridentinum, quod eſt verbum Dei, vti iam probauimus, clarius affirmare nõ poteſt. Seſſio. v. cum dicit: *Si quis Adæ præuaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini aſſerit nocuiſſe, acceptam à Deo ſanctitatẽ, & iuſtitiam, quam perdidit ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, anathema ſit; cum contradicat Apoſtolo dicenti, per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit*. quare, ò Caluine, non ſolùm concluſio veriſſima eſt, ſed etiam teſtimonia, quibus eam tuemur, firmiſſima. quamuis earum diſputationem in præſentia omittentes, & ad rem redeuntes, ſatis habeamus affirmare ea rurſus, quæ tu ipſe negare non audes: id eſt, vbi ex ima in ſuperiorem nauigij partem aſcendimus, reperire nos fluuij dominum nobis inimicum, & ſublatum aggerem: & cum vobis, ò parentes, infans naſcitur, dubitandum non eſt, quin iam culpa teneatur; & peccator, & auerſus à gratia, & denique inimicus Deo naſcatur. Sed ò ſummam conſolationem noſtram, & admirabilem Dei miſericordiam! nihil etiam vobis contra dubitandum eſt, quin pateat via, per quam ijdem, & redire in gratiam Dei, & recipi in eius amicitiã poſſint. quo loco, ò decepti, me maximè veſtri miſeret, quòd nos moleſti vobis, & odioſi ſimus: nam talia de nobis retulerunt

aduer-

aduerſarij noſtri, quæ ſi vera putatis; non magnum eſt, quòd de nobis peſſimè ſentiatis: ſed illud potius mirum, quòd nos viuere ad hunc vſque diem paſſi ſitis. o rem odioſam nimis, & horribilem! affirmarunt, nos, cum infantes noſtros à peccato purgamus, ſpes noſtras non in meritis Chriſti, neque in eius pretioſiſſimo ſanguine collocare. quod ſi verum eſt, non ſolùm iure, & merito vobis odio ſumus, ſed etiam nos fatemur dignos, quos terra dehiſcens abſorbeat, mare iratum obruat, peſtilens aër inficiat, ignes, flammæ, fulgura, emiſſa è cælo, perimant, perdant, abſumant. quod enim ſcelus eſſe maius, aut grauius poteſt, quàm omnem ſpem in Chriſti ſanguine repoſitam non habere? quæ maior impietas dici, aut excogitari poteſt, quàm credere, vt falsò nos inſimulant, baptiſmi aquam, non Chriſti ſanguinem, filios noſtros abluere? Ecce vobis noſtra doctrina ex Concilio Tridentino; *Si quis Adæ peccatum, quod origine vnum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſum, omnibus ineſt, vnicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium tolli aſſerit, quàm per meritum vnius mediatoris D. N. Ieſu Chriſti, qui nos Deo reconciliauit in ſanguine ſuo; anathema ſit. quia non eſt aliud nomen ſub cælo, datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Et dicebant iſti, ſperare nos filios noſtros ab originali peccato liberari aliter poſſe, quàm per ſanguinem Chriſti? ſed ab inſtituto ſuo non recedunt, cum falſis criminibus nos accuſant. noſtra verò ſpes eſt, purgari à peccato filios noſtros ſanguine quidem Chriſti, ſed per baptiſmum applicato. quare quòd ad primam quæſtionem attinet, quo in ſtatu naſcantur filij; conſtat, in ira Dei, & ſine originali iuſtitia naſci, vt tamen à peccato liberari poſſint, ſi Chriſti ſanguis per baptiſmum applicetur. baptiſmus autem quid operetur in nobis, & quem ſtatum aſſequan-

tur infantes, ſimulac baptiſmum acceperint, pertinet ad partem diſceptationis alteram. quieſcamus.

PARS ALTERA.

PVTO, auditores, non excidiſſe vobis, quæ ſuperioribus diebus dicebam, cum Euangelium de Probatica piſcina prædicarem: eoq́; minus nunc mihi laborandum exiſtimo, vt ea refellam, quibus Caluinus nos iniuſtè criminatur. videtis enim clariſſimè, nos planè confidere ſolis meritis, & ſoli Chriſti ſanguini, neque tamen id prohibere, quominus prædicemus, ab originali peccato aquam baptiſmi abluere, & emundare. nam caput eſt, morbum omnem ſanari, omnem ægritudinem depelli Chriſti ſanguine: ſed morbo cuique propria eſſe remedia, per quæ Chriſti ſanguis applicetur: infantibus autem per baptiſmum applicari. duo maxime de Chriſti ſanguine tũc propoſui, quæ nunc repetenda cenſeo. vnum, fieri nullo modo poſſe, vt morbus aliquis animæ noſtræ ſine ſanguine Chriſti ſanetur vnquam, quoniam Paullus dicit, *Sine ſanguine non fit remiſſio:* alterum, ſolo Chriſti ſanguine in primis, & præcipuè omnes ſanari morbos: quoniam figura ipſius eſt piſcina illa; quam *quicunque ingrediebatur, ſanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.* ſed his addo tertium; quod eſt quaſi clauis controuerſiarum omnium, quæ inter nos, & hæreticos ſunt; id eſt, ſanguinem hunc, niſi applicetur, nõ prodeſſe: effuſumq́; à Chriſto quidem ſufficienter pro omnibus, ſed eis tantũ efficaciter prodeſſe, qui illum ſibi adhibent. nam, vt liberè loquamur, quæ vera ſunt, *Chriſtus mortuus eſt pro peccatis* quidem, ſed *nobis relinquens exẽplum, vt ſequamur veſtigia eius*. quòd ſi merita Chriſti omnibus æquè prodeſſent, neque curandum eſſet, vt vnuſquiſque ea ſibi pro viribus applicaret; homo homini quid præſtaret? inter

ter hunc, & illum quid intereſſet? omnes ſalui eſſemus: omnibus licitum eſſet quodcunque libuiſſet: opera inania eſſent, & ſuperuacanea; clauderentur infernales portæ: denique fatua illa libertas iſtorum Euangelicorum rediret, qua permittitur, vt vnuſquiſque deteriori parti ſemper adhæreat, & feratur præceps. ſed longè aliter ſe res habet. nàm ſicut in arbore infelicis pomi (quod perinde eſt, ac ſi dicamus in mortis arbore) tot è ramis pendebant fructus, vt vniuerſus Mundus, & mille alij perimi prorſus, & interfici poſſent; & tamen ne Adamum quidem occidiſſent, niſi is manum extendens, ex eis accepiſſet; ſic in vitæ arbore, quæ Crux eſt, tot, tantiq; ſunt fructus meritorum Chriſti, tot, tantæq; guttæ precioſi ſanguinis, vt Mundo huic, & mille alijs vitam dare, & infinitas culpas innumerabilium hominum delere poſſent; & tamen ne vni quidem homini proderunt, niſi is, qua ratione ipſe Chriſtus inſtituit, eas ſibi adiungere, & applicare ſtudeat: diuerſis quidem modis, vti variæ neceſſitates ipſius poſtulare videantur. medicamentum compoſuit medicus; ſed niſi vtaris eo, tibi nequaquam prodeſt. Probatica piſcina ſanguinis huius figura eſt: quæ quamuis ſanaret omnes, tamen aderant nonnulli, qui iam annis triginta octo morbo laborabant, neque adhuc conualuerant; quoniam nondum ingreſſi piſcinam fuerant, nec aquas illas ſibi adhibuerant. qua in re aliud item dicebam, cum Euangelium illud explicarem; ſcilicet, non ſolum à Chriſto præparatum fuiſſe proprium ſanguinem ad nos ſanandos, ſed etiam multa diuerſi generis vaſa compoſita, & inſtituta fuiſſe, quibus ſanguinem nobis applicaremus: vel, ſi in metaphora Probaticæ piſcinæ perſiſtere malimus, extructos pontes multos, per quos aquas intremus. Quinque dicebam hominum ſtatus eſſe, nec plures; quibus opus eſt Chriſti ſanguine: eorum, qui peccato originali tenentur: qui mortali: qui ve-

niali tantùm: qui, remiſſa culpa, pœnæ in hoc mundo ſatisfacere cupiunt: qui poſt remiſſam culpam, ante mortui ſunt, quàm pœnæ ſatisfacerent. quare dicebam item, quinque porticus piſcinam habuiſſe, ijs quinque morbis haud diſſimiles: & quinque pariter pontes dominum porticibus adieciſſe: primæ baptiſmum: alteri, pœnitentiam: tertiæ, opera, indulgentias, ſacramentalia: quartæ, opera pœnalia, & indulgentias: poſtremæ, Purgatorium, ſuffragia, & indulgentias. itaque, qui erant in porticu prima, ideſt homines in peccato originali, aliter non ſanabantur, quàm per Chriſti ſanguinem: ſed baptiſmi ponte in aquam deſcendentes. qui in ſecunda, peccatores erant in mortalia delapſi, qui aliter leuari morbo non poterant, niſi per piſcinam ſanguinis Chriſti: dummodò ad eam pœnitentiæ ponte peruenirent. tertiæ porticus ægroti erant ij, qui venialia peccata commiſerant: neque ij alio modo ſalutem conſequebantur, quàm per piſcinam ſanguinis Chriſti, ſed eam intrantes ponte operum, indulgentiarum, ſacramentalium, & huiuſmodi. qui in quarta porticu iacebant, ij erant, qui, remiſſa culpa, pœnam temporalem debebant in hac vita; neque alia via valetudinem recipere poterant, niſi per piſcinam ſanguinis Chriſti, ſed ad eam peruenientes ponte operum pœnalium, & indulgentiarum. in quinta verò porticu manentes, id eſt mortui ſine culpa, ſed nondum perſoluta pœna, alia ratione ſalui fieri non poterant, niſi per piſcinam ſanguinis Chriſti; ſed eam contingentes Purgatorij, indulgentiarum, & ſuffragiorum ponte. quare demonſtrabam, quod etiam in præſentia iuuat iterare, ſolam piſcinam ſanare; ſed non ſanare ſine pontibus: pontes ipſos non vim adimere, ſed nos cum piſcinæ virtute coniungere. ad rem noſtram, igitur, pontem primum accipientes, eorum, qui originale peccatum habent, falsò nobis obijcit Caluinus,

maio-

maiorem à nobis ſpem in aqua baptiſmi, quàm in Chriſti ſanguine locari; baptiſmouè ipſo detrahi à nobis Chriſti ſanguini. quoniam pro medicina ſanguinem habemus, baptiſmum pro vaſe; ſanguinem pro piſcina, pro ponte baptiſmum. denique certi ſumus, nihil ſanare niſi ſanguinem: ſed item certi, velle dominum, ad abluendos nos originali peccato, nulla re alia nobis applicari ſanguinem ipſius, niſi ſancto baptiſmo: *re ipſa* infantibus; & adultis ſaltem mente, & propoſito. Chriſtus mortuus eſt, pro illo etiam infante, qui eſt in originali peccato: quem Chriſti paſſione liberari oportet, hoc modo, *Si configurabitur morti eius*, quod tunc eueniet, *quando conſepultus ei erit per baptiſmum*. atque hoc ipſum eſt, renaſci nos, quod Nicodemo dicebat Chriſtus; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei*. Si enim in veteri Adamo naſcentes peccatores naſcimur; meritò innocentiam induere nõ poſſumus, quòad in nouo Adamo, qui Chriſtus eſt, non renaſcamur. *naſcimur homine veteri induti*, dicit Paullus: iccirco induere Chriſtum oportet. *Et quicunque baptizati eſtis Chriſtum induiſtis*. Et quare, auditores, arbitramini, ex aperto Chriſti cruci affixi latere effuſum eſſe ſanguinem, & aquam ſimul, niſi vt doceremur, renaſcentibus nobis, cum in peccato naſcamur, prodeſſe quidem ſanguinem, ſed applicatum aqua? idem dicebat Ioannes ſua Cane. *Hic eſt, qui venit per aquam, & ſanguinem Ieſus Chriſtus*. per ſanguinem nempe, qui redimit: & per aquam, qua ſanguis applicatur. itaque iniuſtiſſimè nos Caluinus inſimulat. nam vti verum eſt infantes continuò natos eſſe Deo inimicos, ſed ſpem eſſe, vt per baptiſmum amici fiant; ita, quod pertinet ad eorum ſtatum, qui modò baptiſmum acceperunt, duæ concluſiones veræ ſunt, tàm ſibi ſimiles, vt vna, & eadem eſſe videantur. altera, baptiſmi effectum eſſe, vt ab originali peccato liberet: altera, infantes, cum primum baptizati

 ſunt,

ſunt, omni culpa ſtatim vacare, eſſeq́; in gratia Dei. De ijs autem quid Caluinus ſentit? tam malè, auditores, vt vtramque inficietur. negat enim effectum baptiſmi: negat baptiſmum abluere, ſanctificare, peccata remittere, vel aliter aliquo modo prodeſſe: ſed dicit, perinde eſſe, vt cum princeps aliquid conceſſit, donauitué: conſcribi enim diploma, & ſigilla apponi, quæ non aliquid ipſa donent, aut concedant; ſed iam conceſſum fuiſſe, ſignificent; ita, cum Chriſtus peccata noſtra ſanguine ſuo deleuerit, huius beneficij diploma eſſe Euangelium, ſigillum verò baptiſmum; qui hoc modo non peccatum remitteret, ſed remiſſum fuiſſe ſignificaret. *Intelligendum eſt*, (verba ſunt Caluini lib. 4. cap. 15. ſectio. 2.) *per Euangelium nobis noſtræ abſolutionis, & ſanctificationis meritum afferri: per baptiſmum huiuſmodi meritum obſignari*. qua in re, auditores, quis apertiſſimè non intelligit, quàm mala mente, quàm ingrato ſit animo? qui baptiſmi illius, per quem aliquando è Diaboli faucibus ereptus eſt, Deoq́; dicatus virtutem, & meritum non ſolùm non amplificet, ſed etiam, quantum poteſt, extenuet, deprimatq́;, & de medicina ſaluberrima vix ad ſigillum redigat? mirum eſt, auditores, quod ego tamen ſæpius animaduerti, Caluinum voluntati ſemper adimere, intellectum ditare. cenſere verò, ſalutem noſtram non in eo verſari, vt operemur; ſed vt intelligamus. ſi ſermo incidit de clauibus Eccleſiaſticis, non concedit datas fuiſſe quò remittantur peccata voluntatis, ſed quò doctrina intellectus erudiatur. ſi loquimur de lege, vult eam mente percipi poſſe, obſeruari non poſſe. ſi agitur de Euangelio, cenſet eo doceri, quid credere, non quid facere nos oporteat. Salutem verò ipſam, nonne in fide poſitam putat, operibus autem detrahit, vel nihil, parumuè omnino tribuit? neque me latet, id qua de cauſſa faciat; vt auram ſcilicet popularem captet; vt apertam, facilemq; viam muniat ad cælum, quam Chriſtus anguſtam dicit,

cit,

cit,& magnopere difficilem; vt impunita rerum omnium libertate mentes ignaras alliciat; vt populis aſſentetur. Nunc et iam negat,baptiſmo ablui voluntatem, ſed menti tantummodò dicit fidem fieri: neque remiſſionem eſſe,ſed remiſſionis ſignum. Et quidem æquum eſt, vt,qui corpus deuitat,ſectetur vmbram: atque,vt omnia ſuſpenſa detineat,& incerta faciat,ſicuti affirmat Euchariſtiam non eſſe corpus Chriſti,ſed tantùm illius ſignum; ita dicat, baptiſmo non remitti peccatum, ſed quod remiſſum fuerit ſignificari. ſed ignoſcite, auditores: non enim ſemper æquo animo ferre tantam impudentiam poſſum. quæro,igitur, ex te Caluine, ſigillum oſtendat ne beneficium tributum iàm,an tribuendum. reſpondebis, (ſcio) tributum: igitur baptiſmus oſtendit iàm remiſſum peccatum. omnino, igitur, infans ante baptiſmum erat ſine peccato: hoc neceſſariò dicendũ eſt: & item neceſſariò fateri te oportet, doctrinam tuam nullã ſtatuere differentiam, in comparanda Dei amicitia, inter eum, qui baptizatus ſit,& eum, qui baptiſmum nondum acceperit. Et quidem,ſi Caluinus dicit,baptiſmum,vt aqua eſt,non abluere peccata,ſed vt eſt ſanguinis applicatio: nulla erit inter nos diſceptatio: nam iſtud ipſum eſt, quod etiam nos affirmamus: ſin intelligit, effectum baptiſmi, cum eo fiat applicatio ſanguinis,non eſſe remiſſionem peccatorum; peſtilens hæreſis eſt,magnumq; & impudens mendacium. Ecce enim Concilium Florentinum, Eugenio Quart. Port. *Huius Sacramenti effectus eſt, remiſſio omnis originalis, & actualis*. quod ſi Concilio non credit; (quamuis reijciendus eſſet, quoniam probaui iàm,eſſe verbum Dei:) ecce ſcriptura: Marci vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*. Ecce Chriſtus: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei*. Ecce Paullus: *Mundans lauacro aquæ in verbo vitæ*. Ecce Petrus, *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*. ſi bapti-

ſmus non ſaluum faceret hominem, ſuperuacaneum eſſet baptiſmum expectare, vt aperiretur nobis aditus ad regnum cœleſte. ſed rem tàm perſpicuam, tàm claram in dubium reuocare, vel de ea pluribus agere, iniurium eſt. Altera eſt concluſio; cum qui baptizatus eſt, continuò poſt baptiſmum omni liberari peccato, eſſeq́; prorſus in gratia Dei: quam pariter Caluinus negat. immò dicit, neque ante baptiſmum, neque poſt eſſe nos vnquam ſine peccato, quoniam humana natura non ſolum peccauit ſemper, ſed etiam ea ipſa ſemper peccatum eſt. qua in re. ò Deus immortalis, deliro ne ego, an deſipit, & inſanit Caluinus? quid cogitat? quid ait? quibus in tenebris iacet? quò contradicendi ſtudio prouehitur, quò fertur, quò rapitur miſer? nam modò ait, modò negat. paullo antè volebat, vt etiam ante baptiſmum omne peccatum remiſſum eſſet, nunc qua ratione dicit, ne poſt baptiſmum quidem, vlloue vnquam tempore poſſe nos peccato liberos eſſe? Equidem, auditores, quandoque non poſſum non maximè commoueri, dum cogito, quî fieri potuerit, vt quiſquam omnino doctrinæ tàm variæ, tàm ſibi repugnanti, tàm contrariæ, fidem vnquam adhibuerit. Et certè apparet, veſanum hominem furijs agitatum fuiſſe, cum de communi parente humana natura tàm atrociter, tanta cum immanitate loqueretur: & tanquam vnus aliquis de leſtrygonibus, antrhopophagiſq́; dilaniare, ac deuorare homines inciperet. Audite eum, quæſo, lib. 2. Inſtitutio. libri principio. *Tota natura noſtra, quanta, quanta eſt, non niſi peccatum, nihilq́; niſi omnium ſcelerum ſeminarium quoddam eſt*. Et paullo poſt, *Homo totus non aliud eſt ab intellectu ad voluntatem, ab anima ad carnem, niſi concupiſcentia, reatus, culpa, & peccatum*. & tamen Deus vidit *cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. immò, ò domine, ſi Caluino credimus, teipſum aſſentatorem eſſe oportet: dixiſti enim, *Inueni hominem ſecundum cor meum*. cum autem addat

Cal-

Caluinus, *Proinde natura humana non odioſa Deo, & creatori ſuo, atque abhominabilis eſſe non poteſt*; mendacem eſſe vel Deũ, vel Ioannem Caluinum, neceſſe eſt: cui vero eorum maiorem vos fidem adhibendam putetis, eligite. Deus opera manuum ſuarum non odit, & iccirco nullius naturam odio habet; ne in Caluino quidem (quo dici, aut cogitari peius nihil poteſt) naturam oderit, ſed vitia tantummodo. Si Deus amicos eos appellaret, in quos haberet odium, mendax eſſet: & tamen aliquos appellauit *non ſeruos, ſed amicos*. præterea, cum dicat de nonnullis hominibus, *manſionem apud eum faciemus*, qua ratione omnes homines nos ſolùm peccatores erunt, ſed etiam ipſa peccata? Caluinus dicit, *Omnis homo odioſus eſt Deo:* & Chriſtus ait, *Pater meus diliget eum:* ſtatuite vos, cui potius credere velitis. cum verò Chriſtus oret patrem, vt ſanctificet homines; quis nõ intelligit, aut nonnullos poſſe eſſe ſanctos, & falſa erit Caluini doctrina; aut neminem eſſe poſſe, & erit inanis oratio Chriſti? Ioannes dicit, *Dedit poteſtatem filios Dei fieri*. Paullus &, ſancti omnes non ſummo ſtudio ſemper hortantur, vt ſancti ſimus: at Caluinus non concedit, quenquam eſſe ſine peccato: immò dicit, neminem eſſe, qui non ſit peccatum ipſum: adeò vertitur in furorem, inuſitatamq; rabiem, etiam aduerſus ſemetipſum. ſed hæc eiuſmodi ſunt, vt per ſe clarè pateant, & ſatis ſit, ea leuiter attingere, quò tandem intelligatis, ò decepti, quàm egregio magiſtro ad perdiſcendam veſtræ ſalutis diſciplinam vtamini: qui magiſter ne conqueri poſſit, à nobis minus clarè ſuã doctrinam explicari; apertè loquamur. Vult ipſe, baptiſmo peccatum non tolli, ſed illud agi, vt peccatum nobis non attribuatur. non ne ſic ſentit, Caluiniſtæ? ò receptus, ò latibula! attendite, ſimplices, vbi impoſtores iſti omnia experti ſunt, vt nobis perſuaderent, baptiſmum nihil prodeſſe; ex alia parte animaduertentes, paſſim in ſacris litteris apertiſſimè contrarium affirma

ri;

ri; concedimus, inquiunt, baptiſmum proficere, ſed tantùm hoc modo, vt quamuis peccatum adhuc remaneat; illud tamē nobis Deus non attribuat. ſtulti, & mendaces. ſunt enim in ſacra ſcriptura plures loci, quibus apertè, clareq́ue habetur, non id ſolum, culpam non attribui; ſed eam prorſus auferri. *dele iniquitatem* pſal. 50. *amplius laua me.* Ioannis pri. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* ad epheſ. 5. *mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam non habentem maculam, aut rugam*, an maculæ non auferuntur, quæ ſunt reatus culpæ? quo pacto autem quiſquam eſſet mundus totus, ait Greg. lib. 9. epiſtola 39. ſi peccati labes remaneret? Et ſanè Chriſtus dicit, *qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* item Ezechielis cap. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamētis veſtris.* item ad Epheſios cap. pri. *Elegit nos, vt eſſemus ſancti, & immaculati.* & ad Coloſſenſes cap. pri. *Exhibete vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles.* in mari rubro, quod fuit figura baptiſmi, Aegiptij re vera mortui ſunt, non autē per attributionem. ſimili modo dicimus de Probatica piſcina, & de natatoria Siloe, & huiuſmodi alijs. Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto per baptiſmum omnes viuificabuntur: ſed in Adam omnes in peccato mortui ſumus verè, nō per attributionem; ergo omnes in Chriſto non per attributionem, ſed re vera reſurgimus. non poſſumus, auditores, non poſſumus menſæ domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. *quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? quæ conuentio Chriſti ad Belial?* qua ratione fieri poteſt, vt à Deo diligamur, ſi in baptiſmo non deletur peccatum? tu, domine, dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, & quanto tempore manet in homine peccatum, ſemper odio habes, & ſemper punire vis. quare, cum dicimus, baptiſmo non auferri peccatum,

catum, ſed id agi tantummodo, vt manentes in peccatis nihiloſecius Deus non diligat, ne quam pœnam irrogare velit; tàm abſona, & abſurda loquimur, quàm qui maxime. ſed væ illi, qui ita ſentit, niſi reſipiſcat. nos autem certi iam ſumus, baptiſmo auferri peccatum, & poſt baptiſmum acceptum puros eſſe nos, & immunes ab omni culpa. Verùm, vt perfectè cognoſcamus ſtatum eorum, qui modò baptizati ſunt, nondum ſatis mihi feciſſe videor. cum enim duobus malis affectos infantes omnes naſci propoſuerim, alterum tantúm explicaui, dum de baptiſmo agerem. dicebamus, auditores, quemlibet ante baptiſmum in culpa eſſe, & in pœna. in culpa, quoniam inimicus eſt Deo: in pœna, quia eſt obnoxius morbis, & concupiſcentiæ: & illa certam mortem afferunt, hæc verò ad peccandum alliciunt. Statuamus nunc quempiam non adhuc baptizatum, qui propter culpam inimicus eſt Deo; & ob pœnam ad mortem, & ad peccatum propenſus eſt. is baptizatur: & ſuſcepto baptiſmo, quòd ad culpam pertinet, iàmdiximus, ſolutum eſſe omni peccato, & ita in gratiam Dei redire, vt, ſi moreretur, *ſtatim ad Dei viſionem, & regnum cœlorum perueniret*, vt habet Concilium Florentinum. ſed quantum ſpectat ad pœnam, liberatur ne ea per baptiſmum, ſic; vt morti ſubiectus non ſit amplius, neque deinceps ad peccandum ſtimuletur? auditores, de morbis, & morte nihil loquar: quiuis enim experitur, neutrum vitari poſſe. ſed de concupiſcentia, & peccati fomite dico, nolle Deũ per baptiſmum auferri. vt enim miſericordiam cum iuſtitia coniungat, atque alteram altera temperet; vult ratione miſericordiæ culpam tolli per baptiſmum; & ratione iuſtitiæ relinqui pœnam. itaq; adultus, cum baptizatus eſt, continuò ab omni peccato liber eſt: & moriens ſaluus fit: ſed vti mortis neceſſitate non eximitur, ita remanet concupiſcentia, quæ quidem nõ cogit, vt dicemus, ſed allicit tamẽ ſemper ad peccandum. quod ipſum

ipſum affirmat Tridentinum Concilium: *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur, & ſentit*. Et prius dixerat Auguſtinus, *Iam ne diſcernis, iam ne perſpicis, & in baptiſmate fieri omnium remiſſionem peccatorum*, (intellige Caluine) *& in baptizatis quaſi ciuile bellum internum remanere?* id eſt, legem illam, quæ *repugnat legi mentis*: certamẽ illud, in quo *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*: illud bellum, in quo, *qui legitime non certauerit, non coronabitur*: illam concupiſcentiam, quæ propter pœnam originalis peccati relinquitur in nobis, & quotidiè ſuadet, inuitatq́; , vt re, & actione peccemus, ſed ipſa peccatum non eſt, & neminem vi ſua compellere cogereuè poteſt ad peccandum. itaque hoc etiam loco mendax eſt Caluinus, cum dicat, concupiſcentiam eſſe peccatum. quãuis enim Paullus 7. ad Roman. ſexies concupiſcentiam peccati nomine appellet; attamen Auguſtinus de nuptijs, & concupiſcentia lib. pri. cap. 23. dicit, concupiſcentiam non eſſe peccatum, niſi eo modo, quo verbum meum mea lingua dicitur; & meus character dicitur manus mea; quoniam è lingua, & è manu proueniunt. & alibi dicit, concupiſcentiam peccatum eſſe, vti mors eſt pallida; id eſt, quoniam ad peccatum trahit. Et Concilium Tridentinum, vtramq; expoſitionem coniungens, dicit. *Eatenus concupiſcentia peccatum eſt, in quantum ex peccato eſt, & in peccatum tendit*. Quamobrem, auditores, duo tractaui, quæ promiſeram: primum, infantium, ſiue adultorum ſtatum, antequàm baptiſmo abluantur. alterum, eorundem ſtatum, poſtquam baptizati ſunt. ante baptiſmum, in culpa ſunt, & pæna: id eſt cum originali peccato; & tùm morti, tùm concupiſcentiæ obnoxij. poſt baptiſmum aufertur culpa, ſed nihilominus remanet pœna: Et quamuis amici Dei facti ſint; adhuc tamen concupiſcentiam illam retinent, qua ad peccandum propenſi ſunt. ante baptiſmum, vt ad exemplum redeamus,

quod

quod principio propoſuimus; in flumine conſtituti ſunt; eo rapiuntur ad rupes; ſublatus eſt agger, & inimicus eis eſt fluuij dominus: ſuſcepto baptiſmo, idem dominus eos abluit, & in amicitiam recepit; ſed non tamen aggerem reſtituit. quò fit, vt ij fluminis vi rapiantur verſus præcipitia, & præcipuè verſus præcipitium culpæ. nunc de ipſa culpa agimus, quærimusq;, an ferente fluuio concupiſcentiæ nauem tanto impetu ad peccatum fieri poſſit, vt nauis ſua ui conſiſtat, & ſeipſam ſuſtineat, ne in præcipitium decidat: & hæc erit ſequentis diſceptationis materia. felices abite.

DISCEPTATIO OCTAVA.

Quâ oſtenditur, adultum, qui continuò poſt baptiſmum cauſſa baptiſmi, vel alia, ſit in gratia Dei, ſi habet concupiſcentiam, (quam certe habet) habere etiam ſemper in ſe liberum arbitrium: Deum non prohibere, quin eo vtatur, & neminem ad peccandum cogere: ſolo quidem libero arbitrio abſque alio adiumento innocentem permanere non poſſe: ſed, ſi libero vtatur arbitrio, ſemper gratiam Dei affuturam, vireſq́; ad perſeuerandum daturam: concluditur autem, noſmetipſos noſtri eſſe cauſam peccati.

Contra omnia, quæ Caluinus diſſerit ſecundo libro, principio ipſius, & totis ſex capit. ſequentibus.

IAM demonſtratum eſt, auditores, Adamum primum parentem noſtrum, antequàm peccaret, amicum fuiſſe Dei: & humores adeò conſentientes, vireſq; animæ tàm ſedatas ob iuſtitiam originalem habuiſſe, vt neque morti ſubiectus eſſet, neque ad culpam propenſus. clarum eſt item, ſi is non peccaſſet, nos omnes poſteros ipſius orituros fuiſſe in gratia Dei,

Dei, & cum eodem munere; cum autem lapſus ſit, contrà naſci nunc omnes in originali culpa, & in pœna mortis, atque concupiſcentiæ. Exitus autem ſermonis noſtri fuit, nos omni culpa liberari, ſi nobis per baptiſmum Chriſti ſanguinem applicemus: ſed relinqui nihilominus pœnam non mortis ſolúm, ſed etiam fomitis: & iccirco quemlibet adultum, quamuis in gratia ſit, ſentire tamen, maxima vi ſe ad peccandum inflecti. nunc ſtatuamus adultum aliquem, qui in gratia Dei ſit, ſed intus fomite ſtimuletur, & impellatur ad perpetrandum aliquod peccatũ: quæramusq́;, an eum concupiſcentia cogat ad culpam illam committendam; an liberum habeat arbitrium: & an eo ſolo ſatis poſſit propenſioni ſuæ reſiſtere: an verò, ne in peccatum incidat, præter liberum arbitrium, neceſſariò addi etiam aliquod Dei auxilium oporteat. vel (à propoſito iam exemplo non recedentes, quo diximus, poſt baptiſmum in naui eſſe nos, & quidem in gratia Dei, ſed aggere originalis iuſtitiæ ſublato, flumineq́; cõcupiſcentiæ adeo rapido, vt nos omnino ferre ad turpe peccati præcipitium conetur) quæramus, an adultus, qui in naui ſit, iam Dei amicus, adeò vi fluminis illius feratur, vt neceſſe ſit, eum ad præcipitia ruere; an remos liberi arbitrij retineat; & an ſolis ijs remis rapiditati fluminis obniti poſſit: an verò præter remos, ſecundo præterea aliquo vento opus ſit, quo aduerſus curſum fluminis flante, nimia eius velocitas tardetur, & violentus impetus comprimatur. quæſtiones præclaræ admodum, auditores, è quibus vtilitatis multum, etiam cum ſumma iucunditate hauriri poſſet, niſi noſtris diſputationibus immiſcendus eſſet Caluinus. is enim cùm in alijs tractationibus omnes alios hæreticos nefaria impietate ſuperauit, tùm in hac materia hodie ſeipſum ita ſuperat; vt non dubitem, quin ſceleſtiſſimas illius voces veſtris auribus indignas eſſe cenſeatis. horrebitis, (mihi credite) rigebunt capilli, ſanguis gelidus refugiet: neque

inde

inde fructum alium percipietis, niſi, quod immenſam Dei bonitatem,& patientiam ſatis admirari nequibitis. ò lingua, ò lingua mea! ergo tàm atrocia, tàm immania, tàm impia tibi proferenda ſunt? Ecce illa; fieri enim aliter non poteſt. Hac in materia, præter alia maledicta, hæc præterea dicit. Deum eſſe mali omnis auctorem: Deũ eſſe omnis peccati cauſſam: Deum culpis noſtris delectari: Deum ad ſcelera perpetranda nos cogere: fruſtrà à nobis tempus conteri, conari fruſtrà, nos aliquid boni facere: Deum enim prohibere, quibuſcunq; grauiſſimis vitijs cumulati ſimus, ad illa omnia à Deo nos impelli: Deum è cœlo in terram deſcendiſſe, vt peccandi neceſſitatem nobis afferret: Euangelium dediſſe, vt nos præcipites ageret: denique Deum tàm amantem eſſe, tam cupidum noxarum, & erratorũ noſtrorum, vt nobis prudens ſciens legem dederit, quò peccemus; quoniam obſeruari vllo modo non poſſit. quid dicitis, Caluiniſtæ? hæc me confingere, & comminiſci? certè vos ipſos non latet, ſcripta eum reliquiſſe pluribus locis. ſed præter hæc, nonne Caluinus negat habere nos liberum arbitrium? nemo id ignorat. quis autem ambigit, fieri non potuiſſe, quominus in illas impietates delaberetur miſer, quas conſequi omnino neceſſe eſt, ſi libero arbitrio careamus? quare, cum adultus concupiſcentia trahitur ad peccandum, an liberum arbitrium habeat, vel non habeat; & an nauigantes, cũ fluminis vi præcipitia verſus rapiuntur, remos habeant necne, prima parte tractabo. diſputante me verò contra Caluinum, qui hæc negat, vrgeri hominem videbitis argumentis meis; cogiq́; perinde, ac pharmacum ſtibij hauſiſſet ad euomendas omnes illas hæreſes, quas paullò antè recenſui. Ac primò, ſi in homine liberum arbitrium non eſt, vt tu, Caluine, dicis; ergo fruſtra, ridiculeq́; lex à Deo data eſt nobis. quis enim neſcit, de ijs ferendam eſſe populis legem, quorum in poteſtate eſt, vt ea faciant, vel non faciant? vetat ma-

giſtratus,

giſtratus, aut princeps, ne quis arma deferat. certè in poteſtate populorum eſt, vtrum ea deferant nec ne: ſi lege non prohiberentur, plures, qui nunc arma non ferunt, ſine dubio ferrent. lex, igitur, non eſt ſuperuacanea. ſi verò idem magiſtratus, aut princeps præciperet, omnes bene valere, vel puerum nullum adoleſcere, vel ſeneſcere nullam mulierem; quis non planè intelligit, has, & huiuſmodi leges fore prorſus inanes, ſuperuacuas, & irridendas? qua ratione? quoniam vt quis bene ſe habeat, vel male, à voluntate noſtra non dependet; neque arbitrij noſtri eſt, vt quis creſcat, aut ſeneſcat, vel ſecus. itaque, quod veriſſimum eſt, concludo; fatuum fore legislatorem illum, qui de ijs legem ſanciret nobis, ad quæ obſeruanda, neque liberam voluntatem, neque vires haberemus. tùm dilemma firmiſſimum affero, dicoq;: quæ præcepit Deus, vel noſtræ poteſtatis eſt exequi, vel contrà. ſi cadunt ſub optionem noſtram, igitur, ò Caluine, te inuito, liberum arbitrium in nobis eſt. ſi non cadunt, cum liberi non ſimus, igitur (quod proferre horreo) vanus, & nullius vſus legislator fuit Deus. & quidem præſenſit Caluinus, huius argumēti vim, auditores: nam lib. 2. Inſtitutio. cap. 6. faſſus eſt. dixitq;, *Iam diu cæpit eſſe.* &, *Nonnullam ſpeciem habet.* nonnullam ſpeciem, ais? at dico ego, vrgere prorſus, neque reſponderi poſſe, niſi aliqua maior hæreſis afferatur. quòd verò *iam diu cæperit eſſe*; tantò grauius Caluinus peccat, qui ſciens argumentum, & vetuſtiſſimum, & grauiſſimorum patrum eſſe, non ſolùm illud, ſed etiam ipſam argumenti concluſionem reijcit; (in nobis ſcilicet eſſe liberum arbitrium) cuius cauſſa factum eſt argumentum. an verò vel pauci fortaſſe patres, vel leuiores auctoritatis hoc argumento vſi ſunt? audite, quæſo. Petrus ipſe in primis aduerſus Simonem magum, qui & ipſe, vti nunc Caluinus, negabat liberum arbitrium, (teſtatur Clemens Romanus, Petri diſcipulus lib. 3. Recognit.) præterea eodem vſi

ſunt

ſunt argumento contra hæreticos temporum ſuorum, liberum arbitrium negantes, Iuſtinus martyr Apolog. 2. pro Chriſtianis: Tertullianus principio de hortatione ad Caſtita. & 2. cōtra Martionem, Clemens Alexandrin. pri. Pædagogiæ: Gregorius Nazianzenus oratione de Natiuit. Chriſti. Chryſoſtomus Homil. 2. cap. pri. Geneſ. Damaſcenus. 2. de fid. cap. 26. Auguſtin. cap. 10. de agone Chriſtiano, & lib. contra Fortunatum Manichæū, & lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 2. plures conſultò prætereo, quos afferre poſſem, niſi mihi perſuaderem, ex ijs, quos modò commemoraui, ſatis, ſuperq; compertum eſſe vobis, quàm graues auctores pro me ſint aduerſus Caluinum, & quàm arrogans ipſe ſit, qui ſe, fatetur, argumentum legiſſe apud hoſce vetuſtos patres. & non ſolùm eius vi non cōmouetur, ſed etiam aduerſatur cōcluſionis veritati, & liberum arbitrium negat. quàmquam, vt illud neget, hæreſim adeò horribilem affirmare cogitur, vt inde vobis intelligere liceat, vera eſſe, quæ dicebā, Catholicorum argumenta pro Stibij pharmaco futura, quibus Caluinus ad nouas hæreſes euomendas compellatur, & ſuam opinionem omnino falſam; quam tueri aliter nō poſſit, niſi in alia maxima, & aperta mendacia feratur præceps. dicit, igitur, immò verius malè dicit, datam nobis à Deo legem, quæ obſeruari non poteſt. argumento verò, quo dicebamus, fatuum, vanumq; futurum fuiſſe principem illum, ferentem legem, cuius obſeruatio ſita non eſſet in populorum poteſtate; reſpondet, id verum eſſe, cum eo conſilio ſancitur lex, vt obſeruetur: ſed interdum ferri à principibus nulla alia de cauſa, niſi vt populi, cōtra legem ipſius committentes, in propriam perniciem ruant: qua in re potiores eſſe leges illas, quæ duriſſimæ, & aſperrimæ ſunt: neque ſatius quicquam fieri ab eo principe, qui vexare, & affligere populos ſuos velit, quàm leges conſtituere, quæ obſeruari vlla prorſus ratione non poſſint. eiuſmodi autem fuiſſe legem à Deo nobis da-

tam,concludit. cum enim Deus alia de cauſſa non det legem, niſi vt ei non pareamus,& vt peccemus; certior iniri ratio nulla potuit, vt contra legem faceremus, quàm talem imponere, qualem impoſuit,id eſt,quæ omnino ſeruari nõ poſſit. vt enim quandoque mater (Lutherus ait) filio infanti, tenello adhuc,gradiendi neque vſum,neque vires habenti,manu ſignificat, vel eũ appellat voce, vt ad ſe veniat, quamuis venire non poſſe certò ſciat; ſic feciſſe Deum,cum ore proprio ea præceperit, quæ perfici non poſſe certiſſimus eſt. argumentum,igitur,primum, de quo diximus, veriſſimum,& firmiſſimum ait futurum fuiſſe,ſi hęc noſtra lex obſeruari poſſet: ſed cum tantummodo lata ſit, vt peccetur,recte legislatorem feciſſe,qui præcepta tradiderit, in quibus optio noſtra nullum eſſet vſum habitura. itaque, auditores,vt videtis aliò conuerti videtur diſputatio noſtra: id eſt, vt decernatur,lex à Deo data ſeruari poſſit, nec ne. ſi enim ſeruari nequit; concedo Caluino,meum argumẽtum vanum, & leuiſſimum eſſe: ſin ſeruari poteſt; Caluinũ fateri oportet,argumentũ meum eſſe firmiſſimum, neque poſſe diſſolui: & in nobis ſine dubio liberũ arbitrium eſſe. Sed adeſte animis vos, & diligenter attendite,quot non ſolùm patribus, ſed ẽt quot diuinarum literarum locis,nullo eorum ſenſu detorto,manifeſtò probetur, & poſſe, & facile poſſe noſtram legem obſeruari. atque in primis ex ore Dei ipſius audite. Deuteronom. 30. *Mandatũ hoc*, (& loquitur de lege populis data) *Mandatum hoc*,igitur, *quod ego præcipio tibi hodie,non ſupra te eſt,neque procul poſitum,neque in cælo ſitũ, vt poßis dicere,quis noſtrum valeat ad cælum aſcendere,ut deferat illud ad nos,vt audiamus,atque opere compleamus? neque trans mare poſitum,vt cauſeris,& dicas,quis noſtrum poterit transfretare mare,ut illud ad nos vſque deferat,vt poßimus audire,& facere, quod præceptum eſt? ſed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo,& in corde tuo,ut facias illum*. certe ſi ex meo ingenio formandus fuiſſet locus,qui

ad

ad rem faceret,neſcio an fingere præſtantiorē hoc ipſo, illuſtrioremq́; potuiſſem,& qui vrgeret magis. vires illius ipſe Caluinus ſentit. quare ſectio. 12. eluctatur quantum poteſt, vt euadat, vt ſe ſe eripiat. Et cū rationes ſuas leuiores eſſe intelligat, ponderi diffiſus, ſpem in numero ponit,& plures affert, quò vim horum verborū euitet: ſed oleum,& operá perdit. nàm ſi dicit,ad Euangelium referri,non ad legem; id à me facit: quoniam,ſi Euangelium,quod reſtrictius eſt lege,facile eſt; certè faciliorem eſſe legē oportet. ſin affirmat, eo loco de præceptis non agi, ſed de doctrina legis; & more ſuo,ſi adimens voluntati, & intelligentiæ tribuens, interpretatur,facilitatem illam non eſſe legis perficiendæ,ſed addiſcendæ,percipiendæq́; ; clariſſimè cōſtar,ibi de præceptis agi eo præſertim verbo, *hoc mandatum*. Deum autem eo loco oſtendere,facile eſſe,non ſolùm intelligere legem,ſed etiam obſeruare,neſcio qua fronte negare Caluinus audeat. non enim ſemel tantùm,ſed ter,ijs paucis verſibus,quaſi conſultò, vt fatuā hanc Caluini reſponſionē excludat,iterat Deus hæc verba: *Obſeruare,et operari.* primùm enim, *vt audiamus,atque opere compleamus*. túm, *vt poſſimus audire, & facere*. poſtremò *vt facias illū.* quare aduerſus hūc Deuteronomij locum,nihil prodeſt conari, vel recalcitrare: nimis enim apertè probatur, legem non ſolùm non adeo eſſe duram,vt obſeruari non poſſit; ſed etiam facilem eſſe,neque tantummodò vt intelligatur,ſed etiam,vt ſeruetur, & perficiatur. probatur item duobus alijs,& vtroq; eorum clariſſimo: altero Ioannis,epiſt. pri. cap. 5. *Mandata eius cuſtodiamus,& Mandata eius grauia non ſunt*. Chriſti altero apud Matth. 11. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*. quibus quid reſpondere Caluinus poteſt? quos ſacrarum literarum locos reperite, qui vel noſtris repugnent,vel ipſius opinionem tueantur? fortaſſe quatuor illos afferet,de quibus ſectio 6. mentionem facit;cum docet,nulla de cauſſa datā nobis à Deo legem,niſi vt peccemus.

ſed quis vnquam tàm deprauatos ſenſus,& tàm falſas expoſitiones audiuit? *Lex propter transgreßiones poſita eſt*, dicit Paullus:& Caluinus exponit, *propter transgreßiones faciendas*. ſed ſancti patres vniuerſi ab hac interpretatione abhorrent, & tribus modis exponunt. vel *propter transgreßiones euitandas*; vel *propter transgreßiones cognoſcendas*; vel *propter transgreßiones puniendas*. quibus ſingulis expoſitionibus alij ſacræ ſcripturæ loci conſentiunt, & mirificè reſpondent. nam epiſt. pri. ad Corinth. cap. 6. *Vnuſquiſque vxorem habeat propter fornicationem*; id eſt *euitandam*, pertinet ad primum. Et ad Romanos cap. 7. *peccatum nō cognoſcebam, niſi per legem*, ſecundum reſpicit, vt *poſita ſit propter trāsgreßiones cognoſcendas*. Et ad Galatas 3. *Lex pædagogus fuit*, confirmat tertium: id eſt, *lex poſita eſt propter transgreßiones puniendas*. ſed vnus Caluinus exponit, *lex poſita eſt propter transgreßiones faciendas*. quod abſonum eſt prorſus, & ineptiſſimum. citat item Paullum ad Romanos 3. *per legem cognitio peccati*. ſed quis non animaduertit dictum fuiſſe, *per legem cognitio peccati*, non autem *per legem operatio peccati?* paullo magis vrgere videtur tertius locus ad Romanos. 5. vbi dicitur, *lex ſubintrauit, ut abundaret delictum*. ſed primùm reſpondemus, vocem *vt*, non ad cauſſam referri, ſed ad effectum, qui ſecutus eſt: id eſt intelligi *conſecutiuè, non cauſaliter*. & exponi, lex eſt poſita: *vt*, id eſt ea re factum eſt, vt plura patefacta ſint peccata: deinde dicimus, Paullum ipſum eadem Epiſtola cap. 7. probè ſeipſum explicare. nam vbi dixit, *Mandatum, ſanctum, & iuſtum, & bonum*; vt dubitationē tollat, doceatq;, negādum, quod affirmat Caluinus, quærit hoc modo, *Quod ergo bonum eſt, mihi factū eſt mors?* Et tantum abeſt, vt illud ſentiat, ſicuti Caluinus, vt ſtatim contrà penitus dicat, *Abſit: ſed vt appareat peccatum*. poſtremò Caluinus ait, Paullum ad Romanos dicere, *lex peccatum facit*. quæ verba tàm clara ſunt, vt nihil ſit, quod ſibi repugnet,

nullo

nullo coniectore ſit opus. ſed inde vobis, ò decepti, diſcere mores iſtius licebit. nàm ſi in Paullo ſunt ea verba quin adimatur mihi vita non recuſo. immò eodem loco, quem affert ipſe, contrà omnino Paullus dicit: ſic enim hēt, *Quid ergo dicimus? lex peccatum eſt? abſit.* ꝗ ſi paullò poſt, aliquid dicit, quod facere ad Caluini ſenſum videatur, veluti illud, *Cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit*; iam reſpondimus, intelligi de peccato noſcendo, non de committendo: quocirca etiam dixit, *peccatum non cognoui, niſi per legem.* ſed interim, quod ipſe teſtatur in Paullo legi, falſum eſt. nuſquam enim in eius ſcriptis reperitur. quòd ſi Caluinus ad cæteras egregias virtutes, hanc etiam adiecit, vt Paullum mortuum iampridem ſuis nunc Epiſtolis demere, vel addere verba compellat; mihi cum illo ſuſceptam eſſe diſputationem nolo. profectò conſtat, à Caluino nullum locum inuentum adhuc, quo dicatur, datam nobis à Deo legem, vt eam non obſeruemus. quid ſi, ò Caluine, (quod fieri non potuit) inueniſſes? is tuæ ſententiæ tamen aduerſaretur. nam omne tuum ſtudium nonne huc adhibes, atque hoc vnum conaris, vt probes Deum legem nobis impoſuiſſe, quæ ſeruari nequeat? omnino: & iccirco ſic argumentaris: quoniam volebat peccare nos Deus ideo legem dedit, quam obſeruare nullus poteſt. at ego contrà: immò ſi volebat Deus peccare nos, oportuit imponi legem, quæ ſeruari poſſet. non enim peccat, qui mandatum illud non perficit, quod perfici non poteſt: quoniam *ad ea facienda, quæ fieri non poſſunt; nemo compellitur.* quare ne hoc quidem tuam iuuaret cauſſam. neque illud in vniuerſa ſcriptura ſacra reperitur. neque tu, quid reſponderes, habuiſti ad eos ſcripturæ locos, quibus Sole clarius oſtendi, non adeò duram eſſe legem, vt obſeruari non poſſit, quin potius id facilè fieri. Nunc quid ſupereſſet amplius, niſi vt vobis teſtimonia plurimorum patrum afferrem qui idem ſenſerunt? demonſtraremq; nullum auctorem, nullũ

ſcriptorem poſt Chriſtum natum in Eccleſia reperiri, qui non ſit profeſſus, legem & ſeruari poſſe, neq; eſſe difficilem? & quidē mihi faciendum eſſet; ſed Catholici, ſcio, mihi credent. Caluiniſtæ verò ſi minus mihi, Caluino ſuo ſaltem fidem habebunt. is enim lib. 2. Inſtitu. cap. 2. ſectio. 4. vſque ad 9. liberè fatetur, ab omnibus vetuſtis patribus, qui ſcripſerint, præter Auguſtinum, affirmari, nos liberum arbitrium habere, & perfici legem poſſe. quæ ſi ita ſe habent; cur illis Caluinus non credit? temeritatem inſignem audite: quoniam (ait,) errarunt: & vſque eò progreditur, vt dicat ſectio. 4. omnes falſos fuiſſe Chriſti diſcipulos. ò miſerum, igitur, Clementem Romanum! ò infelices Nazianzenum, Baſilium, Gregorium, Ambroſium, Chryſoſtomum! ò miſerabiles ſanctos patres! omnes quippè Caluini iudicio falſi Chriſti diſcipuli fuerunt. bone Deus! & eſt, qui credat perdito iſti? ego quidem obſtupeſco; interim tamen is aperte faſſus eſt, reliquos patres eius eſſe ſententiæ, vt obſeruari lex poſſit: vnum excipit Auguſtinum, quē contra ſentire affirmat, cenſereq;, obſeruari non poſſe. ſed vt perfectè Caluini noſcatis ingenium, animaduertite, quæſo, an poſthac, vel verbum ei credendum ſit. ſermone de tempore 61. verba Auguſtini ſunt: *Neque poterit aliquid impoßibile imperare, qui iuſtus eſt, neque dānaturus eſt aliquem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius eſt.* ſermone de tempore 59. verba Auguſtini ſunt: *ſciendum eſt, Chriſtum non impoßibilia præcipere, ſed perfecta*. libro de natura, & gratia cap. 43. verba Auguſtini ſunt. *Non impoßibilia Deus iubet, ſed iubendo admonet, & facere, quod poßis, & petere quod non poßis.* eodem lib. cap. penult. *firmißimè creditur, Deum iuſtum, & bonum impoßibilia non potuiſſe præcipere*. libro de gratia, & liber arbitr. cap. 16. *Quis neſciat, quod non præciperet Deus, quæ ſciret, non poſſe ab homine fieri?* in Pſalmum 57. cum de diligendis inimicis loqueretur; verba Auguſtini ſunt: *Neque impe-*

raßet

raſſet hoc Deus ; vt faceremus, ſi impoßibile eſſe iudicaſſet. ò decepti,& quidem miſerè decepti, quid nunc dicitis? videturne vobis pro me, an pro Caluino ſtare Auguſtinus? Vos verò infelices cui fidem adhibetis? ei, qui Paulli libros deprauat, & falſa affert: qui omnes Sanctos patres appellat falſos Chriſti diſcipulos; qui pro Sancti hominis doctrina venditat doctrinam, à Sancti illius doctrina prorſus abhorrentem. ite nunc, & verbis iſtius confidite: neque fontem ipſum inſpicite, ex quo haurire ſe, quæ dicit, affirmat. at vos, ſi res iudicio veſtro permittatur, quid cẽſendum putabitis? an non abſurdum, & ab omni ratione alienum videbitur Deum ea præcepiſſe, quæ ipſe optime ſciret effici, præſtariq́; non poſſe? quæſo vos, auditores diligenter attendite. ſi Caluinus ſentit, ſine ope diuinæ gratiæ, & ſolis naturalibus viribus noſtris non poſſe legem obſeruari; idipſum nos etiam affirmamus: neque eſt., qui id neget, præter Pelagium, quiſquam: neque ea de cauſſa tollitur liberum arbitrium. ſed ſi cenſet, quò liberum arbitrium auferat, omninò, vel cum gratia, vel abſq; gratia ſeruari legem non poſſe; cum Deus gratiam det, vt legem obſeruemus; igitur fruſtrà dat, & nos decipit. præterea, nonne verum eſt, puniri nos à Deo, quoties mandata ipſius non perficimus! at, ſi quis princeps edicto propoſito, ne quis ſeneſceret, grandis pecuniæ multam ei diceret, qui contrà edictum ſenuiſſet; nonne is vere tyrannus eſſet dicendus, quòd pœna quemquam afficeret, propter eam culpam, quam is non admittere vllo modo non potuiſſet? quis autem immanior eſſe, vel maiorem tyrannidem exercere poſſet, quàm ipſe Deus, ſi aliquem condemnaret, & etiam ignis æterni pœnam irrogaret, quoniam non obſeruaſſet legem, quæ obſeruari non poterat? Ah, chariſſimæ animæ, res ipſa loquitur: & certè, dum quærimus, an poſſit ſeruari lex, nimis vagata eſt oratio mea. ſed quoniam Caluinus conceſſit, modo ſeruari poſſit, negan-

dum non eſſe, quin liberum arbitrium habeamus; quò iſtud obtinerem, in illo probando, vos pluribus moratus ſum. Vt autem eò reuertamur, vnde diſceſſimus; legem nobis à Deo datam, quæ obſeruari poteſt, affirmamus. igitur, ſub noſtram optionem cadit. igitur liberum habemus arbitrium. igitur, quamuis concupiſcentia ſtimulet ad peccandum, tamen liberum arbitrium in nobis eſt: primumq; exemplum repetentes, quamuis fluminis vi rapiatur nauis; attamen ea remis eſt inſtructa: quibus remis quid conari, quid efficere poſſimus, altera parte exponam. nunc enim antequàm finem faciam, pluribus locis, nec tamen omnibus, nàm innumerabiles ſunt demonſtrare volo, habere nos liberum arbitrium. Atque in primis, quid illuſtrius eo Geneſis loco cap. 4. cum Deus cum Caimo loquens de peccandi, vel non peccandi poteſtate, dicit; *Nonne ſi bene egeris, recipies: ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit?* cuius peccati cauſam non tamen transferre poteris in appetitum: neque concupiſcentiæ aſcribere: quoniam vtrumque libero arbitrio frænare ſemper, & ei imperare poteris. & denique, *ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. & quidem, auditores, ſi quis clariorem ſententiam cupit ad probandum liberum arbitrium; per me licet, Caluinum imitetur, & ex ſuo capite confingat: ſed ficta ipſi relinquentes, nos vera ſemper amplectamur. neſcio enim an fieri potuerit, vt quis Eccleſiaſticum, cap. 15. legerit, neque veritatem huius rei manifeſtò cognouerit ait enim ibi ſapiens apertiſſime: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata, & præcepta ſua. Si volueris mandata conſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum. Quod placuerit ei, dabitur illi*. dicine potuit clarius? reſponderi ne his verbis ali-

ter poteſt, atque Caluinus facit, qui Eccleſiaſticum negat,& toti libro fidem abrogandam putat? o egregium quidem diſputandi artificem! qui cum ita vrgetur, vt reſpondere neſciat, librum è canone eximendum cenſet. Sed malum, quod imminebat, antè prouidimus, & iàm auertimus. docuimus enim ſuperioribus diſceptationibus ad ſanctam Romanam Eccleſiam pertinere, quinàm libri canonici ſint, ſtatuere, & decernere: illa verò cum ſæpe aliàs, tùm poſtremò Tridentino Concilio declarauit, inter canonicos libros Eccleſiaſticum referri. quem librum præſertim eo loco, neſcio, quare Caluinus audeat floccifacere, & deridere: cum Auguſtinus ille, quem is arbitrum huius diſputationis depoſcit, lib. de gratia & liber. arbitr. vt liberum arbitrium probet, in primis eundem locum afferat. ſequitur deinde alius pariter clariſſimus lib. eod. cap. 31. *Beatus, qui potuit tranſgredi. Et non eſt tranſgreſſus.* quòd ſi Eccleſiaſticum Caluiniſtæ non recipiunt, an verò Paullum etiam reijciēt, & contemnent? Et tamen Paullus ipſe Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 7. ſcriptum reliquit. *Non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem uoluntatis ſuæ.* & idem prima ad Corinth. cap. 9. dicit: *Si Euangelizauero neceſſitatem habens, nihil mihi prodeſt, ſi volens hoc ago, mercedem habeo.* & idem Paullus ad Philemonem ait, *Vt non ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.* ſed quid opus eſt ſingulas ſententias afferre? Ego vero ſic dico: qui liberum arbitrium non habet, ei *Non datur optio.* Et qui libero caret arbitrio, nihil eius voluntati permittitur. at diuinarum literarum loci, quibus optio datur, & aliquid permittitur hominum voluntati,(qua re maximè probatur liberum arbitrium,) tot, tantiq; ſunt, vt paſſim, & vbique ſeſe legentibus offerant. Deuteronomij cap. 30. *Propoſui vitam, & bonum: benedictionem, & maledictionem. elige ergo bonum, vt & tu viuas, & ſemen tuum.* Eccleſiaſt. cap. 15. vti dicebamus. *Propoſui tibi aquam, & ignem,*
ad

ad quod volueris, porrige manum tuam. lib. Regum. 2. cap. vlt. *Trium tibi datur optio: Elige vnum*. Eſaia 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis*. Hieremiæ 21. *Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis: eligite.* Matthæi 11. *Si vultis eum recipere, ipſe eſt Helias.* Matthæi 16 *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* eodem, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. eodem loco. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende*. Marci 10. *Quid vis tibi faciam?* 14. *Cum volueritis, poteſtis illis benefacere*. Ioann. 6. *Nunquid & vos vultis abire?* 7. *Si quis voluerit voluntatem meam facere, cognoſcet* 15. *quacunque volueritis petite.* 1. ad Corinth. 7. *Si vult, nubat. Si vult, ſeruet virginitatem.* Sexcentis alijs ſacræ Scripturæ locis poteſtas noſtræ voluntatis apparet. præterea, (quod mirum videri poteſt,) adeò fouet Deus, liberumq́; tuetur noſtrum arbitrium; vt ſæpe aliquid ipſe facturus ſit; ſed cum videat, non aſſentiri nos, id omittit, atque, vt ita dicam, ſuæ voluntati antefert noſtram. loci ſunt clariſſimi apud Eſai. 65. *Pro eo quod vocaui, & non reſpondiſtis: Et quæ nolui elegiſtis*. & Exod. cap. 10. dicitur, Pharaonem Deo reſiſtere. & in Act. cap. 7. Stephanus dicit Iudæis. *Semper ſpiritui Sancto reſtitiſtis*. & Prouerbiorum cap. 1. *Vocaui, & renuiſtis.* & Eſai. cap. 5. *Expectaui, vt faceret vuas, fecit autem labruſcas*. & eodem, *tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem*. & Apocalyp. cap. 2. *dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere*, & apud Matthæum. 23. *Quoties volui congregare vos ſub alis, ſicut gallina congregat pullos ſuos, & noluiſtis?* quare ſatis iàm intelligere poteſtis, auditores, an reperiatur liberum arbitrium: & Sacræ literæ à me ne, an à Caluino faciant. at fortaſſe, à Caluini cauſſa ſtabunt vetuſti patres. audite. in primis habemus nos tot concilia, tot ſedis Apoſtolicæ ſanctiones, ac decreta: præterea totos libros; voluminaq́; ab Auguſtino, Gregorio Nazianzeno,

zeno, Proſpero Aquitano, Anſelmo, Bernardo ſcripta; quibus nihil aliud, niſi de libero arbitrio, ſeu de gratia, & libero arbitrio agitur. quòd ſi præcipuos locos quærimus. Irænæus lib. 4. cap. 9. dicit, *Homo verò rationabilis, & ſecundum hoc ſimilis Deo, liber in arbitrio factus, & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſſa eſt, vt aliquando palea fiat*. Iuſtinus martyr Apolog. 1. *Omnium verò, qui generati ſunt, hæc natura eſt, vitium, & virtutem accipere poſſe. neque enim quicquam eorum laude dignum eſſet, niſi illi, vtramque in partem flectere, & quaſi conuertere ſe poſſent.* Tertullianus lib. 2. contra Martionem. *Cum liberum, & ſuæ poteſtatis inuenis hominem, à Deo inſtitutum, nullam magis imaginem, & ſimilitudinem Dei in illo aduertere potes*. Clemens Alexandrin. 2. Strommat. *Neque vituperationes, neque honores, neque ſupplicia iuſta ſunt, ſi anima non habet liberam poteſtatem*. Origenes Homil. 4. in Cantic. *Pro arbitrij poteſtate poſſibile eſt, vnumquemque ex parte alterius tranſire ad partem Dei*. Cyprianus Epiſt. 55. ad Cornelium. *Homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus eſt*. Athanaſius oratione contra Idola. *Anima rationalis libera eſt, & ſui arbitrij*. Cyrillus Hieroſolym. Cathecheſi. 4. *Cognoſce animam eſſe ſui iuris, & liberæ poteſtatis.* Hylarius in pſal. 2. *Vnicuique noſtrum libertatem permiſit*. Epiphanius Hæreſi. 16. inter Hæreticos numerat eos, *qui liberum negant arbitrium*. Baſilius in pſal. 61. *Liberum in nobis arbitrium ſtatuendum.* Gregorius Niſſenus oratione de beatitudinibus. *Libera ſumma, plenaq́ poteſtas, quam in natura dominus fabricatus eſt*. Gregorius Nazianzenus oratione in cap. Matthæi 19. *tu rationem tibi inſitam, virtutis fomitem, per arbitrij libertatem exſuſcita*. Ambroſius in pſal. 4. *Homini dedit eligendi arbitrium*. Sic omnes alij; quod quidem etiam Caluinus fatetur: ſed dicit falſos eſſe Chriſti diſcipulos, præter Auguſtinum, qui ipſius iudicio liberum arbitrium negat. ſed vos animaduertite quæſo, quantum decipiatur

tur

ad quod volueris, porrige manum tuam. lib. Regum. 2. cap. vlt. *Trium tibi datur optio: Elige vnum*. Eſaia 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis*. Hieremiæ 21. *Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis: eligite*. Matthæi 11. *Si vultis eum recipere, ipſe eſt Helias*. Matthæi 16 *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*. eodem, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. eodem loco. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende*. Marci 10. *Quid vis tibi faciam?* 14. *Cum volueritis, poteſtis illis benefacere*. Ioann. 6. *Nunquid & vos vultis abire?* 7. *Si quis voluerit voluntatem meam facere, cognoſcet* 15. *quæcunque volueritis petite*. 1. ad Corinth. 7. *Si vult, nubat. Si vult, ſeruet virginitatem*. Sexcentis alijs ſacræ Scripturæ locis poteſtas noſtræ voluntatis apparet. præterea, (quod mirum videri poteſt,) adeò fouet Deus, liberumq; tuetur noſtrum arbitrium; vt ſæpe aliquid ipſe facturus ſit; ſed cum videat, non aſſentiri nos, id omittit, atque, vt ita dicam, ſuæ voluntati antefert noſtram. loci ſunt clariſſimi apud Eſai. 65. *Pro eo quod vocaui, & non reſpondiſtis: Et quæ nolui elegiſtis*. & Exod. cap. 10. dicitur, Pharaonem Deo reſiſtere. & in Act. cap. 7. Stephanus dicit Iudæis. *Semper ſpiritui Sancto reſtitiſtis*. & Prouerbiorum cap. 1. *Vocaui, & renuiſtis*. & Eſai. cap. 5. *Expectaui, vt faceret vuas, fecit autem labruſcas*. & eodem, *tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem*. & Apocalyp. cap. 2. *dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere*, & apud Matthæum. 23. *Quoties volui congregare vos ſub alis, ſicut gallina congregat pullos ſuos, & noluiſtis?* quare ſatis iàm intelligere poteſtis, auditores, an reperiatur liberum arbitrium: & Sacræ literæ à me ne, an à Caluino faciant. at fortaſſe, à Caluini cauſſa ſtabunt vetuſti patres. audite. in primis habemus nos tot concilia, tot ſedis Apoſtolicæ ſanctiones, ac decreta: præterea totos libros, voluminaq; ab Auguſtino, Gregorio Nazianzeno,

zeno, Proſpero Aquitano, Anſelmo, Bernardo ſcripta; quibus nihil aliud, niſi de libero arbitrio, ſeu de gratia, & libero arbitrio agitur. quòd ſi præcipuos locos quærimus. Irænæus lib. 4. cap. 9. dicit, *Homo verò rationabilis, & ſecundum hoc ſimilis Deo, liber in arbitrio factus, & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſſa eſt, vt aliquando palea fiat*. Iuſtinus martyr Apolog. 1. *Omnium verò, qui generati ſunt, hæc natura eſt, vitium, & virtutem accipere poſſe. neque enim quicquam eorum laude dignum eſſet, niſi illi, vtramque in partem flectere, & quaſi conuertere ſe poſſent.* Tertullianus lib. 2. contra Martionem. *Cum liberum, & ſuæ poteſtatis inuenis hominem, à Deo inſtitutum, nullam magis imaginem, & ſimilitudinem Dei in illo aduertere potes*. Clemens Alexandrin. 2. Strommat. *Neque vituperationes, neque honores, neque ſupplicia iuſta ſunt, ſi anima non habet liberam poteſtatem*. Origenes Homil. 4. in Cantic. *Pro arbitrij poteſtate poßibile eſt, vnumquemque ex parte alterius tranſire ad partem Dei*. Cyprianus Epiſt. 55. ad Cornelium. *Homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus eſt*. Athanaſius oratione contra Idola. *Anima rationalis libera eſt, & ſui arbitrij*. Cyrillus Hieroſolym. Cathecheſi. 4. *Cognoſce animam eſſe ſui iuris, & liberæ poteſtatis*. Hylarius in pſal. 2. *Vnicuique noſtrum libertatem permiſit*. Epiphanius Hæreſi. 16. inter Hæreticos numerat eos, *qui liberum negant arbitrium*. Baſilius in pſal. 61. *Liberum in nobis arbitrium ſtatuendum*. Gregorius Niſſenus oratione de beatitudinibus. *Libera ſumma, plenaq́; poteſtas, quam in natura dominus fabricatus eſt*. Gregorius Nazianzenus oratione in cap. Matthæi 19. *tu rationem tibi inſitam, virtutis ſomitem, per arbitrij libertatem exſuſcita*. Ambroſius in pſal. 4. *Homini dedit eligendi arbitrium*. Sic omnes alij; quod quidem etiam Caluinus fatetur: ſed dicit falſos eſſe Chriſti diſcipulos, præter Auguſtinum, qui ipſius iudicio liberum arbitrium negat. ſed vos animaduertite quæſo, quantum decipiatur

tur Caluinus, vel quantum vos decipere cupiat. nàm librorum, quos ſcribit Auguſtinus, alij ſunt quodammodò medij, & indifferentes, quibus ſimpliciter, & purè traditur doctrina Catholica: ſcripti aduerſus hæreticos alij: & hi plerunque vel contra Manichæum pro libero arbitrio; vel contra Pelagium pro gratia. itaque, cum aduerſus Manichæum differit, quamuis ſtudio Manichæi refellendi meam poſſet tueri ſententiam, ſi tamé cum Caluino ſentiret; ſaltem vbi ſine diſputatione docet, vel ſaltem omnino cum gratiam contra Pelagium tuetur aduerſari libero arbitrio cum oporteret. nunc attendite. aduerſus Manichæum quæ ſcribit, adeò plana ſunt, vt nihil ſit, de quo dubitari poſſit: nam totis tribus libris nihil agit, niſi, vt liberum arbitriũ probet: quod Caluinus ab eo negari ſomniat: ſed tùm etiam, cum non diſputat; id eſt libris de vera religione dicit: *Poſtremo ſi non voluntariè malefacimus, nemo obiurgandus eſt*. atque, quod maioris eſt momenti, cum contra Pelagium diſſerit; & quantum poteſt liberum arbitrium extenuat, deprimitq́;, vt gratiam amplificet, & extollat: lib. 2. cap. 6. de peccatorum meritis & remiſſio; tamen ait, *Poteſt homo, ſi vult, eſſe ſine peccatis.* & libro de natura, & gratia aduerſus eoſdem Pelagianos, dicit: *non enim cum iſta commemoramus, arbitrium voluntatis tollimus*. & lib. 2. de nuptijs, & concupiſcentia, vbi affirmauit, in homine liberum arbitrium eſſe, ſtatuit etiam, decernitq́;, opinionem hanc eſſe Catholicam: cum ait, *Hoc enim Catholica fides tenet*. igitur Auguſtini iudicio contraria opinio hæretica eſt. ergo Caluinus ille, qui ad *Auguſtinum appellauit, ad Auguſtinum iuit*: & Auguſtini ſententia hæreſis damnatus eſt. at ego amplius dico: qui liberum arbitrium hominibus auferat, hunc non ſolum hæreticum eſſe, verùm etiam rationis expertem, beluam, feram, ſtipitem. Et ſicuti cum ijs diſputandum non eſt, qui immortalitatem animæ negant, quoniam

doctrina

doctrina propria bruta ſe eſſe animalia fatentur: ità qui ſponte dicit, ſe liberum arbitrium non habere, perinde eſt, ac ſi pecudē ſe eſſe fateatur. itaque is ſibi ſapiat: ſinatq; vnum quemque in ſe ipſo experiri, an liberum arbitrium adſit, nec ne. nam ego nonne poſſum, & reticere, & loqui? & nunc nonne poteſtis ad arbitrium veſtrum me dicentem audire, vel non? ambages, & nugæ meræ: niſi verius appellandæ eſſent, maledicta, atque blaſphemiæ. ſed interim, quod à nobis promiſſum fuerat bona fide perſoluimus. docuimus enim, quamuis nos concupiſcentia ſemper incitet ad peccandum; libero tamen arbitrio non carere: & vim quidem fluuij ſemper nauim ad rupes impellere, ſed nihilominus illam remis inſtructam eſſe. reſpiremus.

PARS ALTERA.

NAM tenemus, auditores, in omnibus hominibus, ſiue ij ſint in gratia, ſiue in peccato, ſemper duo ineſſe, concupiſcentiam, & liberum arbitrium: nauem item ipſam duo habere ſemper, fluminis impetum, & remos. ſed ſatis adhuc nō fecimus. nàm, ſi noſſe cupimus, quæ cauſſa ſit, cur peccemus; opus eſt vltra progredi, & tria potiſſimum conſiderare. primū, an verum ſit, quamuis liberum arbitrium habeamus, non permittere Deum, vt eo vtamur; & ab eodem Deo nos ſecundum fluuij curſum ad rupes impelli, & ad peccandum cogi. deinceps vtentibus nobis libero arbitrio, an eo ſolo abſtinere à peccato valeamus, & ijs remis tantùm, abſque alia ope, ita conniti aduerſus fluminis vim poſſimus, vt in præcipitia non decidamus. poſtremò, cum nobis opus ſit Dei gratia, vt à peccato abſtineamus, an ipſa ſola virtutem abſtinendi det, an ad eam addi etiam voluntatem noſtram oporteat. hoc enim modo continuò videbimus, ſiue peccemus, ſiue non peccemus, quid horum

rum cauſſa ſit. Et quidem, quòd ad primum pertinet, auditóres, nihil, aut omnino parum referret, liberum arbitrium haberemus nec ne, ſi vera eſſet blaſphemia, quam euomit Caluinus; Deum ſolum eſſe peccati mei cauſſam, cogereq́; me ad peccandum: ſimili ratione, qua reus etiam liberum habeat arbitrium, & nihilominus vti illo non permittatur, cum vi detruditur, & compingitur in carcerem. ait etiam fieri poſſe, vt nauis habeat remos, qui tamen nulli vſui ſint, ſi fluuij dominus eis vti prohibeat, & impetum amnis adaugeat, & præter aquarum rapiditatem, qua feratur nauis, illam ſumma vi ipſe præterea ad præcipitia impellat. hanc impietatem Caluinus profert, Deum cauſſam eſſe peccati, & cogere nos ad peccandum: neque id mihi videtur mirum. nam *abyſſus abyſſum inuocat*, & Stibium vomitum mouet. Et, vti dicunt Iuſtinus martyr Apologia, & quæſtio. 8. quæſtio. Græcanicarum; Tertullianus exhortatione ad caſtitatem, & Ambroſius lib. 2. de Caimo. cap. 9. & cōplures alij; qui liberum arbitrium negat, conſequens eſt, vt neceſſariò Deum auctorem peccati faciat. ſed quamuis concederetur in nobis eſſe liberum arbitrium; parum tamen id prodeſſet, ſi nos illo vti Deus prohiberet, atque ſi ipſe nos ad peccandum cogeret. Erit, igitur, huius partis prima concluſio; quiſquis affirmet peccati auctorem eſſe Deum, facere quidem eum, quod à nonnullis alijs hæreticis aliquando factum eſt, ſed tamē maledictum proferre, non ſolum omnino falſum, ſed etiam prorſus execrandum, & deteſtabile. qua in re non fundamento diuinarum literarum tantum innitor, quibus dicitur, *Nō Deus volens iniquitatem, tu es*, ſimiliter, *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius. mundi ſint oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum*. & ſententiæ Gregorij Nazianzeni oratione prima, contra Iulianum; qui dicit, *Deus mali auctor non eſt:*

&

& Auguſtini lib. octogintatrium quæſtionum quæſtio. 3. *Deo auctore, aut volente nemo ſit deterior*, & Fulgentij lib. pri. ad Monimum, *Deus non eſt auctor eius, cuius eſt vltor, quis namque, niſi prorſus inhumanus, & crudelis ea vlciſcatur, aut puniat, ad quæ ipſe hortatus fuerit, vel opem, aut fauorem præſtiterit?* ſed Baſilium, & Auguſtinum affero: quem Caluinus quandoque ſuum auctorem appellat, vt intelligatis, quibus coloribus is ab vtroq; eorum depingatur. nàm Baſilius Homilia ordine nona dicit, *Stultus, & verè à ſenſu alienus eſt, qui dixerit, non eſt Deus: ſimilis autem huic ſententiæ eſt*; audi Caluine, *nec quicquam à ſtultitia differt, qui Deum malorum cauſſam eſſe dicit*. & diuus Auguſtinus ad articulos ſibi falsò oppoſitos, articulo 10. dicit, *Deteſtanda, & abhominabilis opinio eſt* (arrige aures Caluine) *quæ Deum cuiuſque malæ voluntatis, aut actionis, credit eſſe auctorem*. tàm impia, deteſtabilis, & horrenda eſt hæc opinio, Deum eſſe peccati cauſſam, vt Manichæi, ab ea diſcrepantes, neſcienteſque, qua alia ratione ex his ſalebris euaderent, minus malum eſſe cēſuerint, deos duos, & duo formari principia; à quorum altero omnia bona, ab altero mala omnia manarent. Et Auguſtinus ipſe fatetur, ſe ad hunc ſcopulum ſuam nauim propè afflixiſſe, atque in errorem Manichæorum inductum fuiſſe. qui enim (inquit ipſe) arbitrij noſtri libertatem ignorat, neque ſcit, quo pacto fieri poſſit, vt opus idem à Deo bonum ſit, & à nobis malum; hunc in maximum errorem rapi oportet: nempe, vt credat, vel opera noſtra bona eſſe omnia; vel eſſe Deum auctorem mali: vel præter Deum optimum, alterum præterea Deum eſſe architectum, & effectorem mali. Et ego, (ſubiungit Auguſtinus) qui videbam maleficia multa ab hominibus committi, neque adhuc ſatis tenebam liberi arbitrij doctrinam, ſatius eſſe cenſebam Manichæorum ſententiam de duobus principijs ſequi, quàm credere, Deum eſſe mali auctorem. Ex quo vobis,

intel-

intelligere licet, quàm nefaria, abhominabiliſque ſit hæc opinio. præterea illud animaduertendum eſt, auditores, cenſere Caluinum, nos peccata non committere, niſi neceſſitate coactos. at mea ſententia, immò reipſa, ſi neceſſitate ad perpetranda peccata cogeremur, peccata non forent. nàm vel ipſe Ariſtoteles huic ſententiæ facile ſubſcriberet; actiones coactas non eſſe actiones humanas:& in ijs, quæ voluntate non facimus, *neque laudari, neque vituperari*. quod nàm, igitur, eorum cauſſa, vel meritum eſſet noſtrum, vel peccatum? aut quàm iuſtus eſſet Deus, qui propter ea delicta pœnam nobis irrogaret, in qua ipſe nos compuliſſet? plures in ſacris ſcripturis loci ſunt; quibus apertiſſimè peccata voluntaria diſtinguuntur ab ijs, quæ ignorantia, vel neceſſitate committuntur: puniunturq; tātummodò voluntaria, quoniam illa ſola verè peccatà ſunt. nam Deuteronom. cap. 19. conſtituuntur ciuitates refugij, in quas ij ſe ſe recipiant, qui non voluntate, ſed caſu hominem occiderint. & Ioannes cap. 15. dicitur, *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*. Et Paullus ad Timotheū ait. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci*. Præterea enunciationem hanc, *peccatum non eſt peccatum, niſi ſit voluntarium*, affirmant, veramq; teſtantur diſertis verbis Clemens Romanus, tertio, & quinto Recognitio. Irenæus lib. 4. cap. 71. Origenes 4. contra Celſum, Clemens Alexandrin. 7. Strommatum, Hilarius in pſal. 1. & 119. & crebrius cæteris omnibus eam inculcat Auguſtinus ille, ad quem Caluinus appellauit: nam iterat lib. pri. Retractatio. cap. 13. & duobus locis, libro de duabus animabus contra Manichæos, & alibi paſſim. quare peccati cauſſam noſtram eſſe voluntatem, non autem Deum, qui peccatum odit, & ob id pœna nos afficit, certiſſimum eſt. Neque ſatis eſt, eos ſacrarum literarum locos afferre, quibus dicitur. *Deus indurat: Deus obſcurat: Deus excæcat: Deus dat in*

reprobum

reprobum ſenſum; Et qui huiuſmodi ſunt: nam vera expoſitio, quam refellere Caluinum, non deridere more ſuo oportuit, ea eſt; oẽs locos illos intelligi, *permiſſiuè*, non *commiſſiuè*: quòd ſi aliquam ipſi Deo tribuendam in peccatis actionem putamus; dicemus, agere Deum opus pœnæ, non autem culpæ. vel agere, quod in peccato *paſſionis eſt*; non *actionis*. vel agere, dicemus, cũ gratiam ſubtrahit. vel agere, *quod naturale eſt, non quod eſt morale*. aut dicemus, *ad effectum concurrere, nō ad defectum*. vel agere, quod ad naturã pertinet, non quod ad vitium; & multis alijs modis exponemus; quos repetendos non cenſeo: tùm quia notiſſimi ſunt; tùm etiam, quoniam animus ad alia feſtinat. iàm igitur certi ſumus, habere nos liberum arbitrium, Deumq́; permittere, vt eo vtamur: quoniam *Sic vniuerſa adminiſtrat, ut proprios motus agere ſinat*: in flumine verò nos remos habere, neque vſum eorum, à Deo prohiberi; neque auctorem eſſe Deum, vt ad præcipitia feramur. neque à flumine cogi nos, ſed trahi; neque Deũ ad rupes nos impellere. quid, igitur, cauſſæ eſt, cur peccemus? paullò poſt intelligemus: ſed prius oportet videre nos, quod ſecundo loco propoſuimus, cum in flumine remos habeamus, & eis vti poſſimus, an ijs tantummodò efficere valeamus, ne ad præcipitia feramur. denique, an ſolo libero arbitrio, ſine alio auxilio concupiſcentiam ſuperare adeò poſſimus, vt peccatum non committamus. poſſe affirmarent Pelagius, & Cæleſtinus, & alij nonnulli, quos enumerat Hieronymus Dialogis contra Pelagianos: & Auguſtinus de perfectione iuſtitiæ, & de bono perſeuerantiæ. ſed nos cum ſancta Eccleſia negamus. Eſt enim recepta, veriſſimaq́; concluſio, non modò peccatorem ſolo libero arbitrio non poſſe intimæ concupiſcentiæ (præter ſtimulos externos) reſiſtere, quò minus peccatum committat; ſed ne adultum quidem, qui continuò baptizatus ſit, vel alio modo iuſtificatus, & in gratia Dei habere vires per illam ſolam gra-

tiam, qua iuſtificatur abſque alio Dei auxilio, & ſine perſeuerantiæ gratia, vt in ſtatu innocentiæ permaneat, & à peccato ſe abſtineat. verum quidem eſt, *liberum arbitrium in nobis extinctum non eſſe*, vt habet Tridentinum Concilium ſeſſio. 6. ſed *viribus attenuatum eſt*. verum eſt item, Samaritanum non interfectum, ſed vulneratum fuiſſe: id eſt, *non fuiſſe illi ablata naturalia, ſed fuiſſe vulneratū, in naturalibus*. & eſt verum, relictos naui fuiſſe remos; ſed admodum tenues, vt ijs tantùm, abſque aliqua præcipua ope, retineri nequeat nauis, quamuis ei ſit amicus fluuij dominus. nàm quis vnquam in maiori fuit gratia, quam Apoſtoli? & tamen, vt perſeuerare poſſent, orat Chriſtus, *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo*: & ad illos dicit, *Orate, ne intretis in tentationem*. & docet eos dicere: *ne nos inducas in tentationem*. & Paullus, affirmans affuturum nobis præcipuũ Dei auxilium, pri. ad Corinth. cap. 10. dicit, *fidelis Deus, qui non patietur, vos tentari ſupra id, quod poteſtis*. Dauid, cum eſſet in gratia, quòd ex ea non excidiſſet, Deum laudabat, dicẽs: *niſi quia dominus adiuuit me, paullò minus in inferno habitaſſet anima mea*. nam, vt pulchra iuſtificationis domus conſtruatur, Dei opus eſt auxilio: *Niſi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam*. ſed tamen, vt ædificium firmum ſit, neue vrbs, aut domus deſtruatur, neque à concupiſcentijs, & à tentationibus expugnetur, præcipuum adiutorem habere Deum oportet. *Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam*. à nobis ſemper poſtulandum eſt, ait Cyprianus, in orationem dominicam, *vt in eo, quod eſſe cœpimus, perſeueremus*. & Auguſtinus cap. 2. de bono perſeuerantiæ argumẽtatur hoc modo: *Cur enim perſeuerantia petitur à Deo, ſi nõ datur à Deo?* Hieronymus lib. 2. cõtra Iouinianum apertiſſimè dicit, & aptiſſimè ad rem noſtram, *Non ſic donatam eſſe liberi arbitrij gratiam, vt Dei per ſingula tollatur adminiculum*. Cyrillus.

rillus . xj. in Ioann. cap. 21. *Noſtra vis, niſi diuinitus ſuſtentetur, nulla penitus eſt*. præterea, *quid ſumus, ſi à conditoris noſtri protectione deſeramur?* ait Gregorius Moral. 23. cap. 19. Bernardus Sermon. 3. Cantic. *qui dedit voluntatem pœnitendi, opus eſt, vt addat & virtutem continendi*. declarant Concilium Cartaginienſe, Innocentio ſummo Pont. & Mileuitanum hæreſim eſſe, ſi dicatur, *Non opus eſſe petere diuinum adiutorium, ne decidamus. natura noſtra vllo modo ſeipſam in gratia Creatoris non adiuuantis conſeruare non poteſt*: Concilio Aracuſicano ſecundo. & Innocentius Papa Epiſt. pri. ad Concilium Cartaginienſe dicit, *Neceſſe eſt, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante, vincamur*. Et Cæleſtinus primus epiſt. pri. *nemo idoneus eſt ad ſuperandas Diaboli inſidias, niſi per quotidianum Dei adiutorium perſeuerantiam acceperit*. deniq; ſic ſtatuitur à Concilio Tridentino, ſeſſ. 6. cap. 13. *perſeuerantiæ munus aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt, eum qui ſtat, ſtatuere, vt perſeueranter ſtet*. itaque clariſſima eſt concluſio, ſecundo loco propoſita, adultum continuò poſt acceptum baptiſmum, vel qui quocunque alio modo in gratia Dei ſit, alliciente ad peccandum concupiſcentia, quamuis liberum arbitrium habeat, illud tamen eſſe tàm infirmum, tàm imbecillum, vt eo ſolo abſtinere peccato non poſſit: adeoq; tenues eſſe remos, flumen adeò rapidum, vt ſine dubio nauis ad præcipitia rapiatur. Quod verò tertio loco diximus, illud eſt, quod omnia conciliat, & redintegrat, & maximam ſpem affert: immò nos certiſſimos facit, ſi libero arbitrio vtamur, & pro viribus conemur nolle peccare, Deum per gratiam ſuam ſemper infirmitati noſtræ vires additurum, tantamq; opem libero arbitrio noſtro laturum, vt peccatum non committamus. cumq; in flumine fuerimus, ſi nobis ipſi non deſimus, ſed remos capiamus, & quærere ſalutem enitamur; ſemper ſine dubio fluuij dominũ ventum ſecun-

dum aduerſus aquæ curſum aſpiraturú,quò impetus ipſius coërceatur;vt,quamuis remi parùm firmi ſint,eorum tamen,& venti coniunctо auxilio,nauis conſiſtat, neque ad præcipitia rapiatur. Sed quare fluminis dominus (Caluinus ait) ſecundum ventum adeò non auget, vt ſine remorum vſu nauis ſecura ſit? quare non adeò largus in largienda gratia ſua Deus eſt, vt nobis nihil etiam agentibus liceat à peccato cauere, & ſtatum innocentiæ tueri? an fortaſſe quia non poteſt? erit,igitur,impotens. ò fraudes, ò Vulpem aſtutam! nunquam à malitia diſcedis, ſemper immoderatam libertatem, & licentiam quæris: opera excludis: labores recuſas: lectulos ſternis,& lecticam paras,quibus homines otioſi, propeq; oſcitantes ferantur in cælú. poteſt omnino Deus, abſq; cooperatione noſtra facere, vt non peccemus: cui dubium eſt? neque vult tamen. non quia inclemens ſit,ſed quia,*Miſericordia,et veritas* ſemper in Deo *obuiant ſibi:et iuſtitia,& pax oſculantur ſe*. itaque propter miſericordiá dat nobis gratiá Deus: & ob iuſtitiam vult noſtros liberi arbitrij conatus: vt inter miſericordiam, & iuſtitiam magnum innocentiæ noſtræ bonú oriatur. præterea,cum Chriſtus pro nobis paſſus, & mortuus ſit,æquú non eſt,nos ſine aliqua opera noſtra ſaluos eſſe. Et,quamuis ſine nobis crearit nos,nõ tamen ſine ope noſtra nos innocentes eſſe vult. Gratiam ſine libero arbitrio ſufficere Manichæus ſenſit,cui Caluinus hæret. liberú arbitrium ſufficere, quod alterum extremum eſt, Pelagius credidit. virtus inter duo extrema medium locum tenet: & inter hæc duo extrema veritas poſita eſt; quoniam neque gratia ſine libero arbitrio prodeſt; neque liberum arbitrium ſine gratia. ſed hinc gratia, indè libero arbitrio adiuuante concupiſcentiam ſuperamus: cùm remorú ope, tùm aura aduerſus curſum fluminis aſpirante vi ipſius reſiſtimus. inſignis ſanè, & ſanctiſſima liberi arbitrij, gratiæq; coniunctio: de qua,quoniá hodie locuti ſumus,quantú

ad

ad perſeuerantiam iuſti pertinere videbatur, rurſus etiam de eadem fuſius loquemur, cum de peccatoris iuſtificatione agemus. ſed quia dixeram, tribus ijs, quæ principio poſita ſunt, cognoſci cauſſam, quare peccemus, vel peccato abſtineamus, iàm plana, & aperta ſunt omnia. declarauimus enim, in nobis ſemper eſſe & liberũ arbitrium, & cõcupiſcentiam. præterea demonſtrauimus, nobis liberum arbitrium non auferri, neque nos ad peccandum cogi. diximus itẽ, ſolo libero arbitrio concupiſcentiam ſuperari nõ poſſe: ſed ſimulac velimus nos noſtro libero arbitrio cooperari, incrementũ nobis gratiæ ſuæ daturũ Deum: eiq; gratiæ, ſi conatus noſtros iunxerimus, omnino non peccaturos. itaque paucis affirmari poteſt, cùm liberũ arbitrium noſtrũ aſſentitur concupiſcentiæ, id eſſe cauſſæ, cur peccemus. quò verò non peccemus, idẽ liberum arbitrium, cooperãte Dei gratia, cauſſam eſſe: qua ratione peccatũ ſemper eſt voluntarium; & omne bonũ noſtrum, quòd ad continentiam ſpectat, ſemper oritur præcipuè à Dei gratia, ſed nunquam tamen ſine aliqua opera noſtra. Denique, vt ad exemplum reuertamur, adultus continuò poſt baptiſmum in naui eſt, amicum habet fluuij dominum: ſed tanta eſt aquæ vis, atque rapiditas, vt non longè abſit à præcipitijs. in naui ipſa remi ſunt, ſed adeò tenues, & infirmi; vt ijs tantummodò nauis retineri non poſſit. verùm promiſit dominus, vbi nos manum remis admouere viderit, & aliquid conari, ſe protinus auram aſpiraturum, quæ, remorum ope addita, quantulacũque ea ſit, fluminis impetum comprimat, & nauem ſiſtat. itaque, ſi nauis non rapitur, fit venti illius auxilio, ſimulq; remigij ope. quòd ſi feratur præceps; id accidit, quoniam remorum vſus aduerſus fluuij curſum non adhibetur; vel etiam ſæpenumero ad rapiditatem fluminis ita additur, vt noſtra voluntate, vbi cooperari gratiæ oportuit, concupiſcentiæ cooperemur. ſed in præſentia de his ſatis. Felices abite.

DISCEPTATIO NONA.

Qua docetur, eum, qui peccatum mortale commiſerit, quamuis in fœdo, atq; horribili ſtatu ſit, niſi moriatur prius, eximere tamen ſeſe ex eo periculo poſſe: id verò non fieri ſine gratia preueniente; quæ quidem vocet vniuerſos, ſed neminem cogat. itaque adiutos gratia nonnihil præſtare per ſeipſos oportere: neque ſolam fidem ſatis eſſe, quamuis ea uera eſſet fides, non autem inanis, fatuaq; Caluini fiducia; ſed quò iuſtificetur peccator, nonnulla opera eum addere fidei neceſſe eſſe; Contritionem ſcilicet, Confeßionem, Satisfactionem.

Contra ea, quæ Caluinus dicit toto ſecundo cap. lib. tertij Inſtit.

CONTIGIT ne vobis vnquam, auditores, longo itinere confecto, vt veſtris ſe ſe oculis tabula offerret, qua vel prouincias, & regiones emenſas, vel totum terrarum orbem depictum cerneretis? certè fieri tunc facilè potuit, vt magnam voluptatem caperetis, cum ſummo digito, calamiſtroue loca vobis nota in ea tabula quæreretis, vias omnes decurſas in memoriam reuocantes, paſſusq; ſingulos propè repetentes. hoc eram in loco: hinc diſceſſi: hàc iter feci: iſtùc veni: hac viam flexi: collem hunc aſcendi: montem illum ſuperaui: ad planitiem redij: flumen hoc tranſiui: in illo ſinu nauigaui: per hanc vallem, ſanè longam, hucuſq; perueni: nunc hic eſt locus, vbi ſum. Geographiæ tabulas, maximè diſtinctas, ſummaq; diligentia confectas mihi videor, Sereniſſime Princeps, voſq; auditores, appellare poſſe duas ſuperiores diſceptationes, quas à me proximis his diebus audiſtis: cum ijs nihil aliud, ſi memoria tenetis, deſcriptum, pictumue

ſit,

ſit, quàm itinera illa,quæ confecimus, ſtatusq́; illi, in quibus ab ipſa mundi origine ad hæc vſque tempora quandoque fuimus. hic, dixi, eramus, cum terreſtrem Paradiſum ſignificaui. per hunc inſignem originalis iuſtitiæ campum ſpatiabamur, cum Adami lumbis adhuc contineremur. ex hac rupe, propter Adami peccatum, in hanc miſeriæ vallem decidimus; cum fieri nō poſſit, quin omnes in originali peccato naſcamur. per hunc propagationis collem, in deſertas ſolitudines peruenimus: nati enim omnes ſumus in peccato. ſed aquas tranſiuimus,& ingreſſi ſumus in prata, quoniam, baptiſmo abluti, iuſtitiam baptiſmi conſecuti ſumus. at nihilominus infelices hùc tanquam de rupe nos præcipitauimus; vbi nunc verſamur. nam noſmet noſtro libero arbitrio peccatum mortiferum commiſimus, qua compede adhuc conſtricti detinemur. reliquum eſt,vt eiſdem tabulis diligenter quæramus, qua ratione ex laqueis, quos induimus, nos expedire, atq; redire in gratiam Dei poſſimus; quod hodie faciendum putamus. vel,vt noſtrum exemplum repetamus, diximus,poſt baptiſmum fuiſſe nos in naui, amicos quidem domino, ſed flumine admodum rapido, & infirmioribus remis. præterea diximus, non poſſe remis tantummodò inhiberi nauem, neque vim fluuij ſuperari: ſed enitentibus nobis, & remorum vſum adhibentibus, addere dominum aduerſus amnis impetum ventum adeò ſecundum, vt remis ſuſtineri nauis poſſet, & ſecura conſiſtere. addidimus poſtremò,quòd præcipites rapti ſimus, & in miſerum peccati lacum delati, id vitio noſtro, culpaq́; contigiſſe; quoniam remigio non vſi ſumus, quo rapiditati aquarum aduerſaremur. nunc id concedendo, (quod heu nimis eſt verum) iam à flumine nos in lacū raptos fuiſſe, quærenda eſt via, qua inde euadère poſſimus: de quo hodie dicemus. ſed metaphoras miſſas faciamus. diſceptatione prima ſecundæ claſſis *de homine* diſputauimus, quo in ſtatu

naſcamur, & quid nobis baptiſmus præſtet. quo verò in ſtatu ſimus poſt baptiſmum, antequàm in lethale peccatum incidamus, & quæ cauſſa ſit, cur peccemus, ſecunda vidimus. hac autem tertia ſtatum eius. qui peccatum mortale commiſit, & quibus modis eo liberari; & redire in gratiam queat, exponemus. quòd ſi diligenter, attenteq́; ſæpe me verba facientem audiſtis, nunc attentiores eſſe vos oportet: quoniam, quæ ſuperioribus diebus diximus, quamuis ad vos pertinerent; erant tamen eadē communia cum multis, & præteritum vitæ ſtatum continebant. quæ verò hodie dicturi ſumus, & veſtra propria erunt, & præſentem ſtatum veſtrum declarabunt. nàm donum originalis iuſtitiæ non vos, ſed Adamus obtinuit. primi peccati non vos, ſed primi parentes auctores fuerunt. exilij pœnam Deus quidem etiam vobis intulit; ſed nondum ab Adamo procreatis. peccatum originale, per propagationem contractum, in vobis fuit, ſed tùm, cum primùm formati fuiſtis. deletum eſt peccatum illud in vobis, ſed cum baptizati eſtis. innocentiam, per baptiſmum quæſitam, habuiſtis, ſed tantum (vt maxime vereor) quòad veſtra ætas adoleuit. re ipſa, & actu peccaſtis, ſed iàm antea. at peccato mortifero teneri, & veſtrum eſt, & nunc eſt; & hic vitæ veſtræ præſens eſt ſtatus. maxima verò vobis vtilitas afferetur, ſi hodie diligenter perpendamus, quàm horribilis ſit illius ſtatus, qui mortalis peccati ſarcina prematur. quæremus ergo, an quis in peccato mortali, ex hac vita decedens, in infernum trudatur, inde nunquam euaſurus: an ſpes ſit, quòad in mortali peccato quiſpiam viuit, vt eo liberetur. an peccatum mortale committens liberum arbitrium retineat. an eo ſolo ſaluus fieri poſſit. an omnes gratia præueniens vocet. an opus ſit gratiæ cooperari nos voluntate noſtra. an libero noſtro arbitrio, & Dei gratia iuſtificemur. denique, (quod ad nos ſpectat) an ſufficiat fides noſtra iuſtificationi; an verò fidei addi etiam ope-

ra

ra noſtra neceſſe ſit. Et quidem, auditores, ſi mihi id propoſitum eſſet, vt hoc loco peccati turpitudinem,& miſeriam amplificarem, ſimulq; exaggerarem ſocordiam,& imprudentiam veſtram,qui oblatam vobis euadendi facultatem negligatis; am pliſſimum dicendi argumentum haberem, quod ab omnibus vetuſtis patribus fuſius,& vberius tractatum eſt. ſed amplificationes concionibus relinquam, & ſatis mihi erit his diſceptationibus narrare, & docere. non igitur in eo verſabitur oratio mea, vt oſtendam,eum,qui lethalis peccati vinculo tenetur, eſſe Cælo exulem,carceri mancipatum, priuatum beatitudine, ſupplicijs deſtinatum,Paradiſo expulſum, ab inferis expectatum,longè diſtantem à gloria, carentem gratia, pœnæ proximum,in ſeipſo perturbatum, ab alijs diſſidentem, contemptum ab Angelis, à Deo reiectum, & alia ſexcenta pati. ſed quo more diſſeritur in ſcholis damna omnia, omnes iacturas ad duo mala redigam: vt,qui peccatum mortale habet, & reus culpæ ſit, & reus pœnæ. quæ, vt omnes facile percipiant, declaro,qui culpæ reus ſit, prorſus Dei gratia carere: qui verò reus ſit penæ,æterno igni deſtinatum eſſe. itaque, ſi quis,mortifero peccato implicitus,moriatur, vti reus culpæ,& à Dei gratia auerſus; nunquam ipſius aſpectu perfruetur, atque vt penæ reus,& igni deſtinatus, ad inferos detrudetur. quæ duo aſpectus diuini priuatio,& ignis æternus, à Theologis appellantur, *Pena damni, & pena ſenſus*. *damni*, quoniam Deum non videt: *ſenſus*, quia igne cruciatur. Significatur pœna damni,cum dicitur, *Excidetur*: pena ſenſus, cum additur, *Et in ignem mittetur*. pœna damni,cum iudex pronuntiat, *ite maledicti*. pœna ſenſus,cum adiungit, *in ignem æternum*. pœna damni, *mittite eum in tenebras*: pœna ſenſus, *ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. igitur omnia mala illius, qui cum lethali peccato intereat, duobus his comprehenduntur,vt per diuinam iuſtitiam ſemper Dei aſpectu careat, & perpetuas apud

inferos

inferos pœnas patiatur. Cúm agere *de homine* cæpimus, duas eſſe metas diximus, ad quas homo per varios vitæ ſuæ ſtatus perducendus eſſet, Cælum, & inferos. iam ad alteram earum peruenimus. vbi enim quis, perpetrato mortali peccato, decedit, antequàm eo liberetur; nulla fit amplius conditionis, ſtatuſuè mutatio, ſed continuò ad infernalem locum defertur, vbi *nulla eſt redemptio*, neque inde exeundi poteſtas, aut ſpes vlla reliqua eſt. huic ſententiæ neque Caluinus aduerſatur, neque tempeſtate noſtra (cuius nomen in memoriam mihi redeat) alius quiſquam. non ignoro quidem, antiquitus aſcriptum Origeni hunc errorem fuiſſe, vt cenſeret, æternas non eſſe apud inferos damnatorum pœnas, putaretq; finiri tempore, & eos inde tandem educi: quæ ſi vera eſſent, nondum alterum iter ego confeciſſem. nam, cum hominem, in mortifero peccato mortuum, ad inferos deduxerim, is rurſus mihi ab ijs reuocandus eſſet, agendumq; de ſtatu in quo eſſet, poſtquàm inde redijſſet. ſed longè aliter ſe res habet. conſtat enim, penas illas eſſe perpetuas, cùm pluribus clariſſimis ſacrarum litterarum locis; tùm quinque præſertim qui vobis afferuntur. Eſaiæ vltimo, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Iudith. 16. *Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſq; in ſempiternum*. Apocalypſ. xj. *Et fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum*. Matth. 9. ter repetitum. *Ite in gehennam, & in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*. & Matth. 25. vbi Chriſtus ſuo ipſius ore dicit, *ite maledicti in ignem æternum* itaque iam iter hominis illius confectum eſt, qui damnatur: illuc enim perducitur, vnde euadere nunquam poteſt: neque de illo quod amplius à nobis dicatur, ſupereſt quicquam. ſed quid de ijs dicemus, qui quidem peccatores ſunt, ſed nondum vitæ ſuæ curſum impleuerunt? atque, vt nunquam ab exemplo noſtro recedamus,

mus, cúm nauis rapta eſt ad præcipitia, indeq́ue in peccati lacum delata, propterea quòd vſum remigij neglexit, quo vim fluminis, addito ſecundi venti auxilio, ſuperare potuiſſet; animaduertendum eſt, an luceat; an iam adueſperaſcere incipiat: id eſt, an viuat adhuc peccator, an moriatur. & quidem, ſi tenebras, & horrores mortis expectat, tùm maximæ, turbulentiſſimæq́ue tempeſtates cooriuntur, tàm violentibus, & aduerſis ventis, vt in imum lacum demergi nauem, inde nunquam emerſuram, propè neceſſe ſit. conſurgunt ipſi dæmones impij, ſæuiſſimiq́;, qui animam illam ad tartara rapiunt, *vbi non eſt redemptio*. at, ſi nondum Sol occidit, neque adhuc lux adempta eſt; fieri ne poteſt, vt miſera nauis ſeſe ex horrendo peccati lacu eripiat, & ad gratiæ portum perueniens, ſalutem inueniat? fieri nè poteſt, vt viuens homo de peccatore iuſtus fiat, & iam amiſſam gratiam recipiat? dicunt multi, Nouatum negaſſe; cenſuiſſeq; prorſus, vbi quis peccatum mortale committat, nullum ei pœnitentiæ relinqui locum. ſed ſi quis Euſebium legat. cap. 6. & 28. & ſcriptorem alium, qui noſtra tempeſtate materiam hanc ſedulò tractauit, Nouati hæreſim non tàm impiam, ſceleſtamq́; fuiſſe, apertiſſimè cognoſcet. non deſunt quidem his etiam temporibus Anabaptiſtæ nonnulli, (cenſuerit id Nouatus nec ne) qui affirment, & mordicus teneant, eum, qui ſemel peccauerit, veniam nunquam impetrare. quod certè falſum eſt, atque impiũ adeò, & ſceleſtum; vt ne ſceleſtiſſimus quidem Caluinus id probet. nam lib. 4. Inſtitutio. cap. pri. ſectio. 3. aduerſus hanc ſententiam ſcripſit, & rectè ſanè: quoniam iuſtas partes tuebatur. quamuis in confirmanda re vera quid opus eſt teſtimonio fallaciſſimi iſtius, ſemperq́; mentientis? quòd autem homo, ſi millies cadat, millies ſperare veniam poſſit, Nouati tempore Cõcilio ſeptuaginta Epiſcoporum Romæ declaratum eſt. idem ſcripſit Cornelius Papa epiſtola ad Fabianum; item Cyprianus

toto libro de lapſis: item Ambroſius libris de pœnitentia: nec non Ioannes Chryſoſtomus libro de reparatione lapſi. quibus libris omnibus argumentum hoc præcipuum tractatur, & hoc dogma præclaris rationibus fundatur, præter innumeros locos, quibus ſancti patres, in alia materia verſantes, eadem affirmarũt. ſed locus eſt Paulli ad Hæbr. 6. qui aduerſari videatur: habet enim, *impoßibile eſt, eos, qui ſemel prolapſi ſunt, iterum per pœnitentiam reuocari*. cui tamen duplici ratione reſpondetur. altera eſt, pœnitentiam ibi, vt Chryſoſtomus ait, accipi pro baptiſmo: Paulliq; propoſitum eſſe, vt baptiſmum nullo modo iterandum eſſe demonſtret; & doceat, ſemel tantùm baptiſmo peccatum deleri. altera, verbum *impoßibile*, vt affirmant Cyrillus lib. 6. de Trinit. & Nazianzenus oratione 4. de Theologia, non ſemper ſignificare, quod fieri non poteſt; ſed etiam quod non facile fit: vt, *non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita*, ſic eo loco, *impoßibile eſt*; id eſt difficile eſt, *Eos, qui ſemel prolapſi ſunt, iterum per pœnitentiam reuocari*. Ceterùm poſſe peccatorem in gratiam Dei redire, certiſſimum eſt. alioquin Deus ore Prophetarum omnium nos decepiſſet: omnes enim Dei nomine veniam peccatoribus pollicentur. *reducet te Deus ex captiuitate*. & promittit Moyſes populo Deuteronom. 30. *reuertere ad me, & ego te ſuſcipiam. reuertere auerſatrix, & non auertam à te faciem meam.* dicit Deus apud Hierem. 3. *nolo mortem impij, ſed vt conuertatur, & viuat. Si egerint pœnitentiam in corde ſuo, dicentes, peccauimus, exaudies de cælo. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad dominum, & miſerebitur eius. Si impius egerit pœnitentiã omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt; non recordabor. ſi pœnitentiam egerit, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Iob Deum orabat, vt ſibi ignoſceret: *tu quidem greßus meos dinumeraſti, ſed parce peccatis meis*. Dauid miſe-
ricor-

ricordiam implorabat. *Miſerere mei Deus*. Chriſtus docet nos, vt dicamus, *dimitte nobis debita noſtra*. quid de Magdalena dicemus, ò mulieres? quid, ò viri de latrone? innumerabiles propè ſunt loci, & exempla, quibus clariſſimè probatur hæc concluſio; iuſtificari peccatorem poſſe: poſſeq; nauem è peccati lacu ad gratiæ portum peruenire: qua verò ratione, quæramus. Et quidem ijs locis omnibus, & rationibus, quas ſuperiore diſceptatione attulimus, probatur, tum etiam cũ mortifero peccato tenemur, manere tamen in nobis liberum arbitrium; & animam illud nunquam amittère, donec anima eſt. neque vllo modo dicendum eſt, quamuis vi fluminis acta nauis in peccati lacum miſerrimè trahatur, iccircò remos amitti: ſed cum in lacu ſit, an ipſis remis, abſque ope alia, in portum gratiæ perduci poſſit: & an peccator ſolo libero arbitrio, quod ſine vlla dubitatione retinet, iuſtificari valeat, illud ipſum eſt, quod nobis quærendum putamus. Et, quamuis Pelagius affirmaret, poſſe; cũ tamen ipſius opinio damnata ſit Cõcilio Mileuitano, & Araucuſicano Secundo, & Palæſtino, & ſuperioribus annis Tridentino; affero ego vobis, auditores, cum Eccleſia Catholica doctrinam, quam animaduertere maximè vos oportet. dico, igitur, non ſolùm neminem eſſe, qui libero arbitrio ſeſe peccato liberare poſſit, etiam ſi maximè conetur, ſed ne id quidem conſequi, vt ſecum ſtatuat, velle vti libero arbitrio, quò ex peccato ſeſe expediat, niſi Dei gratia excitetur, & inuitetur. egregiè ſanè. atque, inter duo hæc plurimum diſtat, auditores, an adiumentum afferatur mihi, cum quid facio; an ſuadear ad id faciendum, & vocer. Exempli cauſſa. infirma iacet in lecto fœmina: veſtimento omni exuta, ſomnoq; oppreſſa. hæc ſine dubio poteſt ſurgere, & veſtes induere; dummodò ſit, qui imbecillitati ipſius opem ferat: ſed ipſa, niſi expergiſcatur prius, neutrum certè faciet, quoniam dormit. & ecce beneuola mulier,

quæ

quæ in primis eam excitat; tùm ad ſurgendum adiuuat,poſtremò induit. hoc idem accidit, dum peccatrix anima iuſtificatur. nàm in peccato iacet: infirmis admodum liberi arbitrij viribus,& ſomno premitur: itaque tribus indiget: vt excitetur, adiuuetur, veſtiatur. primum præſtat gratia præueniens; alterum gratia cooperans; tertium gratia iuſtificans. nam præueniente ita excitatur, vt ſtatuat,velle ſeſe è peccatis eximere; ſine qua id nunquam ſtatueret. cooperante,liberi arbitrij motus adiuuantur, & corroborantur. iuſtificante, amicitia Dei conciliatur. Nauis (ad exemplum redeamus) in lacu eſt, infirmis remis, & extra portum. prætereа vecordi adeò, ſtupefactoq; gubernatore,vt is, niſi aliunde excitaretur, nunquam in animum induceret manum remis admouere, ſibiq; ipſi ſalutem quærere. itaque tria ſunt,quæ adiuuent. magna vox à littore procul auditur; qua inuitatur, ſuadeturq;, ne ſibi deſit: quod eſt gratiæ præuenientis beneficium. deinde, cum primùm remorum vſus adhibetur, adeſt auræ lenis afflatus, quo paullatim portum verſus impellitur: & hic fauor eſt gratiæ cooperantis. poſtremò in portum ipſum recipitur: quod donum eſt gratiæ iuſtificantis. niſi igitur voce illa nauclerus excitaretur, propè ſtupidus nullã operam daret,vt è lacu euaderet: niſi præueniens Dei gratia peccatorẽ inuitaret,nunquam ſecũ ſtatueret, ſeſe è peccatorũ laqueis eximere. hoc ipſum perſonant omnes loci illi propè innumeri, tàm crebrò ab Auguſtino aduerſus Cæleſtinũ,& Pelagium allati: ſed alios omittam,& tantũ teſtamenti noui nõnullos afferam. *Sine me nihil poteſtis facere. nemo venit ad me, niſi pater meus cæleſtis traxerit illum. ne nos inducas in tentationem. quos vocauit, hos, & iuſtificauit. neque volentis, neque currentis, ſed Dei eſt miſerentis. non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis,quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Potens eſt Deus omnem gratiam abundare facere in vobis. ſufficit tibi gratia mea. gra-*

tia

tia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, ne quis glorietur. ſexcenti alij ſunt, quibus docemur, quamuis liberum arbitrium etiam in peccato mortali retineamus, attamen ipſum ſolum non modo non poſſe nos peccato liberare, ſed ne præſtare quidem, vt ſtatuamus vti libero arbitrio, niſi à præueniente Dei gratia inuitemur. ſed hoc loco euellendus eſt omnino ſcrupulus. ſi enim abſque gratia præueniente nemo poteſt ſeſe ex peccato expedire, immò ne quidem conſtituere, vt ſe ſe expediat; dicet fortaſſe peccator aliquis, cur igitur culpæ meæ aſcribitur, quòd me peccatorum nexibus non exoluam, cum nequeam? cur vehementer accuſor, quòd ea non faciam, quæ in mea non ſunt ſita poteſtate? quid ego ſcio, an Deo placeat mihi ſuam præuenientem gratiam impertiri? fortaſſe mihi non eam tribuit, largitur autem illi: qua ratione fit, vt ego peccato tenear, ille liberetur. ſi omnis mea iuſtificatio meæ eſſet poteſtatis iure argui, & increpari poſſem; ſed cum omne principium à gratia oriatur, forte Deus hoc tam grandæ ſuæ gratiæ donum mihi non conceſſit. immò non fuiſſe conceſſum experior. Si enim me vocaret Deus, certè vellet; me è peccatis euadere. at voluntati ipſius nemo poteſt obſiſtere, igitur iam euaſiſſem. ſcrupulus hic, vt dicebam, ex animis veſtris mihi prorſus euellendus eſt. is duo continet: alterum, qua ratione poſſit eſſe certus peccator, conceſſam ſibi fuiſſe præuenientem gratiam. alterum, ſi Deus vult, (vti demonſtrabimus) peccatores omnes peccato liberari; quare non liberentur omnes, ſed eius voluntati repugnetur. quòd ad primum ſpectat, auditores, vti nemo eſt, qui certò ſciat, (quod poſtea dicemus, cùm opportunum fuerit) ſe iuſtificantem gratiam obtinere, *Et nemo ſcit, amore an odio dignus ſit*; ſic contrà nemo eſt, quin certus eſſe poſſit, ſe habere præuenientem gratiam. nàm Deus clementiſſimus (quod ad ſe pertinet) ſalutem vult omnium: neque peccator eſt quiſquam,

quam,

quam, quem Deus ſua gratia non vocet, atque ad expediendum ſe ſe peccato non inuitet. hoc diſertè affirmauit Paullus ijs verbis, *Omnes homines vult ſaluos fieri*. idipſum intellexit Chriſtus, cúm dixit, *multi ſunt vocati, pauci vero electi*. quamuis enim per vocem *multi* vocatio ad nonnullos tantùm, non ad omnes pertinere videatur; nihilominus tamen, qui paullò attentius ſacras ſcripturas euoluerint, ſatis intelligent, hoc loco, *multi* ſignificare *omnes*: eodem modo, quo in Geneſi dicitur; *Eris pater multarum gentium*, id eſt, *omnium*. apud Ionam, *Deus multæ miſericordiæ*, id eſt, *omnis*. in Pſalmis, *Multa feciſti tu domine*, id eſt, *omnia*. apud Iob, *dat eſcam multis mortalibus*, ideſt omnibus. apud Eſaiam. *Peccata multorum tulit*, id eſt, *omnium*. apud Matthæum. *Animam ſuam redemptionem pro multis*, id eſt, *omnibus*. apud Marcum, *qui pro multis effundetur*, ideſt, *omnibus*. apud Lucam, *remittuntur tibi peccata multa*, id eſt, *omnia*. ad Romanos, *multi vnum corpus ſumus*, id eſt, *omnes*; ad Hebræos, *ad multorum exhaurienda peccata*, id eſt, *omnium*. ſic alibi creberrimè. cum piſcator hamum in mare iacit, non hunc, vel illum piſcem ſibi petit, ſed ſine diſcrimine omnes cupit, quamuis eos tantùm capiat, qui hamum vorãt. ſi in obſcurum conclaue, in quo multi ſint manibus oculos contegentes, fax accenſa deferatur, non illius magis, quàm alterius cauſſa defertur, ſed vt ij cernant qui oculos retexerint. Si diebus ſingulis mille naues, ad rupes impulſæ, flumine concupiſcentiæ in peccati lacum raperentur, ab omnibus ijs magna in littore voces exaudirentur; Ecce hic portus: hùc proras conuertite, è lacu exite, properate, ne præcipitii nocte opprimamini, cauete. huiuſmodi clamores à naui qualibet audiuntur. quãuis illæ tantùmmodo ſaluæ fiant, quæ vocibus parent, & portum petunt. denique ſi quis eſt, qui mihi non credat, à ſeipſo repoſcat, dicatq; peccator omnis, nullum ne tempus abeat,

quin

quin in corde ſuo perpetuò ferè vocem illam audiat, qua excitatur; & quin gratiam præuenientem ſentiat, qua inuitatur à Deo. ſed obijciebatur ſecundo loco: ſi omnes à Deo vocantur, & nemo eſt, quem Deus nolit ſaluum fieri; cur omnes peccato non liberantur? qua ratione aliquid fit, quod Deus nolit? eadem, auditores, repetere poſſemus, quæ heri dicebamus, nos ſcilicet interdum noſtro libero arbitrio Dei voluntati aduerſari. quare idem dicebat Deus, *Vocaui, & renuiſtis: volui vos congregare, & noluiſtis.* & dicit Auguſtinus, *Sic vniuerſa Deum adminiſtrare, vt proprios motus agere ſinat.* ſed præter hæc, vt etiam ad locum illum Paulli præcipuum reſpondeamus ad Timoth. pri. *Omnes homines vult ſaluos fieri*, dicimus, ò docti, hanc Dei voluntatem ſufficientem eſſe, non efficacem: vel voluntatem antecedentem, non conſequentem: vel voluntatem ſub conditione, non abſolutam: vel voluntatem indicij, non beneplaciti: vel voluntatem per *vellem*, non per *volo*. denique *vult omnes homines ſaluos fieri, ſi ipſi volunt*. id eſt, quòd ad ſe pertinet, gratiam præueniẽtem largitur omnibus, per quam ſaluus fieri poſſis, ſi velis: ſed non cogit. *Deus nolentes non cogit, ſed volentes trahit*, inquit Chryſoſtomus. Deus omnes inuitat, ſed neminem iuſtificat, qui munus oblatũ aſpernetur. E cælo Paullum inuitauit, vocauitq́; , cùm dixit, *quid me perſequeris?* è cælo item inuitauit, & vocauit Iudæos, cum dixit, *ipſum audite*. gratiæ donum accepit Paullus, Iudæi nõ acceperunt: & iuſtificatus eſt Paullus, Iudæi verò iuſtificati non ſunt. Paullus, & milites Chriſtum perſequuntur: Chriſtus hos, & illũ vocat: Paullo dicit, *quid me perſequeris*; militibus, *quem quæritis?* & Paullum, & milites proſternit: at quoniam Paullus donum accipit, iuſtificatur; milites non iuſtificantur, quia non accipiunt. Chriſtus inuitat Paullum, dúm eum ſenſu oculorum orbat: & idem Chriſtus per Paullum Salaminæ magum inuitat, dùm eum excæcat: ſaluus fit Paul-

lus, quia gratiam accipit; condemnatur magus, quia gratiæ reſiſtit. dicebamus item ſuperiore diſceptatione, Deum nolle nos ignauos, & ſegnes; neque ſine nobis velle iuſtificare nos. itaque ſicut in gratia perſeuerantiæ non ſola ea ſufficit, niſi concurrat liberum arbitrium ad concupiſcentiam ſuperandam, antequam peccatum committatur; ita poſt peccatum, ad iuſtificandum nos, non ſatis eſt gratia præueniens, niſi eidem gratiæ libero arbitrio cooperemur. niſi luceat, non cernis: ſed ne in magno quidem lumine cernere poteris, ſi oculos tegas. abſque hamo non capitur piſcis; ſed ne hamo quidem, niſi ad eum piſcis decurrat. nauigantes ipſi nunquam ſtatuerent ſeſe in portum recipere, niſi voces eorum, qui in littore ſunt, exaudirent: ſed ne vocibus quidem excitati, in portum peruenient, niſi vento, qué diximus adiuti, remis etiam nauim impellant. denique, quòd ad vtramque ſcrupuli illius partem attinet, conſtat, præuenientem gratiam peccatoribus omnibus dari: ſed quæ tantùm inuitet, quia Deus operam, & induſtriam noſtram requirit. itaque ſumma omnis iuſtificationis noſtræ in eo ſita eſt, vt inuitanti Deo non aduerſemur, & voluntate noſtra gratiam ipſius accipientes, nos etiam, quæ præcipit Deus, & quæ fieri oportet, faciamus. ſed quæ ſunt? continuò dicemus. reſpirate.

PARS ALTERA.

IAM vox toto litore perſonans exauditur, quæ vectores appellat, vt remos capientes, & ſecundo adiuti vento, qui ſine dubio aſpirabit, ex cænoſo, turpiſſimoq; lacu, in quo miſerè iacent, euadant, & ad portum perueniant. qui verò remi ſunt, quos capere oporteat? ſcimus gratia Dei præueniente inuitari peccatores omnes, & vocari, vt, ipſis etiam aliquid facientibus, Dei auxilio, quod ſemper adeſt, peccato ſeſe expediãt,

& in gratiam redeant. ſed quænam peccatorem facere opus eſt, vt peccato liberetur? hinc, Sereniſſime Princeps, oritur acerrima ſanè dimicatio: dum Caluinus, & ego contendimus, & Euangelici à Catholicis omnino diſſentiunt. nam quòd ad hoc præcipuum caput iuſtificationis pertinet, ſola fide iuſtificari peccatorem exiſtimant, neque illi quicquam aliud agendum eſſe, niſi vt credat. at contra ſancta docet Eccleſia, ad iuſtificationem conſequendam fidem quidem omnino eſſe neceſſariam, ſed ſolam non ſatis eſſe, neque peccatorem vnquam amiſſam gratiam recepturum, niſi ad fidem ipſam illa etiam acceſſerint opera, quæ vobis ego paullo poſt exponam. nullius vſus, planeq; dementes ij nautæ ſunt, qui altera tantùm nauigij parte remis incumbunt; altera otioſè quieſcunt. nam peritiſſimi, maximeq; exercitati gubernatores docent, non ab vno tãtum, ſed ab vtroque nauis latere, ſi ſalui eſſe velimus, remos eſſe adhibendos. nauis, auditores, eſt anima, & remi vires animæ. vires ipſæ vel duæ ſunt tantùm, (nam memoria nihil eſt aliud niſi intellectus, qui cum obiecta re coniungitur) vel, ſi plures ſunt, nos hodie de duabus his tantúmmodo loquemur. ſtatuentes, igitur, intellectum ad ſiniſtrum nauigij latus, voluntatẽ ad dextrum; dicimus, ſi actionibus intellectus tantùm ſalui eſſe poſſemus, ſiniſtro tantùm latere remis vtendum eſſe. at, ſi præter actiones intellectus, exerceri nos diſtinctè oportet actionibus etiam voluntatis, profectò ab vtroq; latere nauigium remis agendum eſt. Caluinus, & Euangelici omnes affirmant, ad iuſtificationem noſtram ſatis eſſe, ſi credamus: quòd quidem ad intellectum ſolum pertinet. nos verò, Eccleſiæ ſanctæ ſemper hærentes, dicimus, non ſatis eſſe, ſi credamus ſolùm; ſed oportere etiam nos operari, quod certè ad noſtram voluntatem ſpectat. itaque huc omnis controuerſia, difficultasq; cõuertitur, altero ne latere, an vtroque remis vtendum, vt im-

pellatur nauis. ſed antequàm ſignum prælij demus,& certamen ineamus,quid, ò prudens auditor, quid quæſo ſibi vult hæc tàm plana, tàm expedita, tàm facilis iſtorum ad ſalutem via? quo conſilio ab iſtis Euangelicis docentur populi, nihil aliud eis agendum eſſe, niſi vt credant? Ego verò quamuis optimè norim, tanto te iudicio præditum eſſe, vt id facilè per te intelligas, ſi tamen cupis planè cognoſcere, audi, quæſo, Lutherum Euangelicorum Patriarcham,paucis quidem,ſed clariſſimè rem omnem explanantem; Lutherum, inquam, illum, diſſimulandi non magnum artificem; cum Caluino certè non conferendum; qui,vbi iuſtificationis diſciplinam tradidit, eamq; perfici ſola fide differuit, poſtremò epiphonema turpiſſimum addidit, & doctrinam ſuam clauſit his verbis: *Iam vides, quàm diues ſit homo Chriſtianus; qui etiam volens, non poteſt perdere ſalutem ſuam, quantiſcunque peccatis, niſi nolit credere.* ò vocem non modò nefariam, & impiam, ſed etiã omnis impietatis fomitem? confluet omninò, mihi credite, confluet ad hos pſeudoapoſtolos magna mortalium multitudo,cùm audierint muniri ab ipſis tàm planum, tàm molle, tàm cunctis peruium iter ad cælum. hoc vnum meditati ſunt, ad hoc omne ſtudium, omnem operam contulerunt, vt docentes, facillimè ſalutem, nulloq; negotio quæri poſſe, magnum numerum mulierum, & virorum allicerent tantæ libertatis ſpe; menteſq; eorum hoc doctrinæ ſuæ melle delinirent, vel veneno potiùs inficerent. ſed, bone Deus, nonne illud omnem modum excedit? *non poteſt perdere ſalutem, quantiſcunque peccatis.* perinde, ac dicat; fidem habeat homo: deinde luxuria diffluat, obſcœniſſimis voluptatibus ſe dedat, adulter ſit, prophanet ſacra, iura polluat, furetur, maledicat, Chriſtum ipſum affigat cruci. hæc omnia nihil officient, nihil prorſus: dum credat, ſaluus omninò fiet, etiam *quantiſcunque peccatis.* fides ad ſalutem
ſatis,

ſatis,ſuperq; eſt. Ceterùm exterminemus Sacramenta. pœnitẽtia nihil eſt. quid opus eſt confiteri peccata? quid Euchareſtiam ſumere? quid ieiunio libidinis faces extinguere? quid preces effundere? quid ſummo labore tentationes ſuperare? ò animæ meæ chariſſimæ, an quiſquam eſt, non dicam Chriſtianus, ſed Chriſtiano nomini infenſus, & omnino barbarus, atque homo ſaltem nomine, qui apertè non intelligat, hoc modo auditores non doceri, ſed decipi? neque alia de cauſſa, niſi vt opera omnia deleantur, & auferantur, tantopere fidem extolli? tametſi, vt poſtea cognoſcetis, quam ipſi fidem appellant, non eſt fides. nam ego aduerſus illum Caluini locum, tertio Inſtitutio. cap. 3. in quo ab altera tantùm nauigij parte remis vtendum docet, & in ſola fide iuſtificationem ſtatuit, quatuor mihi facienda, & breuiter ſanè, propoſui. primum, vt oſtendam non eſſe fidem, quam Euangelici fidem vocant. alterum, hac eorum fiducia non ſolùm non ſaluos nos fieri, ſed etiam damnari. tertium, vt concedam, ad iuſtificationem fidem eſſe maximè neceſſariam. poſtremum, vt planum faciam, non ſatis eſſe ſolam fidem, ſed nonnulla etiam opera addere nos oportere. Caluinus, igitur, lib. 3. cap. 2. ſectio. 7. fidem diffinit hoc modo. *Iuſta fidei diffinitio nobis conſtabit, ſi dicamus, fidem eſſe diuinæ erga nos beneuolentiæ firmam, certamq́ cognitionem.* multa præterea cum addat Caluinus eo tantùm conſilio, vt diffinitionem inuoluat, & maniſeſtum mendacium tegat, quantum poteſt, duobus ego verbis exponam, quid ſit Caluini fides, vobis etiam, ò Caluiniſtæ, id fatentibus. Fidem ille habet, (Caluinus inquit) qui fiduciã certam habet, & firmiſſimè confidit, ſe iam in gratia Dei eſſe per merita Chriſti. & inde oriuntur, *Placida illa quies, & ſerena illa conſcientiæ tranquillitas*, quibus (ait ille) qui fidem habet, præcipuè certus eſt, iam ſibi remiſſa eſſe peccata. itaque fides veſtra, ò Caluiniſtæ, nihil aliud eſt, quàm fiducia, ſiue cõ-

fidentia: nec tamen vniuerſalis confidentia miſericordiæ Dei in omnes: ſed confidentia præcipua iàm receptæ Dei miſericordiæ, qui vobis peccata remiſerit. quod neque verum eſſe, neque hanc eſſe fidem, quæ cum operibus ad iuſtificationem neceſſaria eſt, alijs etiam rationibus oſtendam poſtea, ſi prius demonſtrauero, Caluinum ipſum, vi compulſum veritatis, faſſum fuiſſe, quid ſit vera fides, ſponteq; declaraſſe, non eſſe fiduciam. nàm eodem lib. 3. cap. 2. ſectio. 6. de fide loquens, dicit, *Principio admonendi ſumus, perpetuam eſſe fidei relationem cum verbo.* Et quidem rectè docet. nam ſicut perpetua eſt inter auditum, & ſonum relatio, (vt verbis iſtius vtar) ſiue inter ſaporem, & guſtum; ita perpetua eſt relatio inter fidem, & verbum Dei. & ſicut ſub ſenſum auditus cadit ſonus omnis; & ſub guſtus ſenſum omnis ſapor; neque quicquam auditur, quod ſonum non habeat; neque guſtatur, ſi ſapore careat; ita ſub fidem Theologicam cadit omne Dei verbum: neque quicquam aliud, niſi verbum Dei. itaque Theologica fides illa eſt, qua omni Dei verbo aſſentimur, credimuſq;, quicquid Deus aperuit; ea ratione, quia aperuit Deus. quibus ſic ſe habentibus, poſſem ego nunc, ò Caluiniſtæ, pluribus vos arguere, quærereq;, quî fieri poſſit, vt fidem habeatis vos, cum verborum Dei partem eam tantùmmodo probetis, quæ ſcripta eſt; alteram verò, quæ ſcripta non eſt, excludatis: ſed, vt in præſentia tantùm de parte ſcripta loquamur, qua ratione affirmabitis vos, ad totam eam veſtram referri fiduciam? nam & Caluinus ipſe ſectio. 6. expreſsè dicit, hac fiducia partem eam ſcripturæ tantùmmodo reſpiciendam eſſe, qua Dei voluntas erga nos aperitur. & quidem ita ſe rem habere, neceſſe eſt. nam, ſi mea fides nihil aliud eſt, niſi vt fiam certus, me per merita Chriſti liberatum eſſe; ad hanc meam cōfidentiam ſtatuendam, quid opus eſt ſcire me, Ioſephum in Aegyptum profectum eſſe: Moyſem ex Aegypto egreſſum: red-
ditam

ditam à Petro Tabitæ vitam, à Paullo Eutichi? denique, quid mea refert, ſcire me aliud, niſi eos locos, quibus me Deus per Chriſtum liberum fore pollicetur? vel, vt Caluinus ait, quibus Deus ſuam in nos voluntatem patefacit? immò, ò Caluine, ne omnes quidem ij loci,quibus de voluntate Dei agitur, ad hanc fidem pertinebunt. cum enim Dei voluntas erga nos interdum benigna ſit, interdum verò ſeuera; vt modò nos beneficijs afficiat, modò puniat; per tuam fiduciam eorum locorum rationem tantùm habebimus, quibus beneficia promittit Deus,non eorum,quibus comminatur pœnas. atque id tu ipſe fateris,cum dicis, *Vox Dei ad Adam, morte morieris, vox Dei ad Caim, ſanguis fratris tui clamat ad me de terra,* & quæ his ſimilia ſunt, *nihil per ſe, niſi fidem quatefacere queunt: tantum abeſt, vt ſtabiliendi ſint idonei.* itaque luce Solis clarius eſt, auditores, fiduciam hanc vel ipſius Caluini iudicio, non eſſe veram fidem. nam vera fides, vt Caluinus ſentit, ad omne Dei verbum refertur: hæc verò inanis, fatuaq; fiducia, eiuſdem iudicio, nihil de alijs Dei verbis laborat, niſi de his, quibus ſalutem Deus ipſe pollicetur. præterea exiſtimo ego, credere vos, fidem, de qua in iuſtificatione agitur, illam eſſe, quæ Theologica eſt: & diſtincta à ſpe, & à charitate; de qua Paullus dicit, *Nunc manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc:* &,quam ipſe diffiniuit ijs verbis, *Subſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.* ſed nunc tribus in ijs virtutibus (quod in humanis corporibus fieri ſolet) anatome, ſiue diſſectione quodammodo vtamur, & planiſſima erunt omnia. hæ virtutes ideò Theologicæ dicuntur, quia *attingunt Deum immediatè:* quia immediatè Deum reſpiciunt. Iuſtitiæ finis eſt, vt ſuum cuique tribuat: Fortitudinis, vt pericula non metuat. quod de alijs etiam ſimili ratione dicendum eſt. ſed fidei finis eſt Deus, ſpei Deus, charitatis Deus. vt verò *Deum attingamus*, ea maximè ratione fit; quòd, cum Deus, vti

ſpiritualis res, viribus corporeis tangi nequeat, ſed tantùm modò ſpiritualibus; nos,qui Deum intueri, audire,guſtare,palpare, & odorari non poſſumus,duabus ſolúm viribus *attingimus ipſum*; intellectu nempe, & voluntate. & propterea duæ tantùm Theologicæ virtutes numerarentur; niſi voluntas duas haberet partes: alteram, quæ reſpicit, quod iuſtum eſt: alteram,quæ ad commodum pertinet. ſi igitur duos ipſius actus cum intellectus actu coniungimus, iam tres actus tenemus, quibus *attingimus Deum*. itaque tres etiam habitus habere nos oportet, quos gubernemus: actus intellectus eſt, vt credamus: actus voluntatis, cum iuſtum ſpectat, vt amemus. cum verò commodum; vt optemus. neque nos alijs actibus *immediate* de Deo agimus, niſi tribus his, cum Deum credimus, cum amamus,cum in eo ſperamus. cum autem hi regendi ſint actus; vt bene Deū credam, me inducit fides: vt bene amem,charitas: vt bene ſperem, ſpes. adde amplius,quòd ſi Deum tribus modis conſideremus, cum narrat, cum iubet, cum promittit; ipſe trium horum actuum regula eſt. nam tunc demum rectè credo,cum ea credo omnia, quæ Deus narrat. bene amo, cum omne id amo, quod Deus præcipit. bene ſpero, cum vniuerſa ſpero,quæ Deus pollicetur. hæc autem eſt anatome, de qua paullo ante dicebā: neque inde vos aliud haurire volo, niſi fidei conditiones, diſcrimenq́;, quod eſt inter ipſam,& alias virtutes, & præcipuè inter ſpem. id eſt fidem in intellectu ſitam eſſe,& ſpem in voluntate. Fidem intelligere, ſpem optare, & ſecuram fieri. fidem,omnia quæ Deus narrauit, reſpicere: ſpem autē id tantùm modò, quod pollicitus eſt. tum,peto, vt vos ipſi ſtatuatis, an Caluini fiducia ſit fides; an verò ſpes. fides eſt, (manifeſtum eſt omnibus) *qua intelligimus. Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula*. & fiducia Caluini, *confidimus*. igitur erit ſpes. denique quod clariſſimum eſt, & negari non poteſt,fide ea reſpicimus omnia, quæ à Deo narrata

rata

rata ſunt, *aptata eſſe ſæcula*, & huiuſmodi: hac verò fiducia vel ipſius Caluini confeſſione promiſſionum Dei tantùmmodò rationem habemus: ergo ſpes eſt. & quidem, auditores, mater, & filia non idem ſunt: neque fieri poteſt, ſi quis ab aliquo oriatur, vt idem ſit, quod ille, à quo naſcitur. at ſine dubio fiducia, & confidentia ex fide oriuntur, neutra, igitur, eſt fides. Exempli gratia: dum ego Deum precor, habere me oportet in eo cōfidentiam, id eſt, virtutem, mediam inter deſperationem, & arrogantiam; per quam ſperem, me poſtulata à Deo impetraturum; vt Iacobus ait epiſtola pri. cap. 3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo*. ſed qui confidentiam ponit; prius fatetur fidem. niſi enim Deum eſſe credidero, & poſſe eum beneficia conferre, & preces noſtras audire, & ſimilia; confidentiam nūquam habebo. igitur confidentia fidei quidem filia eſt, ſed nō eſt fides. quòd, ſi mihi non creditis, confidentiam, & fiduciam eſſe fidem non poſſe, quoniam oritur ex fide; Paullum audite, Paullo ipſi credite, qui vobis id affirmat ad Epheſ. 3. ijs verbis, *In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia*, Ecce filia. ſed per quem? *per fidem*: en mater. præterea fundamentum, & parietes ſunt ne idem? minimè verò. ſed fides fundamentum eſt: ſpes autē, vel fiducia ſunt parietes. audite Paullum dicentē, *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum*. igitur fides, & fiducia non ſunt idem. & Chriſtus ipſe nonne luce clarius oſtendit, quātum interſit inter fidem, & fiduciam, demonſtratq;, poſt fidē oriri fiduciam, cum apud Matt. cap. 9. mulierem illam, quæ iam ſalua facta erat per fidem, iubet habere fiduciam? *Confide filia: fides tua te ſaluam fecit*. quòd ſi mea fides nihil eſt aliud, quàm fiducia, me ſaluum eſſe; qua ratione Apoſtoli Symbolum ſuum appellarunt articulos fidei, in quo tàm multa dicuntur, nihil ad Chriſti promiſſiones ſpectantia? denique, auditores,

iam cæcis ipſis clariſſimum eſſe puto, quam Caluinus, & alij hæretici fidem appellant, non eſſe fidem: qua ex re vos intelligere poteſtis, an ea ſola nos iuſtificet. Nunc verò, quod ſecundo loco propoſueram, aggredior. & paucis dico, fiduciam huiuſmodi, (ſiue ea fides ſit, ſiue non ſit fides) per quam volunt, vt me ſaluum eſſe mihi perſuadeam, non ſolùm non profuturam ad iuſtificationem, ſed etiam peccatum fore, & damnationem allaturam. Et quidem, auditores, velim, vos diligenter attendere: res enim permagni momenti eſt. nos pariter in Chriſti ſanguine confidentiam habemus: ſed tribus additis, quibus omnino caret Caluini confidentia. primùm enim confidentiam generatim habemus de omnibus, non de vno quopiam, aut de ſingulis. præterea habemus conditione adiecta, non ſimpliciter. poſtremò nunquam de aliquo confidentiam habemus tam exploratam, tàm compertam, vt putemus aliter eſſe non poſſe. cõfidimus Chriſti ſanguinem & ſaluos feciſſe, & facere, & facturum homines vniuerſos: non propriè, nominatimq́; hunc, vel illum. confidimus, ſanguinem Chriſti id demum præſtiturum ea lege, & conditione, ſi applicetur, non ſimpliciter. denique de ijs etiam, qui iam mortui ſunt, (præter illos, quos in Sanctorũ numerum ſolenniter ſancta retulit Eccleſia) non aſſeueramus, aliquem certò, & ſine vlla dubitatione ſaluum eſſe. quæ quidem confidentia vniuerſè, & ſub conditione optima eſt: peſſima verò, quæ ſimpliciter, & de ſingulis habetur. dementis enim, & grauiter peccantis eſt, dicere; confido meipſum per Chriſti ſanguinem ſaluum eſſe. *Via ſtulti recta in oculis ſuis,* ait Salomon. & idem, *Sunt impij, qui ita ſecuri ſunt, quaſi opera iuſtorum habeant*. quòd, ſi huiuſmodi confidentia ſatis eſſet ad ſalutem acquirendam, cum plerique ſe ſaluos eſſe confidant, pauci admodum damnarentur: & tamen *multi ſunt vocati, pauci verò electi*. ſi credis, te ſaluum eſſe; credes etiam, te peccato omni carere:

rere: & tamen, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus; noſmet-ipſos ſeducimus*. nemo eſt, qui ſcire poſſit, *vtrum amore, an odio dignus ſit*. ſed in tot annorum ſpatio, quibus iſti de hac fiducia vobis tàm multa locuti ſunt, docueruntq́; eum, qui confidat, iuſtificari; fierine poteſt, ò decepti, quin veſtrum aliquis oculos aliquando coniecerit, mentemue conuerterit ad publicani, & phariſæi hiſtoriam, Deum orantium? bone Deus, quis vnquam minus confidit, quàm publicanus ille, qui *neque audebat oculos ad cælum attollere?* quis maiorem confidentiam ſibi ſumpſit ipſo phariſæo, qui *ieiunabat bis in Sabbato*, qui *decimas* dabat? ſi fiducia ſaluum facit; quare non iuſtificatur phariſæus? ſi ſaluus eſſe non poteſt, qui fiduciam non habet, qua ratione publicanus iuſtificatur? oro vos, auditores, animum aduertite. Caluinus ait, vt ipſi vos Deo charos faciatis, id eſt, vt iuſtificemini, neceſſe eſſe, vt credatis eſſe vos Deo charos. bene quidem. ſed quo tempore creditis, vt iuſtificationẽ conſequamini, vos eſſe charos Deo? charine eſtis, an non? ſi eſtis; quid iuſtificatione eſt opus, cum chari ſitis? ſi non eſtis; quare eſſe creditis? per falſam, igitur, opinionem iuſtificationem acquiritis? quid dicetis? credere vos in poſterum? id eſt, credere vos, charos fore, & hac fiducia iuſtificari? quid ineptius? nam quæro ego, tum, cũ creditis, vos charos fore, nonne hoc ipſum eſt fiduciam habere? maximè. igitur eam tenetis: igitur iam chari eſtis: igitur credendum eſt, charos vos eſſe nunc, non fore. ſed tandem, quæſo, hos laqueos exuamus: paullò fortè longius digreſſus ſum, ſed aliter fieri non potuit. itaq; Caluini fiducia non eſt fides; eaq́: non iuſtificat, ſed damnationem affert. Quamuis autem Caluinus non de ſua fiducia, ſed de vera fide loqueretur, (vt ad ea veniam, quæ tertio loco, poſtremoq́; propoſui) verum quidem eſſet, fidem ad iuſtificationem eſſe omninò neceſſariã; ſed falsò affirmaret, ſolam fidem ad iuſtificationem ſatis eſſe. vera diceret,

ceret, ſi aſſereret,ad educendam è lacu nauem, & in portum inducendam poſt voces è littore auditas, additoq; venti ſpiraturi beneficio, neceſſe eſt ſiniſtro latere remos impellere, id eſt,virtute intellectus credere: ſed falleret vos, falleretur q;, ſi affirmaret, dextro etiam alijs remis vtendum non eſſe; negaretq; viribus noſtræ voluntatis nonnulla efficienda, quæ, vt in Dei gratiam redeamus, maximè ſunt neceſſaria. & quidem ſine fide non iuſtificari nos, ſine dubio certiſſimum eſt. *Iuſtificati ex fide pacem habemus apud Deum. Gratia eſtis ſaluati per fidem. ſine fide impoßibile eſt placere Deo. iuſtus ex fide uiuit.* plurimis quidem locis probatur, fide opus eſſe: ſed nuſquam probatur, ſolam fidem eſſe neceſſariam. quòd ſi quando id videtur innui, vt eo loco, *arbitramur iuſtificari hominem ex fide, ſine operibus legis*, ſatis conſtat, legis opera tantùm modò excludi, non omnia. vel ad eos ſcribi, qui amplectentes opera, vt gentes, nihil eis inſinuandum erat, præter fidem. caput eſt, fide hominem non iuſtificari ſine operibus. *ſi quis dixerit, ſola fide abſolutionem, & iuſtificationem perfici, anathema ſit*, ait Tridentinũ Concilium. & quamuis plurimùm interſit (vt alio loco dicemus)inter opera, quæ iuſtificant, & opera, quæ glorificant, id eſt, inter illa, quæ gratiam conciliant, & ea, quæ nos gloria dignos efficiunt; quoniam tamen & Caluinus, & Euangelici omnes generatim negant, opera quicquam omninò prodeſſe ad ſalutem; ego vehementer miror,qua ratione fieri poſſit, vt quiſquam ſcripturas ſacras vel ſemel percurrat, neq; mentis caliginem continuò diſcutiat. *Qui facit hæc non commouebitur in æternum*. Pſal. 14. & dicit, *facit*, non *credit*. quoniam non ſatis eſt credere nos tantùm, ſed facere etiam oportet. Pſal. 23. *Innocens manibus, & mundo corde*. Pſal. 14. *Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam*. Pſal. 61. *tu reddes vnicuique ſecundum opera ſua*. Matth.7. *Non omnis, qui dicit mihi domine, domine, ſed qui facit.*

Matth.

Matth. 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ,* Matth. 19. *Si uis ad uitã ingredi, ſerua mãdata,* Matth. 25. *Eſuriui, et dediſtis; eſuriui, & non dediſtis.* Marci vlt. *Euntes docete ſeruare omnia, quæcunque mãdaui vobis.* Lucæ 3. *Neminẽ concutiatis.* Ioã. 5. *Procedent, qui bona egerunt, in vitam æternam.* Ioan. 14. *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* ad Rom. 2. *Non auditores legis iuſti ſunt, ſed factores.* ad Corinth. pri. 14. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes tranſferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* item ad Corin. *Vt referat vnuſquiſque, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* & Iacobus poteſt ne apertiùs dicere? *Qui erit factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.* & infra, *Vis ſcire, ò homo inanis, quia fides ſine operibus mortua eſt?* & paullò poſt, *Videtis, quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm.* & item, *ſicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt.* & denique, *Quid proderit, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat?* immò illud dictum Abacuch, à Paullo relatum, *Iuſtus ex fide viuit,* quo aduerſarij aduerſum nos tanquam fortiſſima machina vtuntur, ſi diligenter conſideretur, pro nobis facit, & operũ neceſſitatem probat apertiſſimè. attendite quæſo. ſi dicerem, eum indulgere, ſeruireq́; ſenſui, qui ex ſenſu viuit; quid quæſo intelligeretis? profectò nihil aliud, niſi illum ſeruire, & indulgere ſenſui, qui ea facit, quæ ſenſus dictat. ſi item dicerem rationi obſequi eum, qui ex ratione viuit; quid intelligeretis? illud omninò, obſequi rationi eum, qui ita operatur, vti ratio ſuadet. eodẽ modo, cùm dico, iuſtum eſſe, qui ex fide viuit; quid intelligere poteritis, niſi eum eſſe iuſtum, non qui ſimpliciter fidem habeat, ſed qui ea operatur, quæ hortatur, & monet fides? itaque, vt quiſpiam ſenſui pareat, vti nõ ſatis eſt habere ſenſum, ſed oportet eum ex ſenſu viuere, & ea operari, quæ ſenſus proponit; neque, vt quis rationi obſequatur, ſatis eſt rationem habere, ſed neceſſe eſt ex ratione viuere,

id

id agere, quod ratio præcipit; ita, vt qui iuſtus ſit: atque,vt iuſtificetur, non ſufficit fidem habere, ſed eum oportet ex fide viuere; ita viuere, vt fides poſtulat; ea præſtando, agendoq́;, quæ fidei conſona ſunt. *Et iuſtum eſſe*, inquiunt Abacuch, & Paullus, nõ qui fidem tantùm modò habet, ſed qui fidei addit opera, *& ex fide viuit*. & tamen, ò decepti, vos Caluinus exiſtimat, adeò cæcos eſſe, adeò hebetes, vt ne verba quidem ſcripturæ ſacræ percipiatis: & verba conatur dare, perſuadereq́;, nihil opera prodeſſe, & ad iuſtificationem ſolam fidem ſufficere. ſed non ita ſe res habet: longeq́; aliter, & diuinæ literæ, & Catholica ſentit Eccleſia. atque ex ijs, quæ hodie diximus, iam colligitis,cum peccatum committitis, modòne in eo moriamini poſſe vos iuſtificari. ſed nunquam daturos operam, vt iuſtificationem veſtram quæratis,niſi à præueniente Dei gratia alliciamini: quæ quidem omnes vocat, ſed neminem compellit. quòd ſi vocem inuitantis audiamus,eiq́; aſſentiamur, & nonnihil nos etiam operemur certum eſt, tantum auxilium, tantam opem cooperantem gratiam nobis allaturam, vt tandem iuſtificationem conſequamur,& Deo reconciliemur. ſed quò iuſtificet nos Deus, velle omninò nos aliquid operari, & cooperationem noſtram,non ab intellectu tantum, ſed etiam à voluntate præſtandam eſſe. propterea peccatorem, qui iuſtificari velit,in primis neceſſe eſſe credere: atque fiduciæ Caluini non inniti, quæ non eſt fides: neque iuſtificat, ſed veræ fidei repugnat. præterea, oportere nonnulla opera facere: quibus perfectis, abſque dubio iuſtificationem adepturum. quid dicitis? cupere vos maximè, explicari à me,quænam ſint hæc opera? Ecce illa, tres pœnitentiæ partes. Contritio, Confeſſio, Satisfactio. credat: ſummopere doleat ſe peccaſſe: peccata confiteatur, & ſatisfacere ſaltem proponat, vel, vt paucis expediam, fide, & pœnitentia præditus peccator ſit, & fiet amicus Deo. atque hæc eſt egregia ſanè,

ma-

maximeq́; ordinata nauigatio. nauis, quæ iam in lacum decidit, ſi nocte occupetur, ſine dubio naufragio peribit, damnaq́; patietur, nullo vnquam tempore reſarcienda: ſed dum adhuc ſupereſt lux, peruenire ad portum poteſt. nunquam tamen ad eũ capiendum ſeſe excitabit, niſi voce illa in litore perſonante inuitetur; quæ tamen vniuerſos vocat. quare, audita voce, reliquũ eſt, vt etiam ipſi nauigantes remos capiant: neque, quòd ij parum firmi ſint, animum demittant; quoniam, ſecundo aſpirante vento, in portum omnino deferentur. vtroque verò, non altero tantum nauigij latere, remigio vti neceſſe eſt: ſiniſtro quidẽ credentes; & dextro operantes. nam ab hac dextra operum parte nauem impellentes, tribus tantùm remigationibus portum inuenimus, atque omnes illæ coniunctæ hoc felix iter expediunt, quod pœnitentiam appellamus. ſed huiuſmodi pœnitentia nonne ea eſt, quam tantopere odit, deteſtaturq́; Ioannes Caluinus, & eſſe Sacramentum negat? ipſa eſt prorſus. quapropter de illa tantùm omnem poſtridie inſtituemus, expediemusq́; ſermonem noſtrum. Felices abite.

DISCE-

DISCEPTATIO DECIMA.

Qua probatur, Pœnitentiam verum eſſe Sacramentum, ab ipſo Chriſto inſtitutum; habereq́ materiam, & formam ſenſibilem. demonſtratur, pœnitentiæ partes tres eſſe; Contritionem nempe, Confeſſionem, & Satisfactionem. vera aperitur via, qua contritionem aſſequamur: Et docetur, Sacramentalem confeſſionem eſſe de iure diuino, eaq; vti nos oportere.

Aduerſus Caluinum cap. 19. lib. 4. Inſtitut. ſect. 4. & paſſim toto cap. quar. tertij libri.

NESCIO profectò, Sereniſſime Princeps, voſq́; auditores, qua ratione pœnitentiæ vim, & virtutem vobis clarius aperiam, quàm ſi dicam, Ioannem Caluinnm cum alia Chriſtianæ pietatis opera, tùm præcipuè præter cætera ipſius pœnitentiæ verbo, ſcriptoq́; acerbiſſimè ſemper inſectatum fuiſſe. ſceleſtum ingenium, hominisne dicam, an dæmonis? certè appellare eum licet mendacij patrem, & fallaciarum auctorem: à quo quicquid commendatur, propè certum eſt, id omne ſummum detrimentum afferre: nihilq́; eſſe tàm laudabile, quàm quod ipſe oderit, atque vituperet. exploratum eſt, à patribus cùm priſcis, tùm recentioribus rem nullam illuſtriori vnquam laude celebratam fuiſſe, quàm ſancta fuerit pœnitentia. Auguſtinus ipſe principio de vera, & falſa pœnitentia dicit, pœnitentia ſanari languidos, curari leproſos, mortuos ad vitam reuocari, vitia expelli, virtutes ornari, roborari mentem, temperari ſucceſſus, reſtringi exceſſus, modum poni progreſſibus, aberrantem ouem paſtori mõſtrari, amiſſam drachmam matri familiâs indicari, ad mœſtum

patrem

patrem filium prodigum reduci, bona omnia donari, conſeruari, augeri. & Ioannes Chryſoſtomus Homil. 5. de pœnitentia appellat eam erratorum medicinam, captiuitatis liberationem, ſpem ſalutis, ignorantiæ ruinam, gladium in peccatum, ſcutũ aduerſus tentationem, galeam contra Mundum, loricam aduerſus carnem, arma contra diabolum: vt alias laudes omittam, propè innumerabiles, quibus & à duobus hiſce patribus, & à ceteris ſcriptoribus hæc eximia, præclaraq; virtus extollitur. de qua tamen longè ſublimius alijs omnibus loqui mihi videor, & omne eius præconium hac vna laude, quaſi epilogo claudere, quòd eam Caluinus præcipuè præter ceteras virtutes, & Sacramenta, odit, cõtemnit, maledictis inſectatur, omniq; conatu deformat, atq; vituperat. immò aduerſus tàm pium opus ſcelere ſuo vſque eò progreditur, vt impietate in omni memoria inaudita, eos impios appellet, qui pietatẽ tàm inſignem laudibus extollunt. cum enim, auditores, tres vetuſtiſſimi patres, Hieronymus lib. 3. in Eſaiam, & epiſtola ad *Demetriadem de Virginitate*, & epiſt. 2. *ad Pammachium*; Ambroſius lib. de *Virgine corrupta*, & Tertullianus ſenior lib. de *Pœnitentia* eadẽ pulcherrima metaphora, nuper ore Dei ipſius in Concilio Tridentino repetita, pœnitentiam appellent, ſecundã naufragij tabulã; ſolus Caluinus eam carpit, irridet, lacerat, dum dicit, *Vocant eam ſecundam poſt naufragium tabulam*. vt verò omnẽ vobis dubitationẽ adimeret, ignaruſne, an ſciens, & prudẽs locutus eſſet, atque noſſet ne, an ignoraret ſententiæ huius auctorẽ, *Sed dictũ eſt*, ait, Hieronymi. tùm ei tantùm honorẽ tribuit, & tanti hominem facit, vt addat, *Cuiuſcunque ſit, cum planè impium ſit, excuſari nõ poteſt*. ò vos miſeros, & infelices Hieronymũ, Ambroſiũ, Tertullianum! quibus ſudores veſtri, totq;, & tanti labores ſemper pro tuenda pietatis cauſſa ſuſcepti, nihil profuerũt, quominus ab ore omniũ impuriſſimo, ſummeq; nefaria, & execranda lingua, his verborũ con-

tumelijs afficeremini. ſed inde vobis intelligere licet, ò decepti, quanta modeſtia,quamq; honeſtis,& puris moribus prȩditus ſit deceptor veſter: tùm danda mihi venia,facileq; ignoſcendū eſt, ſi quando ſalutis veſtræ cauſſa illi ſubiraſcor; qui,vt vobis ruinæ periculum,& calamitatem ſtrueret,iræ ſuæ virus in ipſos ſanctos euomuit. Ceterum,quòd ad Hieronymi metaphoram pertinet, clarum eſt,eum,qui ſemel è peccati origine contracti naufragio per baptiſmi tabulam incolumis euaſit,ſi rurſus in pelagus mortiferi peccati deciderit,oportere hac vna ſecunda tabula ſanctiſſimæ pœnitentiæ ſalutem conſequi. atque ſi redire velimus ad nauigij exēplum, quo tres iam diſceptationes proſecuti ſumus, veriſſimum eſt,peccatorem, ſimulac in lethalis peccati lacu prȩuenientis gratiæ vocem audiuit,oportere non ſolum ſiniſtris remis veræ fidei ipſi gratiæ cooperari,ſed dextris etiam,quos conſtat,nihil aliud eſſe, quàm pœnitentiæ ſacramentum. denique, *Credere, & pœnitere*, duo illa ſunt, qua nos iuſtificant. verum quidem eſt,aduerſus hoc ſacramentum contumelioſè,acerbiſſimeq; Ioannem Caluinum inuehi cap. 3. lib. 3. & 19. lib. 4. ſed prӕterquam quod,vt paullo ante dixi, illud maximum indiciū eſt, ita rem ſe ſe habere,eo quòd eam Caluinus inficietur;operȩpretiū erit,nos paucis ipſius mendacia refellere: tùm,eum miſſum facientes omnes horum remorum vobis remigationes demonſtrare; id eſt,partes illas egregias pœnitentiæ, quas paullo ante numerauimus: Contritionem ſcilicet,Confeſſionem,& ſaltem ſatisfaciendi propoſitum. *Ementitum Sacramentum* poſt multa tandem, Caluinus ait, *Eſt pœnitentia*. congerit autem infinita propè mendacia: atque poſtremò (fateamini vos ipſi Caluiniſtæ) duas tantùm rationes affert. altera eſt, quia à Chriſto non eſt inſtitutum; altera,quia ſenſibili materia caret,& forma. nos autem duo illa,quibus argumētationes ipſius propoſitio cōſtat, profectò concedimus: dicimuſq; veriſſimum eſſe, omnia

nouæ

nouæ legis Sacraměta à Chriſto fuiſſe inſtituta, omniaq; & materiam,& formam ſenſibilem habere. Quæ vt vos,ò rudiores,& ſimpliciores,facilius percipiatis, rem paullo altius repetentes,dicimus; Sacramenta,nihil aliud eſſe,quàm gratiæ ſigna,ſed ſigna efficacia. adeſte animis, & exemplum animaduertite. Si dico, cum ferrum hoc frigidum in frigidam aquam immiſero, tu ſtatim flatu,vel follibus carbones aquæ ſuppoſitos accendito,& eam calefacito; hoc loco ferrum,quod in aquam immitto,caloris ipſius aquæ ſignum eſt: id eſt,eo tempore calefieri: ſed neque calori, qui inducendus eſt, aſſimile eſt; neque calorem vel in ſe continet, vel excitat: quoniam ferrum illud nec ipſum eſt calidum, nec aquam calefacit. quòd ſi ferrũ adſit frigidum, in quo flammarum imagines vndique pictor repræſentarit, & eadem conditione mandem, vt cum ego illud in aquam mittam,tu eã calefacias; ferrum hoc caloris quidem eſt ſignum; quẽ in aqua calorem tu paullo poſt excitabis; ſed habet nonnihil amplius, quàm ferrum,de quo priore loco diximus, quoniam hoc nõ ſolùm calorem ſignificat; ſed etiam ea flammarum pictura ad caloris ſimilitudinem accedit. itaque,cum ferrum illud primum ſignum eſſet, quod tantùmmodo ſignificaret; hoc poſterius & ſignificat, & ſimul habet ſimilitudinem; & tamen neutrum calorem efficit, vt cuiuis patet. Tertio loco,fingite animis,habere me ferrum ignitum, & candens; dicereq; cum primùm hoc ferrum in aquam coniecero, ò vos, qui propè non adeſtis, ſed procul rem ſpectatis, ſcitote, à me tunc calefieri aquam. certè hoc modo ferrum & ſignum eſt,quoniam illis ſignificat, aquã calefieri; & ſimilitudinem habet,quia color igneus, candensq; ſimilis eſt calori,quem concepturæ ſunt aquæ: præterea illud efficit, quod priori ferro, alteroue fieri non poterat: quoniam in ſeſe continet,& agit idipſum,quod ſignificat,& cui ſimile eſt: cũ enim ignitum ſit,non ſolùm calorem ſignificat, vel eius ſimilitudinem refert; ſed etiam in ſeipſo continet, & eo merſo, cale-

ſcunt aquæ. Ecce vobis tria ſignorum genera. primũ ſimplex: alterum, quod ſimile eſt: tertium (quod huc pertinet) ſignum efficax. huius tertij generis Sacramenta ſunt: non modò enim ſigna ſunt, quibus indicatur, donari gratiam, & ſingula quandã habent ſimilitudinem rei illius, quam efficiunt; ſed etiam continent in ſe, & afferunt gratiam ipſam, quam ſignificant. veluti Baptiſmus, qui ſignificat mundari nos originali peccato; eodem temporis momento, quo ipſum recipimus: ablutione corporis animæ pariter munditiam exprimit. immò amplius, *Continet, & efficit*, gratiam continet, & *Ex opere operato* ita confert, vt ẽt infantes abſque ſuo ipſorum motu eam ſola Sacramenti virtute conſequantur. ſed de ſigni efficacia hactenus dictum: intelligetis enim paullo poſt, quorſum hæc pertineant. Rurſus affirmo, vbi ſignum adeſt, oportere vna re aliam ſignatam fuiſſe, quia ſigni relatio inter ſignatum, & ſignantem reperitur. & annulus, quo viri, vel vxoris digitus ornatus eſt, ideò eſt ſignum, quoniam circulo illo aureo, vel cuiuſuis alius materiæ, ſignificatur fides, quam alterum alteri præſtare decet. in Sacramẽto ſemper ſignata res eſt gratia. Euchareſtiam excipio, in qua præter gratiam continetur etiam, & ſignatur factor, & auctor gratiæ Chriſtus ipſe. verumtamen ſignans non vnica res eſt, ſed duæ. Exempli gratia, ſi quid animo concepi, idq; velim exprimere emblemate aliquo vermiculati, teſſellatiuè operis, vel alterius; erit emblema illud ſignũ referens ſenſum animi mei: ſed duabus rebus, *Corpore* ſcilicet, (vt appellant) *Et anima*: id eſt, aliqua re, & aliquo dicto lepido, venuſtoq;: nã duabus rebus, *corpore, et anima* ſimul, id quod diximus ſignũ, efficitur. ſimili ratione Sacramentũ omne ſignum eſt, quo Dei gratia repræſentatur, ſed duabus rebus: altera, quæ ſub ſenſum oculorum; altera, quæ ſemper ſub ſenſum aurium cadit. nam ſicut in baptiſmo *accedit verbum ad elementum*, & verba illa ſimul cum aqua ſignum efficiunt, quod

Dei

Dei gratiam exprimit; ſic in Sacramentis omnibus aliqua verba cum nonnullis vel rebus, vel actionibus coniuncta, quaſi *anima, & corpus* emblematis ſignum efficiunt, quo Dei gratia exprimitur. duplex tantùm eſt differentia. altera, quia id, quod in emblemate vocatur, *corpus, & anima*, in Sacramento appellatur, *materia, & forma*. altera, quia emblema ſenſum animi ſignificatum non continet; quamuis ſimilitudinem eius afferat; cum gratia Sacramento ſignificata, vti diximus, eodem etiam Sacramento contineatur, & ab eo conferatur, illud addite, & finem huic digreſſioni facio, ſigna in Sacramentis ſemper eſſe *ſenſilia*. atque vti *forma* horum ſignorum ſemper audiri poteſt, quoniam ſemper verba ſunt; ita eorum omnium *materia* ſemper eſt viſibilis, quia ſemper eſt vel res, vel actio, quæ etiam extrinſecus conſpici poteſt. Vt in Baptiſmo patet; cuius forma ſunt verba; quod pariter affirmamus de Chriſmate, de Euchareſtia, de Matrimonio, & alijs; omnium eorum forma ſunt verba; materia verò Baptiſmi eſt, aqua; Chriſmatis, Chriſma; Euchareſtiæ, panis, & vinum: Matrimonij, actiones coniugū: quæ viſibilia ſunt omnia. atque à Doctoribus quatuor afferuntur rationes, quibus adductus Dominus per res ſub ſenſum cadentes, gratiam conferre voluerit: nempe, vt demiſſo, humiliq; animo eſſemus; vt erudiremur; vt exerceremur; vt diſtinguèremur: de quibus non eſt hic dicendi locus. vt verò digreſſioni finis imponatur, duo concludimus: alterum, Sacramenta eſſe ſigna efficacia: alterum, per duas res ſignificare; per materiam ſcilicet, & formam, easq; eſſe ſenſibiles. quibus duobus optimè declarantur illa duo, quæ in ſuæ argumentationis propoſitione, ò Caluiniſtæ, dicebat Caluinus veſter; nempè omne Sacramentum, & eſſe à Chriſto inſtitutum, & materiam habere ſenſibilem. Et à Chriſto inſtituta fuiſſe Sacramenta, certiſſimum eſt; neque enim ſignum efficax inſtituere quis poteſt, niſi is, qui

etiã poſſit rem ſignatã efficere. itaque, ſicut efficax ſignũ caloris aquæ is tantùm facere poteſt, qui poteſt aquam calefacere; ita ſignũ efficax gratiæ ullus nequit facere, niſi is qui gratiæ auctor eſt. quare Apoſtoli promulgare quidem potuerunt, & docere, & conferre Sacramenta; ſed inſtituere ſolius Chriſti eſt: qui cũ homo eſſet, & Deus, poterat creare gratiam, quæ conferenda eſſet. itaque (finem aliquando faciamus) Sacramentum nõ eſt, quod à Chriſto non eſt inſtitutum, & quod non habet ſenſibilem materiam, & formam: ſic Caluinus affirmat, & ego aſſentior. ſed pœnitentiam non fuiſſe inſtitutam à Chriſto, & non habere materiam, & formam ſenſibilem, hoc totum omnino nego. miror verò, Caluinum id auſum fuiſſe dicere, cum locus in quo Chriſtus pœnitentiam inſtituit adeò ſit apertus, & materia, formaq; ipſius tàm clare pateat; vt ſine magna diſputatione ſatis ſit vtrumque vobis innuere, neque dubitem fore, quin ſine labore vllo rem omnem clariſſimè intelligatis. Atque inprimis, quòd ad huius inſtitutionem Sacramenti pertinet, ecce Ioannis locus, maximè apertus cap. 20. narrans enim, quæ Dominus feciſſet, poſt reſurrectionem diſcipulis ſuis apparens, ſic ait: *Inſufflauit, & dixit eis; accipite Spiritum ſanctum: Quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. quo loco Dominum Apoſtolis, & deinceps Eccleſiæ ſuæ ligandi, ſoluendiq; auctoritatem largiri, nemo eſt, qui non intelligat. hanc autem eſſe auctoritatem abſoluendi, vel non abſoluendi peccatis in Sacramento pœnitentiæ, ne id quidem negari poteſt. nam ſeu apud Matthæum 18. promiſerit id, quod poſtea apud Ioannem 20. præſtitit; ſiue eo loco, vti ſexta diſceptatione diximus, largitus ſit auctoritatem ſoluendi cẽſuris, hoc peccatis; illud conſtat, ex prima illa circunſtantia, *Inſufflauit*, & ex dono illo, *accipite Spiritum ſanctum*, & quòd à remiſſione incæpit, non à retentione, & ex ſexcentis alijs, ſubtilibus licet,

cet,

cet, &, vt ita dicam, minutis, hoc loco Chriſtum auctoritatem peccatis abſoluendi Sacerdotibus largitum eſſe. quare conſequẽs eſt, inſtituiſſe illis verbis pœnitentiam, eo modo, quo Baptiſmum inſtituit, cum dixit, *Euntes baptizate*; & Euchariſtiam, dicens, *hoc eſt corpus meum, hoc facite.* & item de ceteris. Et quidem Caluinus ſatis intellexit vim huius loci, percepitq́; rationes, quibus nos argumentamur hoc modo: Si Chriſtus ijs verbis non inſtituit pœnitentiam, an verò ineptè, & præter rem locutus eſt? an dedit ioco abſoluendi poteſtatem? an fruſtra claues tradidit? *Ergo ſine cauſſa data ſunt claues? Ergo ſine cauſſa dictum eſt, Quæcunq; ſolueritis? Sic Confeſſionarij inquiunt*, Caluinus ait. atque is ſanè putat, ſeſe maximam nobis ignominiæ notam inurere, cùm nos confeſſionarios appellat. ſed ſi inter eos Auguſtinum refert, quid cauſſæ eſt, cur nos etiam in eodem haberi numero facilè non patiamur? ò hominem vel rudem, & imperitum, vel improbum; imperitiæ conuincitur, ſi ignorauit argumentum hoc, & illa eadem verba, *Ergo ſine cauſſa*, Auguſtini eſſe lib. Quinquaginta Homeliarum: improbitatis verò, ſi id cognitum habens, nihilominus tamen irridere Auguſtinum voluit, eum appellans, *Confeſſionarium*, quam appellationem ipſe turpiſſimam, & flagitioſam putat. deniq́ue, ò Caluine, *etiam ſi diſrumparis*, (libet enim more tuo loqui) Auguſtinus is eſt, qui planè intelligit, hoc loco inſtitutam fuiſſe pœnitentiam, quiq́; dicit, ſi ſecus eſt, *Sine cauſa data ſunt claues:* vti pariter Ambroſius, Eccleſiæ item doctor, is eſt, qui libro 2. de pœnit. cap. 2. hæc dicit; *Impoſſibile videbatur, per pœnitentiã peccata dimitti: conceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis, quod ab eis ad Sacerdotum officia tranſmiſſum eſt, & factum eſt poſſibile, quod impoſſibile videbatur*. atque hi duo doctores, & ſimul cæteri omnes, præſertim Rubertus Abbas, *De Spiritu ſancto*, dicunt hoc eſſe priuilegium Eccleſiæ Chriſti; nempe, vt in eam Spiri-

tus ſanctus veniat *ad ſanctificationem actiuam*, qui in Synagogã veniebat *ad ſanctificationem paßiuam:* id eſt, eo tempore in aliquos deſcendiſſe, vt ij ſancti vel fierent, vel permanerent, nunc verò in Sacerdotes deſcendere, vt ij pœnitentiæ Sacramento, & peccatorum abſolutione alios ſanctos efficiant. ſed vt cognoſcatis, ò prudentes auditores, veriſſimum eſſe, inſtitui pœnitentiam apud Ioannem 20. ijs verbis, *accipite Spiritum ſanctum*, ſimulq; intelligatis, quàm male haberi, quàmq; vrgeri ſe eo loco Caluinus ſentiat; quæſo vos, quo modo verba illa exponat, & quò confugiat, animaduertite. ò infelicem, ò miſerum! in quantas anguſtias adductus eſt! homo ſiquidem acuto ſatis ingenio, attamen, vt euitet pœnitentiæ ſenſum, interpretationem afferre cogitur, ab omni ratione alieniſſimam. audite, quæſo. ò Caluine, ſi Chriſtus pœnitentiam non inſtituit, quam facultatẽ Apoſtolis tribuit, dum dicit, *Quorum remiſeritis?* Ecce illam ex eius ipſius ore Caluini, *Verbi miniſterium tradidit*. tũc Chriſtus auctoritatem Apoſtolis dedit verbi Dei prædicandi: & dicens, *quorum remiſeritis*, dicere voluit, *quorum annunciaueritis remiſſa*. acute ſcilicet, & ſubtiliter. nihil ſupra. at alio loco poſtea, *Euntes prædicate Euangelium*, quænam datur auctoritas? an ibi fortè inſtituitur pœnitentia? ò decepti, quæ nugæ ſunt iſtę, quæ delirantium ſomnia? putatiſne, quenquam, vel mediocri ingenio præditum, tàm inania allaturum, niſi ipſa neceſſitate compulſum, vt quoquomodo euadere, & elabi conaretur? ſed ipſum, cum ſua acutiſſima interpretatione miſſum faciamus: vos verò attendite, quomodo à ſanctis patribus explicetur locus ille, & an eo cenſeant contineri pœnitentiam. Auguſtinus, *Poſtquàm dixit, accipite Spiritum ſanctum, continuò de peccatorum remißione, & retentione ſubiecit, dicens; Quorum remiſeritis.* & Ambroſius, *Cùm dixerit Dominus, accipite Spiritum ſanctum, Nouatiani confunduntur, qui ſe, aiunt, Domino deferre reuerentiam,*

tiam, & ei remittendorum criminum poteſtatem reſeruant. Gregorius, *Accipite Spiritum ſanctum, principatum ſupremi iudicij recipiunt Apoſtoli, vt vice Dei, quibuſdam peccata renitentes, quibuſdam verò relaxantes*. Hieronymus ad Elbidiam, *Acceperūt Spiritus ſancti gratiam, qua peccata dimitterent*. Bernardus, *Quanam maior tibi videtur dignitas, & poteſtas diuidendi præmia, an dimittendi peccata?* Venerabilis Beda, *Poſtquàm dixit, accipite Spiritum ſanctum, hæc de peccatorum remiſſione ſubiecit*: Cyrillus Alexandrinus, *Abſurdum non eſt, remitti peccata poſſe ab illis, qui Spiritum ſanctum in ſe habebant*. Theophilactus, *Vide Sacerdotum dignitatem, quàm diuina ſit: Dei eſt enim peccata dimittere*. Omnes prorſus, omnes, inquam, quotquot ſcripſerunt, affirmant, eo loco pœnitentiam inſtitui, dariq; poteſtatem remittendi peccata. vnus Caluinus contrarium ſentit, ea peracuta; ſubtiliſſimaq; expoſitione: vos, quibus credere malitis, ſtatuite; nam mihi quidem à ſanctis patribus ſtare, certum, atq; decretū eſt. quare, ſi is pœnitentiam negat, quoniam, vt ipſe ait, à Chriſto non fuerit inſtituta, iam inſtitutionis ipſius clariſſimum Chriſti locum habemus, & eundem ex ſententia noſtra interpretatum, illuſtratumq; ab omnibus ſanctioribus, & vetuſtioribus patribus. Ceterùm, quòd ad alteram obiectionem attinet, pœnitentiam nempe materia, & forma carere ſenſibili; id videtur tàm abſurdum, tàmq; ab omni ratione alienum, vt iocetur ne Caluinus, an deliret, incertum ſit. nam, quòd ad formā attinet, nonne ſub aurium ſenſum cadunt abſoluentis verba? nonne auribus percipiuntur? nonne audimus nos, cum is dicit, *Ego te abſoluo?* quòd verò ad materiam; fatemur, nō eſſe rem, ſed actionem: ſed ſatis eſt eſſe viſibilem. atque idipſum paullo ante dicebamus, Sacramentorum aliqua materiam habere, quæ eſt res, à ſuſcipiente diſtincta; veluti aqua, quæ à baptizato diſtinguitur; alia verò pro materia actiones habere ſufci-

ſcipientium, vt in matrimonio. huius igitur poſterioris generis eſt pœnitentiæ Sacramentum. quamobrem ipſius materia pœnitentis actiones ſunt, id eſt, vt contritionē habeat, vt cōfiteatur, vt ſatisfacere propoſitū ei ſit. hoc modo docuerunt ſemper quicunque catholicè ſcripſerunt; eodemq; modo erudiri Caluinū oportuit. is enim ſine dubio cognouiſſet, pœnitētiæ cùm materiam, tùm formam eſſe ſenſibilem. Sanctiſſimum quidem, veriſſimumq; Sacramentum: in quo, qui cupit id aſſequi, quod compoſitùm eſt; neceſſe eſt, materiam, formamq; teneat: ſed formam non tenebit, niſi cui dictum fuerit, *Ego te abſoluo*. neque hæc verba efficienter in ſe proferri audiet, niſi qui materiam tribus ex his, quæ ſupra diximus, confecerit. Pœnitentia iudicium quoddam eſt, auditores, quo reus accuſatur contritione, fatetur confeſſione; ſatisfacere deliberat ſatisfactione, & à iudicio abſoluitur Sacerdotis abſolutione. Peccator Deum læſit corde, ore, opere: Et cordis eſt Contritio; oris Confeſſio; operis Satisfactio. Peccator item & Deum, & Eccleſiam, & proximum offendit. Contritio Deum reſpicit: Eccleſiam Confeſſio, & proximum Satisfactio. præterea, peccator domi mortuus eſt cum Archiſynagogi filia: in foribus cum vidua filio: & in ſepulchro cum Lazaro: at reuocatur ad vitam domi per Cōtritionem: in foribus per Confeſſionem: & in ſepulchro per Satisfactionem. meminiſtis ne filij prodigi dicentis, *hic fame pereo?* Ecce Contritio. patris dicentis, *peccaui?* Ecce Confeſſio. patris diſciplinam non recuſantis? Ecce ſatisfaciendi propoſitum. tenetisne memoria Dauid regem, cum peccaſſet populum numerando lib. 2. regum cap. 24. quem cor ſuū percuſſit *Contritione,* & dixit; peccaui valde in facto hoc *Confeßione*; & addidit; vertatur obſecro manus tua contra me *Satiſfactione?* meminiſtisne conuerſionis Niniuitarum Ioan. lib. 3. cum clamaretur, *Conuertatur vir à via ſua mala*, quod erat contritionis.
& *cla-*

Et clament ad dominum in fortitudine, quod erat confeſſionis inſinuatio. *Et homines, & iumenta non guſtent quicquam*, quod erat ſatisfactionis? venit ne vobis in mentem publicanus, de quo legitur Lucæ cap. 18. non auſum fuiſſe oculos ad cælum leuare *contritione?* dixiſſe, Deus propitius eſto mihi peccatori *Confeſſione?* percuſſiſſe pectus ſuum *Satisfactione? in corde contritio eſt, in ore confeſſio, in opere tota humilitas*, ait Chryſoſtomus ſermo de pœnitentia, & Auguſtinus, exponens ea verba, *qui ſanat contritos corde ſanat confitentes, ſanat ſeipſos punientes.* itaque cum vera doctrina traditur, diſtincta, claraq; ſunt omnia. Pœnitentiam Sacramentum eſſe, negabat Caluinus, duasq; rationes afferebat: cui quidem nimium tribuimus, cum eas refellimus. Nunc paulliſper ipſum omittentes, eòq; reuertentes, vnde digreſſi ſumus, affirmamus, poſtquàm gratia præueniens vobis afluerit, quò iuſtificationem conſequamini, oportere, credere vos, & pœnitere; Contritione, Confeſſione, Satisfaciendi propoſito. ita res eſt, ita prorſus ò nauigantes. Ecce nauis in peccati lacu. Ecce gratiæ portus, ad quem tenditis. Ecce vox præuenientis gratiæ, qua adhuc vocamini omnes. Ecce ventus cooperantis, qui ſine dubio leniſſimè flabit. nunc remos impellite. Et quidem à ſiniſtro latere iam impellitis plerique, qui verã habetis fidem: agite, manus etiam ad dextrum latus admouete; id eſt Sacramento pœnitentiæ, & tribus remigationibus triũ partium, quas diximus, ah tandem ad portum contendite. Atque in primis, auditores, vt iuſtificationem acquiratis, habere vos contritionem neceſſe eſt; quam hoc modo diffinimus. Cõtritio eſt maximus dolor voluntarius, ob defenſionem Dei, qui præ rebus omnibus diligendus eſt, eo propoſito, (vi ſaltem, atque virtute) vt deinceps nolimus vnquam peccatum lethale cõmittere, velimusq; & confiteri, & ſatisfacere. vel, vt habet Tridentinum Concilium; *Contritio eſt animi dolor, ac deteſtatio de*

peccato

peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Contritio non eſt propriè dolor, ſed peccati deteſtatio talis, vt ex ea dolor oriatur. nam & eos, qui beatitudine fruuntur, peccatorum pœnitet. in quæ, dum hac vita fruerentur, prolapſi ſunt; ſed non amplius dolent. at contra eos, qui pœnis æternis cruciantur, & pœnitet, & angit dolor; ſed haud voluntarius. oportet autem dolorem hunc eſſe maximum; vſque eò, vt homo mallet, ſe perpeſſum eſſe, vel perpeti omnia mala, quàm peccaſſe. atque hanc pœnitendi vim, in actu conſiſtentem, (nam quandoque etiam virtute ineſt, vt in martyrio, vel id genus alijs) neceſſe eſt ineſſe in nobis, non præcipuè ob pœnarum metum; ſed quoniam Deum offendimus, quem maximè amare debemus. & ſtatutũ eſſe nobis certumq́; debet, confiteri peccata, vti Deus præcipit; & libenter ſatisfacere, ea pœna ſuſcepta, quam nobis irrogare Sacerdos voluerit: & aliam præterea, quæ nobis ipſis placuerit, quò magis, ac magis indies ſaluti noſtræ conſulamus. ſaluberrimæ ſunt vndæ, auditores, in quibus hac contritionis remigatione prouehimur; atq; eiuſmodi, vt quandoque in cælum ferri, quandoque ad ſedes imas deſcendere videamur. qui primo loco cietur in eis motus, gratiæ præuenientis eſt; qui nos ad petendũ portum commouet. ſecundus motus eſt fidei, quo credimus, videre Deum peccata noſtra, & odiſſe. Tertius timoris eſt; metuimus enim pœnas, & ſupplicia, à Deo nobis inferenda. hos ſequitur motus item fidei, quo credentes, bonitatem Dei perpendimus. quintum ſpes efficit: erratorum enim veniam ab ipſius clementia nos impetraturos ſperamus. Sextus oritur ex charitate, qua ad amandum bonitatem tàm grandem excitamur. poſtremus contritionis eſt, qua dolore afficimur, offenſam à nobis fuiſſe ſummam, infinitamq́; bonitatem. itaque modò celſæ, modò humiles aſpiciuntur vndæ. nam adeo dehiſcunt; vt vel in nos ipſos Dei gratia ſeſe demittat: adeò efferuntur, vt ad

cogi

cogitandum de potentia Dei noſtra mens erigatur: tam deprimuntur; vt in formidinem æterni ſupplicij, apud inferos conſtituti, deſcendamus; tàm extolluntur; vt ad conſiderandam Dei bonitatem euehamur: tàm demittuntur; vt rurſus ſpe concepta noſmet excitemus; tàm efferuntur; vt ad amandum omnibus viribus, totoq; pectore Deum inſurgamus. denique tàm humiles ſunt; vt vi, ac virtute contritionis, dolorisq;, quem ſuſcepimus, in iuſtificationis portum inuehamur. Poſtremo, quoniam anguſtijs temporis ita excludimur, vt omnem contritionis materiam abſoluere nequeamus, illud vobis exploratũ, certumq; ſit, niſi vnuſquiſq; pœnitentiam agat, doleatq; ſe peccaſſe, ac niſi conſtituat & confiteri, & ſatisfacere, & in poſterum à peccatis abſtinere, Deum nunquam peccata dimiſſurum. Sed quandoque contingit, vt non adeò perfectum dolorem habeamus, quemadmodum peccatorum magnitudo poſtulat, & vocatur Attritio: quandoque vt dolore omni ex parte perfectus ſit, & Contritio appellatur. hæc autem inter eas eſt differentia. (vt plura omittam alia, quibus differunt inter ſe) ſi contritus es, illicò te iuſtificat Deus: vel prius etiam, quàm confitearis, licet omnino te oporteat poſteà confiteri; tum vt præcepto pareas; tùm etiam, quia Contritio, conſilium, & propoſitum incluſum habebat confitendi. tibi autem antea contrito cum Sacerdos dicit, *Ego te abſoluo*; intelligi vult, abſolutionis Sacramentum tibi do: quo abſolueteris, niſi iam abſolutus eſſes. Sin verò attritus es tantúmmodo, (quod quidem tu ſatis diſcernere nõ potes) antequàm confitearis, nondum gratiam adeptus es: ſed ſacerdos abſolutione de attrito te contritum facit, & cum dicit, *Ego te abſoluo*; tunc, & eo temporis momento verè te abſoluit, & gratiam confert. Summa eſt, ad obtinendam gratiam oportere ſemper nos contritos eſſe vel ex nobis ipſis, vel id conſecutos abſolutione Sacerdotis: Et ſemper confiteri neceſſe eſt, vel

vt

vt gratiam conſequamur,cum attriti ſumus,quod ſane crebrius accidit, vel cum prius contriti eſſemus,& iam gratiam habẽtes, (quod ſcire nequimus) vt præceptum exequamur,& illud præſtemus, quod propoſuimus. Conſtat,igitur,in ſtatuenda pœnitentia vtramque ipſius partem eſſe neceſſariam. ſic etiam tertiã partem, nempe Satisfactionem, eſſe neceſſariam oſtendemus, cum occaſio poſtulabit. nunc, quoniam dextris pœnitentiæ remis vtendum eſt,vt in portum deferamur, atque de prima remigatione, quæ Contritio eſt, ſatis multa locuti ſumus; videamus,quid de ſecunda, nempe de cõfeſſione, Caluinus dicat: tum alio loco tertiam tractabimus. reſpiremus.

PARS ALTERA.

DE confeſſione agendum eſt, ò Caluiniſtæ, quæ ſola fortaſſe portas hæreſi patefecit. fortaſſe ab hac ſola magna multitudo mortalium ita abhorruit; vt, dum eam Lutherus,& Caluinus, cæteriq; omnes negant; occupandæ tyrannidis occaſionem arripuerint. veriſſima autem eſſe, quæ dico, ſatis conſtat: quoniam omnes hi confeſſionem negant. Sed quare negant? id vnum peruelim, auditores, quandoque ab hæretico ſemel exprimere, (ita tamen,vt ſaltem eo tempore vera diceret) qua ratione Confeſſionem aſpernentur, & reſpuant; an quia mala ſit;an quia difficilis? heu,non vitium aliquod prauitaſué, ſed difficultas opus tàm ſanctum oppugnauit. nam effuſi in adulationem hæretici, procliuesq; ſemper ad concedendam omnem impunitatem, atque licentiam; cum aliquid contentius à populis repudiari animaduerterunt, tum maximè, largiſſimeq; ijs indulſerunt: itaque Confeſſionem ſuſtulerunt. nam qui in Gallijs,& in Germania nimiam, & immoderatam viuendi libertatem optabant, ſæpenumero querebantur, dicebantq;,

bantq́; , quodnam onus eſt hoc, Aethnagrauius, quod pondus, quod iugum ? ergo quæcunque antehac commiſi, ea omnia Sacerdoti aperienda ſunt ? ergo,quorum me puderet conſcios habere lapides,ea cognoſcet homo? igitur culpas,& crimina,à quibus ipſa abhorret cogitatio, neceſſe eſt, linguam meam proferre,& ſingula enarrare ? ergo illa etiam,à quibus vitæ periculum imminet,& tot, tantisq́; annis reticui, atque, vt cælata, tectaq; eſſent, ſummo ſtudio curaui, hodie neceſſe eſt,me cum ſummo diſcrimine aperire, & patefacere ? quid ſi fieri poſſet, vt abſque Confeſſione propitium,& amicum Deum haberemus, nonne melius, commodiusq́; nobiſcum ageretur ? hoc modo populi loquuntnr, & continuò Lutherus,& illicò Caluinus, qui ſibi nihil magis optandum putant, quid ni ? inquiunt : immò fieri poteſt. neque enim hæc hominum inuenta vos iuſtificant : atque ad recipiendam Dei gratiam nihil neceſſe eſt ſingula peccata Sacerdotibus aperire : ſed ſatis eſt ſi ſoli Deo, & generatim vos peccaſſe confiteamini . ſpondemus vobis, Deum clementẽ eſſe, atque iter,quo peruenitur ad ſalutem, nequaquam arduum. ita ne ? at ego contrà antequàm vltra progrediar tria affirmo; in primis,viam ad cælum,non facilem,ſed difficillimam eſſe. tùm qua ratione via cæli facilis dici poteſt, facillimam item eſſe Cõfeſſionem . poſtremò, quamuis adhuc ea eſſet difficilis, nihilominus tamen (ex moralibus etiam inſtitutis loquendo,) quoniam difficilis eſſet,non ideo rem bonam fuiſſe tollendam . Pythagoras littera ſua oſtendit, difficilem & arduam eſſe ſalutis viam . *Virtutem poſuere Dei ſudore parandam*, alius dixit . Sed ipſe Chriſtus inquit, *Arcta eſt via, quæ ducit in cælum.* &, *regnũ cælorum vim patitur.*. &, cum diceret, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, non ſolùm generaliter docuit, quàm eſſet anguſta cæli via, ſed etiam occaſionem quodammodo dare viſus eſt interpretandi hoc modo,

do,

do, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*, id eſt, Contritionem habeat, *tollat crucem ſuam*, id eſt, confiteatur; *Et ſequatur me*, id eſt, ſatisfaciat. attamen iſti faciunt cœli viam tàm expeditam, tàmq́; apertam: at ego ſcio, difficillimam eſſe, & totum corpus mei ducis, cuius mihi in veſtigijs inſiſtendnm eſt, ſanguineo ſudore manaſſe. vna tantùm ratione, quæ difficilia ſunt, fiunt facilia. &, de quo dicitur, *Arcta eſt via, quæ ducit in cælum*, de eodem etiam dicitur, *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*; id eſt, charitate in Deum, & ipſius gratia. amor enim quoduis facinus arduum, procliue, & expeditum efficit, & Dei gratia in omnibus periculis opem fert. ſed eadem ratione Confeſſio pariter nihil negotij, difficultatis nihil habebit. Et quidem ſi quis Sacerdotem, non vti hominem, conſiderabit, ſed vti miniſtrum Dei illius, qui præ rebus omnibus diligendus eſt, cuiq́; iam notiſſima ſunt omnium crimina, omne negotiũ remoueri, omnem laborem, omnem difficultatem, quæcunque prius occurrebat, auferri ſibi comperiet. Præterea demus, confeſſionem eſſe difficillimam, ſed quæramus, res ne mala ſit, an bona. neque hoc loco diſſeramus, Chriſtus eam præceperit, nec ne: ſed tantùm loquentes, vt morales ſolent, videamus, vtrũ bona ſit, an mala. Vos verò, auditores, ſi æqui rerum æſtimatores eſſe velitis, & abſque animi perturbatione iudicare, quod ratio præſcribit, & probat; cenſebitiſne regem, vel principem, in ſuo imperio quieti, paciq́; populorum conſulentem, ſancire legem poſſe, ipſa Confeſſione meliorem, vtilioremuè ad remouenda vitia, & ad ſanctiſſimas virtutes extollendas? Legitur Socratem, & Pythagoricos nonnullos conſueuiſſe, ſtatis temporibus, quæcunq; egiſſent, ſua ipſorum voce alteri confiteri; ſoliosq́; dicere, vti æquum eſſet, expenſi rationem ei reddi, qui pecuniam dediſſet, ita oportere vnumquemq; vitæ ſuæ rationem non ſibi ipſi tantùm modo reddere, ſed alijs quoque: quoniam

non

non nobis ſolùm, ſed etiam alijs nati ſumus, & viuimus. Vos ipſi, Caluiniſtæ, qui iam Catholici fuiſtis, (quæſo verũ dicite) quo tempore paratiores, expeditioreſq; fuiſtis ad crimina? an illo, quo frœnum hoc iniectum erat vobis, vt neceſſe eſſet confiteri peccata, an verò hoc, quo frœnum depuliſtis? ſi poteſtis, affirmate, vos eſſe nunc proiectos, effrænatos, & præcipites minus ad peccandum, quàm antea: & nos ipſi Catholici, quoties à criminibus abſtinemus, à maleficijs temperamus, quoniam ea cõfiteri neceſſe eſt? Dicimus, igitur, Confeſſionem ſine vlla dubitatione, etiam ex morali diſciplina loquentes, opus eſſe inprimis probandum, & percipi ex ea vberrimos fructus. Et tamen illam hæretici tollunt: qua ratione? quoniam difficilis eſt? bonæ ne igitur res, an malæ ſint, dum auribus ſeruiant, imperitæq; multitudini, & populis aſſententur, nihil de eo laborant, nihil ſolliciti ſunt. Quid dicent? quamuis ea bona ſit, non tamen recipiendam eſſe, tanquam à Chriſto inſtitutam, cum inſtituta nõ fuerit? de hoc, inſtitutum Chriſti ſit, nec ne, poſteà videbimus. ſed nunc id quærimus, quamuis eam Chriſtus non inſtituiſſet, cum Caluinus, & omnes agnoſcant, concedantq; eſſe vetuſtiſſimum hominum inſtitutum, cur ſaltem id, velut ab hominibus ſancitum, cum bonum ſit, non probant, & in Eccleſiaſtica Politia non permittunt? Ego verò ſic argumentor. ſi malum eſt Confeſſio; tollatur prorſus: ſi bonum; probetur, recipiatur. bonum eſt, inquiunt, (neque enim inficiari poſſunt) ſed non eſt *de iure diuino*. at mihi compertum eſt, eſſe *de iure diuino*. ſed, vt cunque ſit, ſi nulla eſt ratio, quamobrem Confeſſionem reijciatis, niſi quod non ſit *de iure diuino*; quare cũ bonum ſit, nõ probatis, quare non accipitis, *vt de iure humano?* dicam ego quod ipſi dicturi ſunt, quoniam, ſi confeſſionẽ nos etiã ſtatueremus, nõ tot, neque tanti ad nos fierent hominum concurſus; non præceps multitudo nos effuſè ſequeretur. En quibus fundamẽtis nititur hæreticorum doctrina; id verum eſt, quod populi amant; id falſum

 ſum

ſum,quod oderunt.quòd ſi populus ſententiã mutet;moriar,niſi ijdem etiam hæretici doctores continuò Catechiſmos ſuos immutent. ſed progrediamur vlterius;atque,vt doceamus,Confeſſionem *Sacramentalem* eſſe *de iure Diuino*,videamus primò,quãtopere *Vocalis* Confeſſio ſemper Deo placuerit. Atque hoc loco, auditores,vos præmonitos velim,non ignorare me,Confeſſionẽ Sacramentalem inſtitutam à Chriſto tantummodo fuiſſe. quæcunq; igitur vobis de Confeſſionibus allaturus ſum,quæ tẽpus, vel naturæ,vel legis ſcriptæ reſpiciant,de Confeſſionibus erũt nõ Sacramentalibus: neque teſtimonia,quæ afferam,eiuſmodi erũt, vt demonſtratione certæ,neceſſariæq; rationis Confeſſionẽ, quã tractamus, probent: ſed eò pertinebunt,vt oſtendant,ea omnia, quibus Deus Sacramenta nouæ legis inſtituere volebat, iam inde ab ipſo Mundi principio ſemper ei maximè placuiſſe, ijsq; vſum eſſe,vel vt rebus ſacris,vel vt longè vtiliſſimis,ſibiq; gratiſſimis. Exempli gratia quoniam inſtituendus erat baptiſmus,clarũ cuiuis eſt,quàm frequẽs ſemper fuerit lauationũ vſus: nõ quidem vti Sacramentorũ,ſed vti rerum,quæ Deo arriderent,& vti figuræ Sacramenti,quod erat inſtituendũ. Similiter vſu veniſſe dicimus de Vnctionibus: idemq; de pœnitentia affirmamus. cũ enim in noua lege futurum eſſet pœnitentiæ Sacramentum,eam ſemper in veteri lege frequentari Deus voluit vti virtutẽ. in primis verò,& præcipuè eam pœnitentiæ partẽ,quæ Confeſſio eſt. nam Confeſſionẽ Sacramentalem fieri voce oportebat,atque iccirco oſtendit Deus,vocis Confeſſiones ſibi ſemper eſſe chariſſimas. patet hoc in peccato,quod primũ omnium,cõmiſſum eſt: Adamus enim vixdum peccatũ cõmiſerat, cum Deus continuò Confeſſionem vocalem quæſiuit voce illa ſua, *Adam,Adã vbi es?* Et fœlicem illum vir quidã Sanctus appellat, ſi faſſus erratũ ſuũ fuiſſet. neque enim Deus pater id quærebat vbi eſſet, id eſt, qua in horti parte;ſed quo in ſtatu:denique confeſſionẽ vocalem criminis perpetrati poſtulabat. at ille culpam in Euam; Eua in

ſer-

ſerpentẽ coniecit:& vterque pro accuſatione,excuſatione vſus eſt. itaq; animaduerſionẽ,pœnamq́; non effugerunt. Et fortaſſe perizomata illa cauſſam indicarũt,quare pœna affecti eſſent: ideſt, quoniam cælare peccatũ, quàm ingenuè fateri maluiſſent. idem contigit in ſecundo peccato,cum Caimus fratrẽ interfecit:ſtatim enim Deus Confeſſionẽ vocis exquiſiuit, *Vbi eſt Abel frater tuus?* ò ſtultum,& arrogantem,quàm præclarus is fuit confitendi modus! *Numquid ego cuſtos ſum fratris mei?* quanto magis ipſe ſibi cõſuluiſſet,ſi liberè dixiſſet, Ego occidi. nam manifeſtò apparet, voluiſſe Deum confeſſionem vocalem. qua in re illud maximè animaduertendum eſt, tanquàm præcipuũ, peculiareq́; confeſſionis huius,Deum ſcilicet non eam quærere modò huius, modò illius peccati,aliquo interim prætermiſſo; ſed ſingulorũ,cum à primo incipiat,& pergat poſcere etiam ſecundi confeſſionem. Atque hi duo loci,quos diximus,de Adamo, & Caimo maximè notandi ſunt. neque enim in ijs Deus Confeſſionem requirit tantùmmodo cordis,& mentis; ſed oris etiam,& vocis. neque generatim,ac confuſè fieri poſtulat; ſed diſtinctè,ſpeciatimq́; peccati illius,quod commiſerant. immò animaduertendum eſt,nõ voluiſſe ſibi *immediate* fieri,ſed miniſtro ſuo. nam is,qui *deambulabat ad auram poſt meridiem*, quique ab Adamo, & Caimo confeſſionem requiſiuit,ſine dubio Angelus erat humana ſpecie: vt intelligamus,quàm abſoluta,quàmq́; perfecta eſſet Confeſſionis figura: cum vellet homines illos,prima ſtatim confiteri peccata, ſpeciatim; & miniſtro ſuo,nempe Angelo: vti poſtea oportebat ab omnibus fieri ex iure diuino in Sacramento Pœnitentiæ,confeſſione *vocali*,in ſpecie,& Angelis,ideſt Sacerdotibus:qui quidẽ Angeli Domini ſunt, vt Malachias inquit. 2. Neque ego ſolus haſce duas Confeſſiones perpẽdo, cenſeoq́; noſtræ Confeſſionis Sacramentalis figuras eſſe,ſed idẽ cenſent Tertullianus lib. 2. aduerſus Marcionẽ,& Ambroſius lib. de Paradiſo cap. x. & lib. de Caim & Abel cap. 9. & Gregorius lib. 27. Moral. cap. 13. &

Chriſoſt.homil.18. in Geneſ. & alij. Præterea in Iob,qui fuit vetuſtiſſimus,& multò ante Moyſis tēpora floruit,eſt locus,ex quo licet clare intelligere,homines ea tēpeſtate flagitium, & crimen cenſuiſſe non cōfiteri,voceq́; peccata ſua nō exponere. nam cap. 31.dum ea Iob enumerat,quorū culpa ſe carere exiſtimat, poſtquàm dixit, *Si ambulaui in uanitate,ſi acceptum eſt cor meum ſuper muliere,,ſi deſpexi prætereuntem*, & alia peccata: poſtremò addit. *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum,& celaui in ſinu meo iniquitatem meam*. atque,vt cōſtet omnibus,locutū eſſe de cōfeſſione, nō quæ proximè fit ſoli Deo,ſed quę Deo fit per homines;paullo poſt dicit. *Quis mihi tribuat auditorem,vt deſiderium meū audiat Omnipotens?* itaq; ab ipſo vſq; natura tēpore, vti Deo lauationes placebant,quoniā lauacris inſtituendus erat baptiſmus;ita credēdū eſt,tantopere Deū expetiſſe confeſſiones vocis, quoniā Sacramento pœnitētiæ cōtineri oportebat ſacramentalē confeſſionē. In lege itē ſcripta plurimi ſeſe offerunt loci, quibus apparet,cōfitendi morē eo tēpore frequentē,& vſitatū fuiſſe. Vt Leuitici 5. *Propter peccata patrum ſuorū, & ſua affligentur, donec confiteantur peccata ſua*. Vt Numer. 11. *Vir,ſiue mulier,cum fecerint peccatū; confiteantur peccatum ſuum*. Vt Pſal. 94. *Præueniamus faciem eius in confeſſione*. Et Pſal.35. *Dixi confitebor,& tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Et apertius de cōfeſſione Vocali Eſai.43.cū Deus dicit, *Ego ſum,qui deleo iniquitates tuas:* & confeſtim addit, *narra, ſi quid habes,ut iuſtificeris*. & Ioſue 7. vbi dicit, *Fili mi, da gloriā Deo,& confitere,atq; indica mihi,quid feceris*. quāuis enim eo tēpore non eſſet Sacramentū Cōfeſſio;intelligebāt tamē homines illi, placere Deo confeſſionē vocalē. & nos itē certò ſcimus,Deo placuiſſe; quoniam confeſſionem illam adhibere ad inſtituendam partem Sacramenti vnius alicuius in ſua noua lege decreuerat. Attendite,(nam, quæ afferimus exempla maximè egregia ſunt, & illuſtria, nempe regum ipſorum) quid fecerint Saul, & Dauid: cum enim ambo peccaſſent; vterque hominibus peccata

con-

confeſſus eſt. legitur Regum pri. cap. 15. Saulem, peccato commiſſo, non illud ſoli Deo mente confeſſum fuiſſe, ſed coràm Sacerdote Samuele, dixiſſeq; *peccaui: ſed nunc honora me coràm hominibus populi mei*. Et Dauid; (audite, quæſo, quid poſſit liquere magis, eſſeuè diſtinctum magis, & clarum) abijcit ſe ad pedes Nathan, & dicit, *Peccaui Domino*. Nathan eum abſoluit, *Tranſtulit Dominus peccatum tuum*. deinde pœnam irrogat. *Verumtamen filius tuus morietur*. Sexcenta huius generis exempla, locique ſcriptæ legis afferri poſſunt; quia Deus ijs etiam temporibus illud inſtitutum probabat, eiq; fauebat, quo Sacramenti noſtri partem conſtituere decreuerat. Et apertiſſimas figuras afferebat. certè Leuitic. cap. 13. & 14. cum leproſis præceptum eſt, vt adirent Sacerdotes, & eis morbos ſuos aperirent, atque eorum iudicio, iuſſuque vel extra caſtra manerent, vel ad ea redirent; manifeſta fuit ſacramentalis confeſſionis figura. id affirmant Chryſoſtomus lib. 3. Sacerdotij, & Hieronym. apud Matth. cap. 16. quin etiam Hier. ex eadem figura collegit, non generatim, ſed ſpeciatim, & expreſsè enuntianda Sacerdoti peccata. Chryſoſt. verò collegit, Sacerdotes noſtros antiquis ſacerdotibus longè antecellere; quoniam illi non morbum curabant, ſed curatum eſſe declarabant: noſtri verò non ſolum declarant remiſſum, ſed ipſimet remittunt peccatum. illud verò pulcherrimum eſt, quod habetur Numer. cap. 5. ipſis legis ſcriptæ tẽporibus peccatori neceſſe fuiſſe iure diuino alicui homini peccata ſua diſtincta verbo, & voce confiteri; & ecce præceptum. *Vir, ſiue mulier cum fuerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere &c. confitebuntur peccatum ſuum*. nam animaduertendum eſt, verbum *confitebuntur* eſſe coniugationis hitpael; quod ſignificat confeſſionẽ expreſſam, atque diſtinctam. quod verò Hebræi hoc modo peccata hominibus confiterentur, ideſt, Leuitæ alicui; Rabinorum teſtimonio, & gentis illius conſue-

tudine oſtendunt Thom. Vualdens. lib. de ſacram. cap. 137. & Antonius parte 3. titul. 19. cap. 6. paragr. pri. & Galatinus lib. 10. cap. 3. & alij. prætereа, niſi Hebræi peccata confeſſi fuiſſent homini ſpeciatim, & verbo, ac voce; quid opus fuiſſet moneri eos Eccleſiaſtic. cap. 4. hoc modo, *non confundaris confiteri peccata tua*. ſiquidem neque cum ſoli Deo peccata confitemur, neque cum ea generatim enuntiamus, verecundamur, aut erubeſcimus. Confeſſiones item, quarum frequens erat ad Iordanem vſus, cũ magni eſſent concurſus confitentium peccata ſua; figuræ erant confeſſionis noſtræ: eodem modo, quo baptiſmi illi noſtrum baptiſmum figurabant. Sed, vt de ijs figuris loquamur, quæ non à quoquam alio, ſed ab ipſo Chriſto factæ ſunt; aliud præterea vobis animaduertẽdũ eſt, auditores, (& nunc de Chriſti temporibus loquor) Chriſtum res eas, quæ in Sacramenta tranſituræ erant, antequàm ea inſtitueret, & ſummo honore ſemper affeciſſe, & pluribus figuris indicaſſe. Exempli cauſſa. quoniam inſtituendum erat Baptiſmi Sacramentum, videte, quantum honorem ei tribuerit, cùm ipſe à Ioanne Baptiſta baptizari voluerit, & quot figuris illud innuerit: Probatica piſcina, natatoria Siloe, ſexcentiſq; alijs. Simili modo inſtituturus pœnitentiæ Sacramentum, daturusq; facultatem, & auctoritatem, vt confitentes peccata à Sacerdotibus abſoluerẽtur; illud prius plurimis figuris indicauit. nàm neque cæco lumen oculorum largiri, neque piſcinæ languidum ſanare, neq; filium prodigum recipere, neque latroni in cruce parcere voluit, niſi vnuſquiſque mala, quæ fecerat, ore detegeret, & peccata ſua confiteretur. Et vbi leproſum curauit apud Matth. 8. iuſſit eum continuò ad Sacerdotem pergere, ſeſeq; ei oſtendere. Et cùm decem eodem tempore ſanaſſet, eos omnes ad Sacerdotes miſit. Fuit item huius Sacramenti figura, cũ Chriſtus Apoſtolis mandauit, vt Aſinam ſoluerent, & pullum eius. *Soluite, & adducite mihi.*

te mihi. Et cùm, Lazaro ad vitam reuocato, præcepit Apoſtolis, vt eum ſoluerent, *Soluite, & ſinite eum abire*. tàm crebræ mentiones, actionesq́; ſoluendi, & liberandi quid ſunt aliud, quàm figuræ abſolutionis illius, quæ fit in Confeſſione Sacramentali? quæ confeſſio futura erat pars ſanctiſſimi Sacramenti pœnitentiæ. Dicat nunc Caluinus, has omnes figuras eſſe, non autem confeſſiones Sacramentales. demens: perinde, quaſi nos aliter affirmemus. fatemur figuras eſſe: ſed figuras Confeſſionis Sacramentalis, quam poſtea Chriſtus, vbi tempus venit, ſuo ipſius ore inſtituit. non eſt, igitur, merum hominũ inuentum, vt Caluinus blasphemat cap.4. lib.3. ſectio.7. Sed hoc illud eſt, quod auidiſſimè vos expectatis, vt ſcilicet à me referatur locus, quo Chriſtus ore ſuo Confeſſionem voce Sacerdoti faciendam, in Sacramenti partem inſtituit. atqui nulla eſt cauſſa, cur expectetis: iam enim id habuiſtis, prima huius diſceptationis parte, id eſt, quod legitur apud Ioan.20. vbi Chriſtus Apoſtolis dicit, *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. quo loco non tractari ſacræ concionis auctoritatem, vt ridiculè Caluinus interpretabatur, ſed auctoritatem Apoſtolis tribui abſoluendi homines peccatis, multorum Patrum teſtimonijs confirmatũ eſt, quæ me referente audiſtis. ſic, vt omnis Catholica ſchola, quæ ab ipſius Chriſti temporibus vſq; in hunc diem floruit, vel vobis improbanda, contemnandaq; ſit, vel ex eorum ſententia credendum. Præterea, (diligenter aduertite) ſi Sacerdotes per hæc verba poteſtatem nullam habuiſſent, niſi annuntiandi peccatorum remiſſionem, iam factã; fruſtra eſſent verba illa, *quorum retinueritis retenta ſunt*. non enim poteſtatis ipſorum eſſet non abſoluere, neque quodquam peccati genus retinere. verbũ item *quorum* aliquos certos deſignat comprehendi, neq; alium quemquam: at Euangelica prædicatio non definita eſt, ſed ad

omnes pertinet. *prædicate Euangelium omni creaturæ*. & verbũ *inſufflare, inſufflauit*, remiſſionis donum ſignificat. nam, cum prædicationis datum eſt donum, in linguis datum eſt: ſed donum hoc, quo peccati deletur nubes, *deleui, vt nubem peccata tua*, aptius dari non poterat, quàm *inſufflando*. profectò ſi abſolutio à peccatis nihil aliud eſt, quàm prædicatio; perdent operam, qui ſurdos abſoluent; quibus omnis prædicatio fruſtra eſt: & ſacerdos illis ſine cauſa diceret, *abſoluo te*. Chriſtus item debuiſſet dicere, *quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt*, non autem, *remittuntur*. deniq;, ſi abſoluendi poteſtas nihil mihi præſtaret, niſi, vt doceret, me abſolutum eſſe; abſoluere me poſſet quælibet muliercula, quiuis puer, & infidelis, & daemon, & parum abeſt, quin dicam, omnis pſittacus; dummodò hæc verba *abſolutus es*, proferre didiciſſet. verùm aliter res ſe habet. & luce clarius iam apparet, auctoritatem his verbis datam, *quorum remiſeritis*, poteſtatem eſſe iudicialem, qua ſacerdotes poſſunt, & debent peccata à peccatis diſcernere, & confitentes ab ijs abſoluere, vel ſecus; prout animi iudicio faciendum cenſuerint. quod ſi ita ſe habet, vt ſe habere certum eſt; abſque vlla dubitatione, eodem ſimul pręcepto, confeſſio vocalis inſtituitur, quæ Sacerdoti facienda eſt. nam, ſi pœnitentia, vti dicebamus, iudicium quoddam eſt, in quo Sacerdos Iudicis officio fungitur, & peccator rei; qua ratione fieri poteſt, vt iudex vel abſoluat reum, vel damnet, niſi prius eius crimina cognoſcat? Audite, quæſo; nam res omnis euidens, & perſpicua eſt: auctoritatem tribuit Apoſtolis Chriſtus peccantibus peccata dimittendi, & retinendi pro eorum ſententia. eam in ſententiam an caſu, & temerè venire eos decet? nequaquam: ſed conſilio, & ratione. ſi ratione; oportet, igitur, eos peccatorum qualitatem cognoſcere, vt ſciant, quæ remittenda, & quæ retinenda ſint: id verò ſcire non poteris, niſi ego confitear; ergo hoc eodem præcepto,

Quorum remiſeritis, vel inſtituta eſt ſimul Sacramentalis Confeſſio, vel Chriſtus Apoſtolos deluſit, & præceptum illud inane, & ſuperuacaneum fuit. Legis veteris Sacerdotes ſimiliter facultatē habebant dijudicandi lepram à lepra: ſed facultas ea quid profuiſſet, niſi populis mandatum eſſet, vt ſuas lepras detegerent? Cùm dicitur, *de lepris iudicate*; eiſdem verbis præceptum continetur, vt oſtendantur lepræ. Et cúm Chriſtus Sacerdotibus dicit, populorum vt peccata dimittant, vel retineant, incluſum eſt peccatoribus præceptum, vt peccata aperiant, quæ à Sacerdotibus vel dimittenda, vel retinenda ſint. quaſi verò, quæ cum alijs conferuntur, non ſemper coniuncta ſint; & cùm dicitur, illum verbera, non contineatur ſimul, vt ille verberetur. Præcipiente Apoſtolis Chriſto, vt baptizarent, nonne eodem præcepto mandauit alijs, vt baptiſmum ſuſciperent? omninò: aliter enim ſuperuacaneum fuiſſet præceptum. cùm iuſſit Apoſtolos prædicare, nonne intelligitur, eodem tempore populis præcepiſſe, vt attentè audirent? prorſus, ſine dubio. alioqui, quid ſacræ conciones prodeſſent? pari ratione, cùm iubet Chriſtus, Apoſtolos peccata dimittere, ſeu retinere, *Quorum remiſeritis*, eodem tempore nobis etiam imperat, vt ipſis, & eorum ſucceſſoribus voce peccata confiteamur: vel, vti dicebamus, id fruſtra præcepit, & Apoſtolos irriſit. Quare hic locus eſt, quo Chriſtus Sacramentalem Confeſſionē inſtituit; quòd ſi nunc quæritis in ſacris litteris locos, quibus appareat, an Sacramentalis Confeſſio in vſu fuerit, & quomodo appellata, & quantum recepta, commendataque; inprimis affero Acta Apoſt. cap. 19. vbi dicitur, cùm Epheſi res accidiſſet, quæ magnum timorem, ac formidinem incuteret, ea permotos & Gentiles, & Iudæos, ac præterea plures Chriſtianos, ad Paulum veniſſe, eidemq; ſua peccata confeſſos eſſe, *multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos*; dicit *credentium*, quod verbū Chriſtia-

nos

nos iam baptizatos ſignificat. apparet item, confeſſionem fuiſſe vocalem, neque tamen vniuerſalem: ſiquidem *confitebantur actus ſuos*. non item proximè Deo confitebantur, ſed Dei miniſtro Paullo. idem Paullus Epiſt. 2. ad Corint. cap. 5. loquens de abſoluendi poteſtate in Sacramentali confeſſione, inquit, *dedit nobis Deus miniſterium reconciliationis, & poſuit in nobis verbum reconciliationis &c.* prætereà Ioannes Epiſt. 1. cap. 1. dixit, *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra*. hæc verò Sacramentalem confeſſionem probant, quam deinceps Iacobus etiam ſcriptis ſuis attigit, dicens: *Confitemini alterutum peccata veſtra*. Verùm id omittamus: nã alia mihi ineunda eſt via. hinc enim, ò Caluine, negas inſtitutam à Chriſto fuiſſe Confeſſionem: illinc vſum eius eſſe vetuſtiſſimum affirmas, ijs verbis, *vetuſtiſsimum eius vſum eſſe fateor*. quæro, igitur, ſi ita ſe res habet, quis eam inſtituit? ego aſſero, à Chriſto inſtitutam, & locum affero. tu negas. affer, igitur, & auctorem, & locum inſtitutionis. nunquam afferes; nunquam reperies, quia nuſquam eſt; quia Chriſtus eam, nec alius quiſpiam, inſtituit apud Ioannem 20. ijs verbis, *Accipite Spiritum ſanctum*. ait Caluinus, vetuſtiſſimum eſſe confeſſionis vſum: ſed nullam eius conſignatam literis reperiri memoriam vſque ad Innocentij Tertij tempora: Concilio enim Lateranẽſi canonem ſancitum, præceptumq́; vt confiteremur. ò durum os, ò fallacem linguam? hoc vno verax fuit, vetuſtiſſimam eſſe Confeſſionem dicens; reliqua mentitur. id eſt, cùm à Chriſto inſtitutam negat: & cùm dicit, vſque ad Innocentij Tertij tempora, Confeſſionis ipſius neque ſcriptum præceptum, neq; monumẽtum literis proditum reperiri. quæſo vos, eruditi, per veſtram fidem, canonem illum legite, & mores iſtius detegetis. Canon. eſt 21. Lateran. Concilij, cuius principium eſt, *Omnis vtriuſque ſexus*. animaduertite, & intelligetis, an tunc primùm

inchoa-

inchoetur Confeſſionis præceptum, tanquàm nouũ quoddam, vt Caluinus cenſet, (ſaltem ſcriptorum ratione, quæ ante canonem illum huius præcepti nulla extarent) an verò id pro noſtra cauſſa firmiſſimum ſit argumentum ad demonſtrandum, iam antea vſu receptam fuiſſe Confeſſionem, & inuiolati præcepti vim habuiſſe: neque enim diſputat canon, an fieri debeat Confeſſio, ſed clarum, & exploratum habet, fieri; tempus verò tantùmmodo decernit; ſtatuitq́; vnoquoq; anno fieri ſaltem ſemel oportere. immò amplius dico, quod maximè animaduertendum eſt, ne id quidem nouum eſſe, quod eo canone continetur, vt ſaltem ſingulis annis ſemel confiteri neceſſe ſit, ſed renouari præceptum, & in vſum reuocari. idem enim conſtitutum iam ante fuerat à Zeferino, qui fuit Decimus ſextus à Chriſto Pontifex Summus; quod etiam Platina in eius vita teſtatur. Nec verò obijciatur mihi, ſancitum à Zeferino non de Confeſſione, ſed de Euchariſtia, vt ſingulo quoque anno ſumatur; quoniam ſacrarum literarum periti omnes ſatis compertum habent, ab eo vſque tempore neminem ad Sacramentum Communionis acceſſiſſe, niſi prius confeſſus eſſet. Et Euſebius Cæſarienſis lib. 6. cap. 24. ſcribit, ab Euſebio Papa, qui fuit à Chriſto xxxij. & peruenit vſque ad annum CCC. vetitum fuiſſe Philippũ Imperatorem ad altaris Sacramentum accedere, antequàm confeſſus eſſet. Nec tamen deſinebat Caluinus affirmare, cæptum Lateranenſi Concilio tradi ſcripto Confeſsionem: primumq́ue Innocentium Tertium de ea ſtatuiſſe. *Ante Innocentium Tertium nullam de Confeſsione conſtitutionem habuerunt.* & alibi. *mirum ſilentium.* Ego verò Doctorum locos conſultò omitto. poſſem enim ita vetuſtos afferre, vt Irenæus eſt, ſanè Chriſto proximus, qui lib. 1. cap. 9. hæc apertiſſimè tractat. immò ex Concilijs ipſis pro mea cauſſa afferrem Laodicenũ cap. 2. & Cartaginienſe cap. 3. & primum Cabilenſe, & Caſtilenenſe 2.

& Turonenſe 3. & Maguntinũ, & Vormatienſe, & Lateranẽſe, & Conſtantienſe, & Fauentinũ, & Tridentinũ. Sed quoniam Caluinus Innocentium citat, à Summis Pontificibus non recedens; quæro ego, fuit ne Leo Primus ante Innocentiũ Tertiũ? maximè: annis amplius quingẽtis. nam Leo ſedit anno cccc x l i j. Innocentius autem m c x c v i i j. & nihilominus ad Theodorũ Foroliuienſem ſcribens, ſic dicit. *Christus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt confitentibus actionem pœnitentiæ daret.* Eutichianus fuit ne vetuſtior Innocentio? etiam. floruit enim antequàm Nicænum Concilium haberetur: & tamen Gratianus affirmat 2 2. diſtinctio. 1. cap. Prædicandum, ſancitũ ab eo hoc modo: *Qui, timens pœnitentiam longam, ad confeſſionem venire noluerit, ab Eccleſia repellatur.* fuit ne antiquior Innocentio Fabianus? ſine dubio: nam ſummum Pontificatum geſſit ante Cornelium, qui vigeſimus primus Papa fuit, poſt Chriſtum anno c c x x x i x. at is Epiſt. 2. ad Epiſcopos Orientis, plura de Confeſſione apertiſſimè decernit. Et ſapiens iſte Caluinus contendebat, ante Innocẽtium Tertium reperiri neminem, qui vnquàm de Confeſſione ſcripſiſſet. Alio item modo vos, ò ſimplices, decipere conatur Caluinus, & animis veſtris errorem, & caliginem offundere. nam hiſtoriam vetuſtã admodum adeò detorquet, & deprauat, & fucat, vt eam vobis ponderis, verãq; videri velit. ait enim, ſi Confeſſio eſſet *de iure diuino,* non poſſet ſtatuere Epiſcopus, neminem confiteri debere: & hactenus rectè, & vera loquitur. ſed Nectarius (inquit idem Caluinus) Epiſcopus Conſtantinopolitanus ob grauem offenſionem, ex occaſione confitendi natam, è ſua Eccleſia Confeſſionem omninò ſuſtulit, præcepitq; vt quilibet non confeſſus ad altaris Sacramentum accederet. at hoc ipſum probandum fuit. iam verò probatum eſt, Caluinus ait, cùm illud Sozomenus in ſua hiſtoria affirmet. mirabar, ni Caluinus Sozomeni ſcripta diligen-

ter obſeruaret. Gregorius enim Epiſtola 195. lib. 6. ad Elogiũ, & Anaſtaſium Epiſcopos ſcribens, ſic ait; *Hiſtoriam Sozomeni, quia multa mentitur, Sedes Apoſtolica non recipit.* attamen ego Sozomenum hac in parte non reijcio, libro 9. cap. 35. Tripartitæ hiſtoriæ factum narrantem. addo item ei Socratẽ, qui lib. 5. cap. 19. rem eandem geſtam exponit. ſed vos omnes, ò ſcientes, & docti, oro, obteſtorq́; , vt vtrumq́; locum diligenter conſideretis. quòd ſi comperietis, ſublatam à Nectario Confeſſionem; nihil cauſſæ dico, quin vos de me ipſo, deterius, quàm ego de Caluino, ſentiatis. verba illa hoc debent, permiſiſſe Nectarium, *Vt pro ſua quiſque conſcientia ad ſacra myſteria accederet.* Caluinus autem exponit, permiſiſſe, vt ſine Confeſſione quilibet ad communionem accederet. cui primùm ego reſpondeo, oportere mendacem eſſe memorem: iam enim conſtare, proditam fuiſſe literis ante Innocentij Tertij tempora Confeſſionis memoriam. tùm ego vobis illius loci veram expoſitionẽ affero. Scire enim volo vos, auditores, ante Nouati tempora fuiſſe cuique liberum, vt etiam nobis hodie permittitur, Sacerdotem, quem mallet, eligere, (dummodo is probatus eſſet, & huiuſmodi facultatem haberet,) cui peccata confiteretur. quare ſenex ille moribundus apud Euſeb. lib. 6. cap. 33. indiſcriminatim dixit; *Aliquem ex præsbiteris aduoca ad me*, ſed ſerpente latius indies hæreſi Nouatiana, vt reſciri certius poſſet, quinam confiterentur, ſancitum eſſe, vt vnicus deſtinaretur ſacerdos, cui omnes confiterentur: idq́; vſque ad Nectarij tempora diligenter obſeruatum fuiſſe. quibus temporibus cùm deinde exorta eſſet illa offenſio; qua in narranda tantam Caluinus voluptatem capit; putauit Nectarius, offenſionis occaſionem ex ea neceſſitate natam, qua omnes confiteri vni tantum Sacerdoti cogebantur. quare, hoc ſolo abrogato decreto, res ad priſtinum ſtatum redijt, permiſitq́; Nectarius, (quod ante Nouatum vſitatum erat,) *Vt pro ſua quiſque conſcientia ad ſacra myſteria accederet.* ideſt,

vt vnuſquiſque ex ſua conſcientia, vti prius, ſacerdotem eligeret, cui confiteretur, poſteaq; ad ſanctiſſimam communionem accederet. intelligitis ne, quanto maiorem habeat hæc expoſitio ſpeciem veritatis, quoniam ſyncera eſt, & vera? quàmq; iniuſtè, & iniquè Caluinus agat, qui in perniciem, & exitium veſtrum vndique vel tenuiſſima, & leuiſſima ſtudioſiſſimè conquirat, quibus ſcrupulum mentibus veſtris inijciat? ſed is talis ſit, qualis eſſe vult. *Accipite Spiritum Sanctum*. Ecce locus, quo Chriſtus Confeſſionem, immò totum ſanctiſſimæ pœnitentiæ ſacramentum, inſtituit. quam pœnitentiam diximus, ſimul cum fide habere nos oportere, vt iuſtificationem conſequamur. neceſſe eſt, igitur, credere; ſed itẽ neceſſe eſt pœnitere. nam ſine contritione nemo eſt, qui gratiam accipiat. vtcunque tamen, ſi vita ſupereſt, ſemper confiteri nos oportet, vt contritionem aſſequamur, ſi contriti non ſumus: vel, ſi contritionem habemus, vt illud *re* præſtemus, quod, contriti dum eſſemus, propoſitum fuit nobis. atque idem propemodum contingit in ſatisfactione, quæ eſt tertia pœnitentiæ pars. Vt enim, quo tempore contritus eras, confiteri proponebas, & iccirco etiam gratiam habentem, oportebat confiteri; ita in Confeſſione ſatisfacere proponis; quapropter etiam poſt obtentam abſolutionem ſatisfacere neceſſe eſt. ſumma ſit, abſque tribus his, iuſtificari neminem. primum ſemper *re*, &, quæ ſequuntur duo, ſaltem propoſito. atque noſtrum exemplum repetentes; ſatis eſt, ſine tribus hiſce remigationibus te nunquam è peccati lacu ad gratiæ portum peruenire. nunc eſto, te contritum, & confeſſum iam adeptum eſſe gratiam; quid ſupereſt, niſi *re* præſtare, ſatisfactionem illam, quam propoſuetas? illam ne, in quam tantopere inuehitur, quamq; tot maledictis inſectatur Caluinus? ẽt: illam ipſam, quæ Caluino tàm moleſta, tàm odioſa eſt: quibus vero de cauſſis, & me non fugit, & faciam, vt proxima diſceptatione vos etiam intelligatis. abite felices.

DISCE-

DISCEPTATIO VNDECIMA.

Qua probatur, ſatiſfactionem eſſe neceſſariam. cum culpa ſimul non remitti ſemper totam pœnam. ſatiſfacere alium pro alio poſſe. ſacras indulgentias eſſe ad ſatiſfaciendum pro nobis aptiſſimas: quemadmodum earum firma, & vera fundamenta ſine dubio poſitâ ſunt in ſcripturis ſacris; & eaſdem à Chriſti temporibus vſque ad noſtram ætatem ſemper in vſu fuiſſe.

Contra Caluinum lib. Inſtitut. 3. à ſectio. 25. quarti cap. vſque ad Sextam Quinti.

ANtequàm argumenti mei ſeriem perſequar, dabis mihi, Sereniſs. Princeps, hanc veniam, ſi iuſto dolore permotus, ab eo parumper diſcedã, mox eôdem reuerſurus. Quis veſtrûm, auditores, me vnquam audiuit affirmantem, nos operibus pœnitentiæ peccatorum remiſſionem promereri? Contritioneq́;, Confeſſione, & Satisfaciendi propoſito mereri quemquam iuſtificationem, & primam gratiam? immò quis vnquam Catholicum concionatorem, doctrinam huiuſmodi tradentem, audiuit? veſtrûm nemo ſine dubio. At vos, ò Caluiniſtæ, accepiſtis quidem auribus à miniſtris veſtris, culpæ huius falsò nos inſimulari, obijciq́; quòd credamus operibus noſtris mereri, vt nos Deus iuſtificet. quod ſi verum eſt; cur liberè non proferunt, quibus locis hæc à nobis diſciplina tradatur? cur non dicunt, in hoc, vel in illo ſuggeſto, vel in illa ſchola huiuſmodi præcepta docuerunt? ſat ſcio, perſuaſum eſſe vobis, præ modeſtia non taceri. ſed profectò tacent, quoniam quid dicant, non habent: & denique, quia reperiri nunquam potuit, neque vllo tempore poterit, ex ore cuiuſquam noſtrum doctrinam hanc excidiſſe. Atque ego quidem, auditores,

tores, affirmaui, poſt acceptã præuenientem gratiam; nunquã à Deo iuſtificari nos, niſi fidei etiam opera pœnitẽtiæ iungamus. at nemo me dicentem audiuit; poſtquàm præuenientem gratiã conſecuti ſumus, nos vera fide firmatos, operibus pœnitentiæ iuſtificationem mereri. aliud eſt, cum dico; abſque hoc iuſtificationem non conſequor; aliud ſi dico, hac re iuſtificari mereor. aliud idoneum fieri, aliud mereri. atque ideo conſequens eſt, non idem eſſe, ſi dicamus, operibus pœnitentiæ me idoneũ fieri ad iuſtificationem; ac ſi affirmemus, me iuſtificationem mereri. ò quàm anguſti ſunt, auditores, Theologiæ tramites! & tamen ad ea tempora peruenimus, quibus nemo eſt, qui ſemel Teſtamẽtum nouum materna lingua conſcriptum percurrerit, quin illico ſe eſſe Theologum putet. ſi quis dixerit, operibus pœnitentiæ non præparari nos ad iuſtificationem, hæreſis eſt. cũ dicimus, pœnitentiæ opera nobis iuſtificationem mereri, hæreſis eſt. ſi quis dixerit, opera in gratia facta nos tantùm reddere idoneos ad gloriam, hæreticum eſt: ſin dixerimus, opera facta in gratia gloriam non mereri nobis, vtique eſt hæreticum. an, igitur, doctrinam hanc eruditus Melancthon diſcere potuerit apud Calepinum., veſtri ſit iudicij. Gratiam mereri non poſſumus; (alioqui gratia non eſſet gratia, ſed præmium; nam meritum ſequeretur) gloriam autem poſſumus. Præterea (& in hoc ſumma conſiſtit) opera noſtra tanquàm noſtra, nunquã ſpiritualia, & æterna bona merentur. cum verò merentur, id contingit, quoniam ab anima proficiſcuntur, quæ gratiam habet. Simili nempe ratione, qua ex aquæ puræ riuulo nullus odor afflatur: ſed ſi per odoratum canalem ea defluat, odorifera fit. quare priuſquàm in gratia ſimus, res huiuſmodi mereri nõ poſſumus: ſed ante iuſtificationem à gratia longe abſumus: igitur ante iuſtificationem non meremur. quo probato, conſequẽs eſt, vt primam iuſtificationem non mereamur, & primam gratiam mereri nunquam poſſimus. atque, vt rem abſoluamus,

opera noſtra triplicia ſunt, vel tribus modis conſiderare opera noſtra poſſumus: tanquàm quæ idoneos reddunt, quæ merentur, & quæ ſatisfaciunt. antequàm ſimus in gratia, quòd ad eam attinet. opera noſtra ad eam obtinendam nos præparant, & reddunt idoneos. poſtquàm vero gratiam obtinuimus; ſi pœnam tempore definitam, quæ reliqua eſt, ſpectemus, ſatisfaciunt; ſi verò gloriam, merentur. Atque, vt eodem reuertamur, vnde digreſſi ſumus, non dicimus opera pœnitentiæ primam nobis mereri gratiam, ſed ad eam obtinendam nos idoneos reddere; & iccirco ſine ijs operibus nunquam à Deo (ordinata potentia) iuſtificari. Exemplo vtar, quo rem omnem facillimè percipietis. poteſt ne mereri quiſquam, vt corporibus Deus animam inſpiret? nequaquam. tantam enim rem, tàmq; inſignem, quàm animæ ratione præditæ creatio, vel immiſſio eſt, mereri non poſſumus. attamen verum eſt, Deum non ante animam infundere, quàm fœtus in vtero matris formatus ſit: ſed ſimulac formam accepit, Deum nunquam deeſſe, quin continuò animam rationalem infundat. pari propemodum ratione de prima gratia dicendum eſt: quam nos operibus pœnitentiæ non meremur, ſed opera illa nos habiles, & idoneos ita efficiunt, vt ſi cum vera fide ea coniunxerimus, Deus ſemper nos iuſtificet. agricola item ipſe ſerendo non meretur, vt Sol ſurgere ſementem faciat, conuertat in ſegetem, ſeges ipſa grandeſcat, ad meſſem perducatur; ſed cùm ſeminat, agrum præparat, & aptum adeò reddit, vt à Sole beneficia illa ſine dubio conſequatur. Si rex aliquis ita polliceatur; adornantibus vobis ciſtellam, eam ego gemmis referciam; quis ignorat, nos non, ſi ciſtellam adornemus, gemmas propterea mereri, ſed regi obſequentes, ad munus accipiendum nos in eum modum comparare, quem ipſe præſcripſit? quare nihil eſt, Caluine, quòd tantoperè labores, vt locos afferas, quibus doceas, peccatorum

remiſſionem dari nobis ex gratia; nam iſtuc ipſum nos etiam affirmamus; ſed cum addis, ſi ex gratia datur, ſuperuacua ſunt pœnitentiæ opera; reſpondemus, nihil ijs opus eſſe ad promerendam gratiam; ſed Deum ea requirere, vt nos præparemus, vt apti, vt idonei fiamus ad eius gratiam conſequendam. *Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini*, Eſaias dicit. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum nõ recordabor*, dicit idem. *Donans vobis omnia delicta*, cap. 2. ad Coloſſen. *non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit*. cap. 3. ad Titum. defeſſæ, Caluine, iam ſunt aures noſtræ ſatietate, totq; locorũ numero, quos præter rem attuliſti. nàm ijs omnibus idipſum probatur, quod nos affirmamus; primam ſcilicet iuſtificationem non ex merito noſtro, ſed ex Dei miſericordia donari nobis. at nullo eorũ loco probatur id, quod probari non poteſt: ideſt, nolle Deum, præter fidem opera præterea pœnitentiæ; tanquam ea, quæ præparationem inducant, antequam nos ipſe iuſtificet. quare catholicam doctrinã amplectamur, neque vnquam ab ea diſcedamus: certumq; & exploratum ſit vobis, auditores, ſecundam, & lenem auram ſemper tantam uobis opem allaturam, vt in portum facillime perueniatis, ſi poſtquàm voces è naui audieritis, quibus de littore compellamini; à lacu dextra, ſiniſtraq; remos impuleritis. quæ quidem omnia non remorum merito, ſed eius qui vobis auram largitur, & in portum vos recipit, bonitate, atque clementia conſequemini. ideſt, cum contigerit, vt vos in mortiferum peccatum aliquando delabamini, ſi poſt gratiam præuenientem, vt iuſtificationem acquiratis, fide, ſanctaq; pœnitentia muniti eritis, ſemper Deum cooperante gratia, ita vobis fauturũ, tantumq; adiumentum allaturum, vt iuſtificationem obtineatis, redeatiſq; in eius gratiam. quod tametſi abſque pœnitentia non continget; nullo tamẽ veſtro merito fiet, ſed mera Dei gra-

tia

tia, atque miſericordia. Nunc autem magna fit ſtatus, conditioniſq; mutatio. cum enim hactenus de vobis locutus ſim, vt eratis in lacu, & peccato tenebamini; nunc acturus ſum, vt omni peccato ſoluti, iam eſtis in gratia. libet enim mihi quærere, poſteaquam contritionem habuiſtis, & abſolutionem à Sacerdote conſecuti eſtis, denique poſtquam primam obtinuiſtis iuſtificationem, quo in ſtatu ſitis. neque, Sereniſſime Princeps, digreſſionis meæ me pœnitet: quam enim concluſionem firmaui, id eſt iuſtificationem, quantum ad peccati remiſſionem pertinet, ex mera Dei miſericordia fieri, ea mirifice ad rẽ meam facit, datq; pulcherrimum propoſitæ materiæ principium. Atque inprimis, quæro ego, an fieri poſſit, vt opus aliquod Dei reperiatur, totum ex mera ipſius miſericordia ita factum, vt ei, iuſtitiæ ſuæ nihil admiſcuerit: & audacter egomet reſpondeo, fieri non poſſe. addo etiam, ſi quod opus reperiretur, totum miſericordia conſtans, ſed in quo nullus iuſtitiæ radius eluceret, nullum appareret veſtigium, illud opus Dei eſſe negari conſtanter poſſe: *Vniuerſæ domini miſericordia, & veritas. Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi. Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt. Veritas de terra orta eſt; & iuſtitia de cœlo proſpexit.* & Auguſtinus ait; *Non auferat veritas miſericordiam, nec miſericordia impediat veritatem. ſi enim pro miſericordia vindicabis contra veritatem, aut quaſi rigida veritate oblitus fueris miſericordiam, non ambulabis in via Domini, in qua miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi.* itaque ſine dubio, cum Deus clementer operatur, admiſcet nihilominus ſemper non nihil iuſtitiæ ſuæ. & iccirco vlterius ego progredior, quæroq;, quo tẽpore peccata Sacerdoti cõfitemur, & abſoluimur, vel alia ratione iuſtificamur, cũ Deus, vt Caluinus cenſet, & ſuadet ipſa veritas non operũ noſtrorũ merito, ſed mera ſua miſericordia peccata remittat, hoc in opere tãtæ miſericordiæ vbi nam iuſtitia ſit: hoc loco, quo pacto, *Obuiant*

ſibi miſericordia, & ueritas? qua ratione *iuſtitia, & pax oſculantur ſe?* & rurſus, auditores, dico ſi in iuſtificatione noſtra nihil intercederet aliud, niſi culpæ remiſſio; ſine dubio opus id eſſet meræ miſericordiæ: ſed aliud intercedit, quo ſuas partes iuſtitia mirifice tuetur. Vt autem rem percipiatis, nonnulla repetam. tenetisné memoria, quo in ſtatu dicebamus eum eſſe, qui mortale peccatum commiſiſſet? horribilem enim eſſe illius ſtatum docuimus: diximusq́; miſeriam eiuſdem vehementer augeri verbis, & maximè amplificari poſſe. ſed, ad duo tantùm capita redigentes, concluſimus, eum, qui lethali peccato teneretur, reum culpæ eſſe, & reum pœnæ: & ratione culpæ, gratia Dei carere; ratione autem pœnæ, inferorum cruciatibus obnoxium eſſe. quòd ſi ei contigiſſet, vt moreretur, antequàm mortifero peccato liberaretur, vti reum culpæ, nunquam Dei cōſpectu fruiturum; & vti reum pœnæ, ad inferna loca deſcenſurum, ignibus æternis excruciandum. at dicamus, peccatorem & confiteri, & à Sacerdote abſolui, & denique iuſtificari; quid inde conſequitur, quantū ad culpā pertinet, qua tenetur? ea ſine dubio liberatur: quod quidem miſericordiæ eſt. quātum verò pertinet ad pœnam, cui eſt obnoxius, refertné fructum aliquem? etiam, ac magnum ſanè, quo tēpore maxima quoq; diuinæ iuſtitię ratio habetur. quāuis enim Deus in iuſtificatione peccatoris omnem ei liberè culpam remittat; nihilominus tamen pœnā non itē. nā æternā quidē remittit; (quod ipſum magnæ itē miſericordiæ donū eſt) ſed vult tñ, æternā in temporalē cōmutari: atque iuſtificatum, etiam poſt adeptā culpæ remiſſionē, quò ſatisfaciat, vti propoſuerat, ob præteritas, & remiſſas culpas, aliqua perſoluenda pœna teneri: qua in re mirabilis diuinæ iuſtitiæ radius elucet, eaq; ratione *Miſericordia, & veritas obuiant ſibi; iuſtitia, & pax oſculantur ſe.* Dixi iam, & rurſus affirmo, ſi peccatori contigiſſet, vt moreretur, ante Sacerdotis abſolutionem, vel ante iuſtificationem, ab eo,

vti

vti reo culpæ, Deum nunquã viſum iri; & pœnas æternas apud inferos latum iri. poſt verò obtentam à Sacerdote abſolutionem, & poſt iuſtificationem nos certos eſſe, eum, qui iuſtificatus eſt, vti culpa omni liberatum, & in Dei gratiam receptum, (niſi in peccatum recidat) ſine vlla dubitatione faciem Dei viſurum: & hoc miſericordiæ eſt: quod tamen ipſum nunquã omnino conſequetur, niſi in hac, vel in futura vita perſoluerit prius, ſiue pœnitentiam, pœnamq; à Sacerdote irrogatam, (ſi peccatis ea conueniat) ſiue aliquam pœnam aliam, quæ delictorum iam remiſſorum menſuræ reſpondeat; & hoc eſt iuſtitiæ. ſimili nimirum ratione, qua rex ſi vni alicui ſuæ ditionis ob perpetratum crimen iratus, eum perpetuo exulare iuſſiſſet, & elapſis aliquot annis, vellet eum ab exilio reuocare, in gratiam quidem reciperet, perduellis nomen aboleret, perpetuo exilio liberaret; attamen, vt in tanta miſericordia aliquis etiam locus iuſtitiæ relinqueretur, exilij perpetui loco eum aliquò ad certum tempus relegaret, quo quidem elapſo, is liberè in patriam redire poſſet. ita Deus facit, miſericors ſimul, & iuſtus. cum peccatorem iuſtificat, recipit eum in gratiam, & in beatorum numerũ aſcribit: ſed antequàm is ad cæleſtem patriam perueniat, vult omnino aut viuum, aut mortuum relegari, vel aliam pœnam perſoluere, quò ſuam iuſtitiam tueatur. ad exemplum redeo: & in præſentia, quæ poſt obitũ eueniant, omitto. ſimulac nauis peruenit in portum, vectores certi ſunt, ſe vrbem ingreſſuros; (modo in lacum referri ſe non patiantur) neque tamen eis patebit aditus, niſi prius vectigalis aliquantum pendant, quod ab vrbis, & portus domino conſtitutum eſt. atque ſine dubio, ò auditores, *Hæc eſt fides Catholica*. Caluinus autem quid ait? cũ ſit *Fides Catholica*, iam inde vobis non ſolum conijcere, ſed planè intelligere, & ſcire licet, ipſum contradicere, & aduerſari. prætere a, vbi de operibus agitur, ſemper calcitrare, reluctariq; vide-

bitis Caluinum illum, qui cœlum ſine operibus, & abſque labore patere pollicitus eſt, eaq́; ratione credulos in ſuam ſententiam perducere, & hominum exiſtimationi ſeſe venditare in animum induxit. is ſtatuebat, Deum nobis culpam remittere mera ſua bonitate abſque vlla animi noſtri præparatione, & ſine operibus pœnitentiæ. nunc item vult, pœnam illam æternā, cui obnoxius eſt peccator, omnem à Deo in iuſtificatione remitti; ſic, vt nullam omnino, ne certo quidem tempore finitam, retineat. cenſetq́;, totam iuſtificationem opus eſſe Dei, & prorſus contra Dei ipſius verba totam eſſe Dei miſericordia refertā; neque cum illa ne vllam quidem iuſtitiæ vmbram coniunctam eſſe. more videlicet ſuo, auditores, qui ſemper in extrema ſe conijcit. nam vt ſcripturam ſacram extollat, traditiones negat. vt efferat ſanguinem Chriſti, applicationes eius reijcit. vt honore afficiat, opera excludit. vt omnia fidei tribuat, nihil libero arbitrio concedit. & nunc, vt in peccatoris iuſtificatione Dei miſericordiam recipiat, iuſtitiam prorſus exterminat. quanto melius, quantoq́; præſtantius nos, & quanto maiori pietate mediū quoddam tenemus? qui & in ſcripturis, & in traditionibus Dei verbum agnoſcimus. vim omnem Chriſti ſanguini tribuimus, dummodò is applicetur. ad iuſtificationem adipiſcendam, neceſſariam eſſe fidem cenſemus; ſed ſine operibus non ſufficere aſſerimus. vigere præcipuè, & in primis volumus gratiam, ſed liberum arbitrium non tollimus. denique concedimus, Deum miſericordia ſua in iuſtificatione culpam omnem nobis remittere: ſed vt iuſtitiæ ſatisfiat, pœnæ aliquantū retinere. at nihilominus (Caluinus inquit) non deſunt diuinarum literarum clariſſimi loci, ex quibus manifeſtò cognoſcitur, peccatori, mores mutanti, & animum ad bonum cōuertenti, peccata omnia Deū condonare, neque quicquam omnino retinere. vt Ezechielis 18. quo loco ipſe Deus ait, *Si egerit impius pœnitentiam, omnium ini-*

quita-

quitatum ſuarum non recordabor: ſed hoc quàm leue eſt? nàm hic locus adeo vrget, vt non vno modò tantùm, verum triplici reſpondeatur. primum enim idem Deus ad impium addit, vt poſtquàm pœnitentiam egerit, faciat *iudicium, & iuſtitiam,* quod exponi poteſt, & intelligi de Confeſſione, & Satisfactione. poſtea dicit, ſe tum omnia obliuione deleturum, cum *impius egerit pœnitentiam* ſed quis ignorat, ad perfectam pœnitentiam requiri etiam ſatisfactionem? denique cum primùm me iuſtifico, *Deus omnium iniquitatum mearum non recordabitur:* verum quidem, ſi illud ad culpam referas: ſin autem ad pœnam, non item. ſic intelligendi ſunt omnes ij loci, quos ad ſatietatem Caluinus affert, cum Deus *proijcit peccata poſt tergum.* cum *delet inſtar nubis.* cum *proijcit in profundum maris.* cum *tegit.* cum ait, *ſi fuerint, vt coccynum, quaſi nix dealbabuntur.* & ſexcenti alij, qui poſſent afferri. omnes enim declarant, Deum in iuſtificatione totam culpam remittere; nulla ne minima quidem parte retenta; ſed quòd ad pœnam pertinet, veritati non aduerſantur. nempe Deum, vt iuſtitiæ ſuæ partes tueatur, non totam pœnam æternam condonare, ſed in temporalem conuertere. itaque nō continuò è portu peruenitur in oppidum; ſed prius vectigal exigitur. & poſtquàm remiſſa culpa eſt, oportet iuſtificatum nonnulla opera pœnalia facere, & aliquid perpeti antequàm aſpectu Dei perfruatur. ſed quam ſemper audiſtis cantilenam, nunc iterum audite. quantum enim eſt, quod patimur, (ait Caluinus) aut quid ſunt opera, quæ facimus, vt ea ſatisfacere pro noſtris in Deum offenſionibus poſſint? quantam vero iniuriam facimus Chriſti ſanguini, quantumq́; de eius virtute detrahimus, cum ipſe pro omnibus cumulatè ſatisfecerit, ſi eius ſatisfactioni quodammodo diffidentes, poſtquàm iuſtificati ſumus, velimus etiam nos amplius nonnullis noſtris operibus ſatisfacere? quàm verò moleſtus eſt, & odioſus ipſe Caluinus, auditores, cum

hoc ſuo egregio argumento præter rem, & toties repetito? Ego verò reſpondi non ſemel & reſpondebo denuò. ſed dico, edico, me poſthac in hac materia de homine non amplius reſponſurum. verum eſt ſanè, & iàm ſæpiſſimè affirmauimus, Chriſti ſanguinem pro omnibus ſatisfeciſſe *Sufficienter*, ſed non *efficaciter*. & in vitæ arbore eſſe fructus, ſed decerpi eos oportere. & paratum eſſe medicamentum, ſed hauriendum eſſe. & Probaticam piſcinam extare, ſed ijs tantùm prodeſſe, qui lauentur. & *conregnaturos*; at, *Si ſuſtinebimus, & mortuum eſſe pro nobis*; at *nobis relinquentem exemplum, vt ſequamur veſtigia eius. Et poſſe ire poſt ipſum*, at oportere *tollere crucem.* atque, vt tandem finem faciamus, omne bonum è Chriſti ſanguine manare; at applicari eum oportere. *Omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius*. verum; at applicanda eſt. Chriſtus *pro nobis factus eſt peccatum*, id eſt, pro omnibus ſatisfecit; verum id quidem *ſufficienter*; at non *efficaciter*. omnis gratia *data eſt nobis per Chriſtum Ieſum*; verum: at per applicationem. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris:* verum; at applica. *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi*; at applica. *Liuore eius ſanati ſumus:* at applica. *Pro nobis ſe obtulit:* at applica. & ijs modis applica; quos ipſemet idoneos cenſuit, præparauitq́; peccatum, origine contractum, Chriſti ſanguine abluitur, at per baptiſmum: quod autem actione contrahitur; ſanguine itē Chriſti deletur, at per pœnitentiam applicato. atque vos, auditores, memoria retinere exiſtimo, quinque porticus, & quinque pontes Probaticæ piſcinæ. docuimus enim, è porticu originalis peccati deſcendi in ſanguinis piſcinam per baptiſmi pontem: & è porticu peccati, quod actu committitur, intrari in piſcinam ſanguinis per pontem pœnitentiæ: & è porticu leuioris peccati, quod veniale dicitur, in piſcinam ſanguinis perueniri per pontē rerum multarum. nunc item dicimus, ex eorum porticu, qui

cul-

culpam exuerunt, ſed viuentes, oportet iuſtitiæ Dei aliqua ex parte ſatisfaciant, piſcinam ſanguinis adiri per pontem operum, quæ ad pœnam pertinent, & alterius cuiuſdam rei. ſatis ſit in præſentia, nos neque iniuriam Chriſti ſanguini facere; neque noſtris operibus vim nimiam tribuere: omnem enim ſatisfactionem in ſanguine locamus, ſed applicationem hac in re tribuimus, quibus ipſe tribuit Chriſtus, pœnalibus ſcilicet noſtris operibus. itaque ſine vlla dubitatione, vt vt Caluinus latret, clariſſimum eſt, exulem, à rege in gratiam receptum, atque ab exilio perpetuo reuocatum, non continuò in vrbem aditum habere; ſed prius ad breue tempus aliquò relegari: & denique iuſtificationem opus Dei nequaquam fore, niſi eidem aliqua iuſtitiæ pars ſit admixta, & niſi Deus, poſt remiſſam peccatori culpam, loco pœnæ æternæ, cui is erat obnoxius, afflictationes aliquas, pœnasq; tẽporales ab eo exigeret antequàm ad æternã gloriam, & ad intuendam ſuam ſanctam faciem eum admitteret. Ne verò putetis, auditores, doctrinam hanc ex meo tantùm pœnu depromptam eſſe: præter ea, quæ à tot doctoribus, totq; concilijs ſcripta ſunt, ipſius præterea Dei verbo innititur pluribus in locis: quorum partem Caluinus vidit, partem videre noluit. atque in primis, Deum repoſcere afflictationes, vel pœnas etiam ab ijs, quos iam amicos habet: & poſtquàm aliquem in gratiam receperit, exigere tamen ab eo pœnam, non mortiferam, aut æternam, ſed tempore definitam, apertè docet locus ille; *Caſtigans caſtigat ſeruos ſuos Dominus, ſed morti non tradit eos*. & ille, *Quem diligit, Dominus caſtigat*. & id genus alij. ſi verò Caluinus affirmet, loqui eos de paterna animaduerſione, non de iudiciali; ecce vobis amicos Dei caſtigatos: non morte, neque præ iracundia, ſed iudiciali forma. *Caſtiga me Domine in iudicio, ſed non in ira tua*. et alibi, *Cum iudicamur, à domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*. ſed firmiora etiam, & clariora affere-

feremus. Matthæum ſcilicet cap. 4. quo loco Ioannes Baptiſta fructus fieri pœnitentiæ iubet: *facite fructus dignos pœnitentiæ*. ij verò pœnitentiæ fructus quidnàm quæſo ſunt, aut quid eſſe poſſunt, niſi ſatisfactionis opera? quæ quidem cum Ioannes Baptiſta præcipiat, & Ioannes Caluinus diſſuadeat, vtri potius credendum cenſeatis, veſtri iudicij ſit. in Eccleſiaſte item maximè inſignis eſt locus: dicit enim ſapiens cap. 20. *Fili peccaſti; ne adijcias iterum*. & hactenus apparet, condonatam fuiſſe culpam. & tamen addit; *Sed de præteritis deprecare, ut dimittantur tibi*. hæc autem dimiſſo, quæro, an ad culpam pertineat, an verò ad pœnam: & cum ipſius etiam Caluini iudicio pertinere non poſſit ad culpam, quam nullis noſtris intercedentibus operibus, ſed ſola Dei miſericordia remitti dicit, ſequitur ergo neceſſario, vt intelligendum ſit de temporali pœna: & ſapiens nos erudit, vt inter cætera, deprecationum operibus, pœnæ debitum quod reſiduum eſt, deleamus. præterea Chriſtus, poſtquàm Phariſeos docuit, & hortatus eſt, vt operam dent, quò in gratiam redeant, addit; *de cætero*, ecce temporalis pœna, quæ reſtat; *date eleemoſinam*; ecce opus pœnale. *Et omnia munda ſunt vobis*. ecce poſt remiſſionem culpæ remiſſio etiam pœnæ: nam nec Caluinus quidem concedet, vt *eleemoſinis mundentur peccata*, ſi de culpa intelligamus. & tamen Chriſtus ait, *Date eleemoſinam, & omnia munda ſunt vobis*. igitur de pœna loquitur, quæ adhuc retinetur. Daniel item, nonne dixit, Regi Babylonis, *eleemoſinis redime peccata tua?* quid igitur? delenturné eleemoſinis peccata, quantum ad culpam attinet? hoc ne Caluinus quidē ipſe vnquam affirmabit. ergo agitur eo loco de ſatisfactione pœnæ, quam facimus noſtris pœnalibus operibus, poſteaquàm remiſſionem culpæ iàm obtinuimus. Prouerbiorum cap. 16. ſcriptū eſt, *miſericordia, & veritate redimitur iniquitas*. quod ſine dubio de temporali pœna commodè intelligitur Paull. epiſt. 2. ad Corint.

Corint. cap. 7. varios fructus enumerat, qui ex illa ſancta triſtitia proueniunt, *quæ pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. dicitq; *producit vindictam*: quæ nihil aliud eſſe poteſt, niſi pœna illa, & opera pœnæ ſatisfacientia, quæ vel eligit quis ſponte, vel à Sacerdote recipit, vt peccatorum pœnæ temporali ſatisfaciat. ſed Leuitici cap. 4. 5. & 6. ex peccatorum grauitate dominus diuerſa ſacrificia præcipit: ex quo clarè conſtat, poſt remiſſionem culpæ, poſtq; reconciliatum Deum illuc tantùmmodo ea pœnæ opera pertinuiſſe, vt temporali pœnæ ſatisfacerent atque offenſionem Dei aliquantùm compenſarent. Deus enim poſtquàm culpam remiſit, alicuius etiam temporalis pœnæ, quę interdum reſtat, ſatisfactionem repoſcit. & quidem res vſu ipſo facillimè percipitur. ſunt enim, auditores, nonnulli loci ſcripturæ ſacræ, quibus Deus, poſt remiſſum cuiuis peccatum, vult tamen tuendæ iuſtitiæ cauſſa, illum amplius afflictationem aliquam ſuſtinere, & pœnam temporalem perſoluere. nã Numer. cap. 14. cum Moyſes oraſſet pro peccatis populi, *Dimitte obſecro peccatum populi huius*, & cum Deus dimiſiſſet culpam, ſuoq; ipſius ore dixiſſet, *Dimiſi*; exigit tamen ab eis aliquam temporalem pœnam, additq;, *attamen omnes homines, qui tentauerunt me, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum*. Moyſes item, & Aaron, cum veniam impetraſſent peccati, ad aquas contradictionis commiſſi; nihilominus tamen pœnam temporalem tulerunt, terra promiſſionis excluſi. nec non Maria eorũ ſoror, cum ei Deus iam ignouiſſet, iuſſa eſt pœnæ ſatisfacere. Manaſſes præterea, Acab, & ſexcenti alij, qui poſtquàm in gratiam Dei redierant, nihilominus ſacco, cilicio, cinere, alijſq; pœnis temporali pœnæ ſatisfaciebant. Mariæ Magdalenæ primum remiſſa eſt culpa, quare, cum tot criminum condonationem obtinuiſſet, *dilexit* multum. deinde, cum implicita eſſet hac magna dilectione, pœnalis ſatisfactio, tunc facta eſt ei al-

tera

tera remiſſio, quantum ad pœnam pertinebat; *Et dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum*. ſed quodnam exemplum illuſtrius eſt exemplo Dauidis? adulterium committit, occidit, grauiſſima peccata perpetrat; quæ poſtea Nathan propheta aperit, & confitetur, *peccaui*. Nathan affirmat, dimiſſum fuiſſe peccatum eius. *Tranſtulit dominus peccatum tuum*. attamen, vti Sacerdos, miniſterq; diligens, poſtquàm eum abſoluit, nonne etiam pœnam irrogat? nonne docet, remiſſionem culpæ tẽporalis pœnæ remiſſionẽ nõ continere? ita prorſus. addit enim continuò, *Verumtamen filius tuus morietur*. & alibi, cum Deus culpam Dauidi condonaſſet, quam numerando populo contraxerat, Gad pœam imponit, præcipiens, *Vt extruat altare Domino*. videtis ne vos, auditores, quot locis, quotq; exemplis ſacra ſcriptura referta ſit, quibus liquidò apparet, Deum in opere iuſtificationis nonnullam ſemper temporalem pœnam retinere, atque iccirco opus eſſe, ſatisfactionem aliquam ſemper adhiberi? Quid nunc expectatis? an ad ea confirmanda, quæ diximus, vt teſtimonia patrum, ſicut antehac fecimus, afferamus? fruſtra expectatis. nam certum, ac ſtatutum eſt mihi non afferre. qua verò de cauſſa? an forte, quia deſint patres, qui à me ſtent? nihil minus. immò quia nemo eſt, qui mecum non ſentiat, & ſingulos referre, laboris eſſet propemodum infiniti. at quis eſt, qui ſciat, ego vos fallam, decipiam, necne; dum dico, patres omnes eſſe pro me, omneſq; de ſatisfactione hac, quam fieri oportet, locutos eſſe? quis, inquam, ſcit? dicam ego; hic verò is eſt, qui tanta apud vos auctoritate pollet, tantaq; exiſtimatione, vt aduerſus eum hiſcere, veſtrum auſurus ſit nemo. Oraculum veſtrum, idôlum veſtrum, ſanctus veſter, propheta veſter; veſter Caluinus; ipſe, ipſe Caluinus veſter pro me affirmat, pro me teſtatur, patres vetuſtos omnes huius eſſe ſententiæ. ecce eadem ipſius verba inſtitutio. 3. cap. 4. ſectio. 38. *Parum*

me mouent,quæ in veterum ſcriptis de ſatiſfactione paſsim occurrũt. potuitné Caluinus clarius exprimere? videte, an verum ſit, ad probandam ſatisfactionem locos *in veterum ſcriptis paßim occurrere*. locos illos quanti facit, iam auditis: *parum me mouet*. quæ tradunt omnes vetuſti patres, floccifacit omnia. ſed deteriora ſunt, quæ ſequuntur: audite: quin potius aures obſtruite: O ſceleſtum hominem! *Video quidem eorum nonnullos; (dicam ſimpliciter) omnes ferè in hac re lapſos*. quis vmquam quicquam iniquius audiuit? verum eſt, (Caluinus ait) omnes veteres patres, doctrinam hanc de ſatisfactione tradidiſſe; ſed quid? ſed omnes aberrarunt, lapſi ſunt omnes. omnes errarunt, Caluine, & vnus tu bene ſenſiſti, tu rectè locutus es vnus? ita res eſt ſi credendum eſt tibi. at tu tibi habeas doctrinam tuam: ego enim cum omnibus ſanctis patribus errare malo, quàm tecum bene ſentire; qui temerarius es, & hæreſiarcha. Vos autem, Caluiniſtæ, quid dicitis de moribus, & de modeſtia Archiſynagogi veſtri? is verò, quò peruenit, inde non recedat, vbi diligenter ſubducuntur, & ſupputantur rationes. Vos interim, auditores, eò magis obfirmate vos in ea doctrina, quam hodierno die vobis attulimus, quòd vel ipſe inimicus noſter eandem eſſe fatetur, quam Patres ſancti tradiderunt. perduellis, exulve, qui iam in gratiam redijt, in patriam continuò, antequam elapſum ſit relegationis tempore, non reuertitur. poſteaquàm nauis è lacu in portum inuecta eſt, non patet uectoribus aditus in vrbem, niſi vectigal pendant. denique non eſſet opus Dei iuſtificatio, niſi ineſſet in ea iuſtitia: & niſi verum eſſet, te, poſtquam à Sacerdote obtinueris abſolutionem, vel alio modo iuſtificatus ſis, (niſi recidas in peccatum,) Dei aſpectu fruiturum: neque id aſſecuturum tamen, niſi prius pœnam aliquam temporalem perſolueris. Sed paullatim quæſo: præter hanc pœnarum ſatisfactionem in itiné præterea alia ratio poteſt, qua placetur Deus? etiã. ſed eius proferendæ nondum eſt locus. quieſcite.

MVlta vobis, auditores, afferimus hac ſecunda diſceptationis parte: eaq; maximè animaduertenda. Sed oportet, nos paullo etiam, quàm ſoletis, attentius audiatis. Et, quamuis incertum vobis interdum videri poſſit, quorſum tendamus; omnibus tamen exploratum ſit, nos à recta via nihil prorſus erraturos, ſed nonnullis de cauſſis eam occultè adeo progreſſuros; vt diſcerni vix poſſit. Quæſitum eſt à nobis extrema ſuperiori parte, an iuſtificatus homo alia ratione pœnæ, certo tempore definitæ, quam retinet Deus, ſatisfacere poſſit; quàm ſi aliquam pœnam, in ſe ſuſcipiat: & reſponſum eſt, poſſe alio item modo; quem tunc patefacere tamen noluimus: nunc vnum uobis pariter aperiemus, ex quo deinde paulatim orietur alter ille, quem adhuc indicandum non putamus. itaque dicimus, Deum liberaliſſimum, atque iuſtiſſimum non ſolum habere ſatisfactionis loco opera pœnalia, quæ nos ipſi facimus; ſed etiam crebro accepta referre, pro pœnarum noſtrarum ſatisfactione illa pœnalia opera, quæ nos ipſi non facimus, ſed alij faciunt pro nobis. ò mirificam, & immenſam Dei bonitatem! quid dici poteſt amplius? perinde, atque ſi rex perduellem, quem ſemper exulare iuſſerat, à perpetuo exilio reuocarit, & relegarit ad præfinitum tempus: deinde permittat etiam perduellis amicum relegationis illius incommodum, & moleſtiam pro ipſo reo ſubire; & elapſo tempore non minus perduelli pateat aditus in patriam, quàm ſi ipſe relegationis pœnam pependiſſet. ſat habet Deus, ſi vector, qui iam ad littus applicuit, quò in oppidum ingrediatur, vel ipſe, vel alius pro ipſo vectigal ſoluat. Et ſit vobis hæc firma concluſio; opera alterius, dùm viuimus, nobis prodeſſe poſſe. quod tametſi adeò æquum eſt, vt qui illud tollerent, *Sanctorum communionem*, eandem ipſam, de qua in ſymbolo habe-

tur,

tur, tollerent; tamen, vt illud corroboremus magis,locos etiam apertos ſacræ ſcripturæ afferemus, quibus idem manifeſtò probatur. nam apud Lucam 18. Chriſtus ait, *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis,qui introducant vos in æterna tabernacula*. quibus verbis rem omnem aperuit. ſi enim amici nobis poſſunt facilè munire viam in cœlum,ſiq; actiones illorum noſtræ ſaluti proſunt, vt certe proſunt; quanam id accidit ratione? an culpam delendo? nequaquam. nam culpa noſtra non deletur, niſi cum nosipſi contritionē habemus. eatenus,igitur, proſunt, quoad opera ſua pœnalia voluntate, & animo ad nos applicāt, ſicq; ſatisfactione noſtræ opem, & adiumentum ferunt. Præterea, Numer. 16. legitur, ſimulac Aaron thus adoleuit, orauitq; Deum, ne vltra populum affligeret, ſubito *ceſſaſſe plagam*. atque vti Deus primò culpam remiſerat; ita poſtea, ducens actiones Aaron ſatisfactionis loco, pro pœna tempore definita,quam retinuerat, affligendi populi finem fecit. *Et ceſſauit plaga*. Ac quantum ad ſacrificia pertinet, maniſeſta res eſt. Vt Leuitic. 4. *Rogāte pro eis Sacerdote, & ſacrificante,propitius eis erat dominus*. atque, vt Paullus ait, oportet, Pontificem offerre *pro peccatis totius populi*. illud deniq; luce clarius eſt, dum viuimus, poſſe aliū pro alio ſatisfacere. Quare, ò vectores, hic eſt alius vectigalis ſoluendi modus; cum ſcilicet quiſpiam pro vobis ſoluit. & poſteaquàm à Sacerdote criminum abſolutionem conſecuti eſtis, nihil poteſt à vobis fieri prudentius, nihil vtilius, quàm ſi detis operam, vt aliqui pro vobis preces apud Deum adhibeant, addant precibus ieiunia, ſacrificia,peregrinationes,& id genus alia, tàm enim clemēs eſt Deus, vt quicquid ab illis fiat; ſatisfactioni veſtræ acceptum referat; non ſecus, ac ſi factum à vobis fuiſſet. itaque iam duas rationes habemus, quibus ſemel vectigal ſoluere poſſumus. vnam, pœnalibus noſtris operibus, alteram, alienis. Nunc tertiam cognoſcite, quam adhuc proferre nolui; ſcili-

ſcilicet, quomodo ſatisfaciamus neque operibus noſtris, neque alienis, quæ nobis ab ipſis operantibus applicetur. Et quiſnàm, bone Deus, eſſe poterit hic modus, quæ via, quæ ratio? mox ſcietis; ſed gradatim nobis progrediendum eſt. itaque illud in primis vobis affero; poſſe hominem iam iuſtificatum, dum hac luce fruitur, opera ad ſatisfaciendum idonea plura facere, quàm ipſe indigeat, vt pœnam temporalem perſoluat, quæ nondum remiſſa eſt. fieri item poſſe, vt vector, poſtquàm egreſſus è naui, deſcendit in littus, vultq; in vrbem ingredi, argenti plus habeat in crumena, quàm ſibi ſit opus ad vectigal ſoluendum. quid ad hæc, Caluine, dicis? quid dicat? detrahit, vituperat: prouidet enim, quorſum hæc pertineant. itaque exclamat, inſultat, conuitiatur. Quaſi verò (ait ipſe) falſum ſit illud, *in multis offendimus omnes*. quaſi Ioannes non dixerit; *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus*. quaſi hoc item non ſit verum, *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*. neque omnibus dicendum ſit, *dimitte nobis debita noſtra*. & ſint *condignæ paſſiones huius ſæculi ad futuram gloriam*. quaſi deniq; non ſit nobis laborandum vehementer, quò perfectè pro peccatis noſtris Deo ſatisfaciamus, vt etiam id ſumamus nobis; poſſe tot opera facere, quæ debita noſtra longe ſuperent. ferοculus ſane homo iſte eſt. ſed attendite vos, ò Catholici: cognoſcitéq;, an res claræ ſint, & omni ſcrupulo careant. præcipuè verò in memoriam reuocate illam operum diſtinctionem, quã principio dicebam. nempe, interdum opera conſiderari vti diſponunt, inducuntq;; interdum verò vti merentur: nonnunquam vti ſatisfaciunt. nam antequam adepti primam gratiam ſimus, tantùmmodo præparant, & inducunt: neque gratiam primam promerentur. At vbi gratiam conſecuti ſumus; opera noſtra, quæcunque facimus, & gloriam merentur, & pœnæ ſatisfaciunt. Verum enim verò, cum de his duobus nobis agendum

dum

dum ſit, nempe de merito, & de ſatisfactione; vtamur omniũ; quæ afferri poſſint, exemplo maximè illuſtri, nobiliſſimoq;, id eſt, Chriſti paſſione. nam hæc ſine dubio & meruit, & ſatisfecit. meruit non ſolùm ſibi; *propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*; ſed etiã nobis; quibus & primam gratiam, & remiſſionem peccatorum meruit. Et ſatisfecit non pro ſe quidem; (peccatis enim non tenebatur, pro quibus ſatisfaceret) ſed pro nobis, quorum pro peccatis, ſi nõ efficaciter; certè *ſufficienter* ſatisfecit in ligno crucis; *Et dolores noſtros ipſe portauit*. ſimili modo dicimus; omnia opera noſtra, quæ nos gratiam adepti facimus, & mereri, & ſatisfacere: ſed tamen inter hæc, & illa nonnihil intereſt. Licet enim Chriſtus & ſibi, & alijs meruerit; nos merere quidem nobis ipſis poſſumus, ſed alijs nunquam poſſumus. Et licet Chriſtus pro alijs quidem ſatisfacere potuerit, ſed non pro ſeipſo, quoniam peccatum non habebat; opera noſtra in primis pro nobis poſsũt ſatisfacere; necnon etiam pro alijs, ſi illa mente, & voluntate noſtra ad eos appli cemus. itaq;, ſi Caluinus de merito loqueretur, vera diceret. operibus enim noſtris, quotquot, & quantacunque à nobis fierent, nunquam amplius faceremus, quàm quantum nobis opus eſt ad promerendum cœlum: quod quidem alijs mereri nunquam valemus. immò, poſtquam gratiam aſſecuti ſumus, quanto magis meremur operando, ad maiores tanto gloriæ gradus idonei reddimur, & præparamur: neque vnquam operari tantùm poſſumus, quin adhuc amplius, atq; amplius reſtet, quod mereri poſſimus. ſed ſi de ſatisfactione loquamur; falſa Caluinus dicit, vt ſolet. nam temporalis pœna, quam ob mea crimina reſeruat Deus, circumſcripta eſt, & definita. neq; neceſſe eſt, ſicut indies maiorem, ac maiorẽ gloriã mereor, & nunquam merẽdi finem facio; ita me in dies ampliori, atq; ampliori pœnæ ſine fine ſatisfacere. ſed poſtquàm ad eum terminum perueni, qui reſeruatæ pœnæ

ſcilicet, quomodo ſatisfaciamus neque operibus noſtris, neque alienis, quæ nobis ab ipſis operantibus applicetur. Et quiſnam, bone Deus, eſſe poterit hic modus, quæ via, quæ ratio? mox ſcietis; ſed gradatim nobis progrediendum eſt. itaque illud in primis vobis affero; poſſe hominem iam iuſtificatum, dum hac luce fruitur, opera ad ſatisfaciendum idonea plura facere, quàm ipſe indigeat, vt pœnam temporalem perſoluat, quæ nondum remiſſa eſt. fieri item poſſe, vt vector, poſtquàm egreſſus è naui, deſcendit in littus, vultq; in vrbem ingredi, argenti plus habeat in crumena, quàm ſibi ſit opus ad vectigal ſoluendum. quid ad hæc, Caluine, dicis? quid dicat? detrahit, vituperat: prouidet enim, quorſum hæc pertineant. itaque exclamat, inſultat, conuitiatur. Quaſi verò (ait ipſe) falſum ſit illud, *in multis offendimus omnes*: quaſi Ioannes non dixerit; *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus*. quaſi hoc item non ſit verum, *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*. neque omnibus dicendum ſit, *dimitte nobis debita noſtra*. & ſint *condignæ paſſiones huius ſæculi ad futuram gloriam*. quaſi deniq; non ſit nobis laborandum vehementer, quò perfectè pro peccatis noſtris Deo ſatisfaciamus, vt etiam id ſumamus nobis; poſſe tot opera facere, quæ debita noſtra longe ſuperent. ferocculus ſane homo iſte eſt. ſed attendite vos, ò Catholici: cognoſcitéq;, an res claræ ſint, & omni ſcrupulo careant. præcipuè verò in memoriam reuocate illam operum diſtinctionem, quā principio dicebam. nempe, interdum opera conſiderari vti diſponunt, inducuntq;; interdum verò vti merentur: nonnunquam vti ſatisfaciunt. nam antequam adepti primam gratiam ſimus, tantùmmodo præparant, & inducunt: neque gratiam primam promerentur. At vbi gratiam conſecuti ſumus; opera noſtra, quæcunque facimus, & gloriam merentur, & pœnæ ſatisfaciunt. Verum enim verò, cum de his duobus nobis agendum

dum

dum ſit, nempe de merito, & de ſatisfactione; vtamur omniũ; quæ afferri poſſint, exemplo maximè illuſtri, nobiliſſimoq;, id eſt, Chriſti paſſione. nam hæc ſine dubio & meruit, & ſatisfecit. meruit non ſolùm ſibi; *propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*; ſed etiã nobis; quibus & primam gratiam, & remiſſionem peccatorum meruit. Et ſatisfecit non pro ſe quidem; (peccatis enim non tenebatur, pro quibus ſatisfaceret) ſed pro nobis, quorum pro peccatis, ſi nõ efficaciter; certè *ſufficienter* ſatisfecit in ligno crucis; *Et dolores noſtros ipſe portauit*. ſimili modo dicimus; omnia opera noſtra, quæ nos gratiam adepti facimus, & mereri, & ſatisfacere: ſed tamen inter hæc, & illa nonnihil intereſt. Licet enim Chriſtus & ſibi, & alijs meruerit; nos merere quidem nobis ipſis poſſumus, ſed alijs nunquam poſſumus. Et licet Chriſtus pro alijs quidem ſatisfacere potuerit, ſed non pro ſeipſo, quoniam peccatum non habebat; opera noſtra in primis pro nobis poſsũt ſatisfacere; necnon etiam pro alijs, ſi illa mente, & voluntate noſtrà ad eos appliceemus. itaq;, ſi Caluinus de merito loqueretur, vera diceret. operibus enim noſtris, quotquot, & quantacunque à nobis fierent, nunquam amplius faceremus, quàm quantum nobis opus eſt ad promerendum cœlum: quod quidem alijs mereri nunquam valemus. immò, poſtquam gratiam aſſecuti ſumus, quanto magis meremur operando, ad maiores tanto gloriæ gradus idonei reddimur, & præparamur: neque vnquam operari tantùm poſſumus, quin adhuc amplius, atq; amplius reſtet, quod mereri poſſimus. ſed ſi de ſatisfactione loquamur; falſa Caluinus dicit, vt ſoler. nam temporalis pœna, quam ob mea crimina reſeruat Deus, circumſcripta eſt, & definita. neq; neceſſe eſt, ſicut indies maiorem, ac maiorẽ gloriã mereor, & nunquam merẽdi finem facio; ita me in dies ampliori, atq; ampliori pœnæ ſine fine ſatisfacere. ſed poſtquàm ad eum terminum perueni, qui reſeruatæ pœnæ

T meæ

meæ ſtatutus eſt;omnia opera pœnalia,quæ facio, ſatisfaciendi cauſſa ſuperfluunt,& redundant. Quòd ad meritũ pertinet; mereri nihil poſſumus amplius,quàm cœlum ipſum. ꝙ verò ad reſeruatas pœnas; vexari, & affligi longe vehementius poſſumus, quàm earum ſatis factio poſtulet. Eat nunc Caluinus,& ſcripturæ locos ad faſtidium congerat,in quibus de merenda gloria agitur,& eiſdem agi dicat de ſatisfactione pœnæ. Verum eſt,*Omnes offendere*. verum eſt,non poſſe dicere nos, *peccatum non habere*. & iterum verum; *Omnes egere gloria Dei*. & omnibus dicendum eſſe, *dimitte nobis debita noſtra*: ſed hæc quid ad rem? quis hæc inficiatur? quis nos peccatores eſſe, non fatetur, & Dei gratiam non eſſe neceſſariam dicit,vt peccatum exuere valeamus? ſed vbi illud exuimus,& poſt adeptam iuſtificationẽ cum nobis adhuc temporalis pœna reſeruatur, probaturné ijs locis, quin nos pœnalibus noſtris operibus perfectè ei pœnæ ſatisfacere poſſimus, & longè maiora facere, quàm pœna ferat? ſimiliter locus ille, *non ſunt condignæ paſſiones huius ſæculi*, cui dubium eſt,quin intelligatur non de *paſſionibus*, vti pœnæ ſatisfaciunt, ſed vti gloriam merentur? atque iccirco continuò additur, *ad futuram gloriam*. Alia porrò,alia,inquam, ineunda eſt tibi, Caluine, ratio; quàm vt multorum locorum quaſi aceruos,multitudinis fallendæ cauſſa,conſtruas: quos quidem locos ſi quis poſtea acrius intueatur,manifeſtò deprehendet, nullum eorum eſſe, qui ad rem pertineat. Attẽdite,quæſo,Caluiniſtæ, quàm ſecus ego cum iſto veſtro agam: Et, cùm facillimum mihi eſſet,ipſas locorum claſſes afferre; videte tamen, quàm ab huiuſmodi oſtentatione ſim alienus: ſatisq; mihi ſit paucos admodum,& crebrò vnum tantùm afferre; ſed ita clarum, vt eo non ſint Solis radij clariores. dico ego,fieri poſſe,dum viuimus, vt pœnarum plus patiamur, quàm peccata poſtulent,ob quæ pœna, tempore definita, nobis reſeruatur. at vos petitis,vt ſacræ ſcripturæ locum aliquem ad id

con-

confirmandum oſtendam . igitur audite, & vos ipſi iudicate, ſi velim amicum veſtrum imitari,& locos arbitratu meo fingere, num clariòrem, magisué vrgentem,inuenire poſſem . *vtinam*, Iob 6. *appenderentur peccata mea,quibus iram merui* . hæ ſunt pœnæ retentæ, *Et calamitas,quam patior in ſtatera,* hæc erat vexatio, quam patiebatur. audite nunc quantùm retentam pœnam vexatio ſuperaret,quantoq; maior eſſet : *quaſi arena maris hac grauior appareret* . ò Caluine, *quaſi arena maris hac grauior appareret*. Sacræ ſcripturæ verba ſunt,& ea manifeſta : quibus ipſa ſtateræ metaphoram vſurpat,vt collationẽ oſtẽdat ; & vtitur verbo *grauior*. atque vt demonſtret, magnitudinem,redundantiamq; operum pœnaliũ longè antecellere retentis pœnis,id hyperbole tàm magna exprimit,ſcilicet,*quaſi arena maris*. Videsné, quos ego locos affero,interpretatione non indigere? intelligisné, ſatis exploratũ eſſe,ab eo,qui iuſtificatus eſt,ſæpenumero tot,tantaq; opera pœnalia fieri,ut *ratione meriti* prẽmiũ quidem nunquam excedant, ſed *ratione ſatisfactionis* ſine dubitatione vlla debito lõgè maiora ſint? cognoſcisné,vectorem,iam naui egreſſum in littus,nonnunquam pecuniæ tantum colligere,vt,cum ad portã vrbis peruenerit,multo plus habeat, quàm opus ei ſit ad vectigal perſoluendum? *Sic ambuletis, vt abundetis magis* , dicebat Paullus. & hic eſt alius apertiſſimus locus pro operibus,quæ redundant . ſed præter Petri,& Paulli locos nonne creditis,horum vtrumque antequàm ſupremum vitæ diem explerent, tot iam opera pœnalia feciſſe, vt ipſorum ſatisfactioni nihil addendum,nihil deſiderandum eſſet? ita verò. prætereà ambo martyriũ pertulerunt. martyrium hoc fuitné bonum opus,& in gratia factum? quis dubitet? illo igitur opere & meruerunt, & ſatisfecerunt : hoc ipſum etiam clariſſimum eſt. qua ratione meruerunt? quoniam maiores gloriæ gradus martyrio conſecuti ſunt, & altiores in cœlò ſedes obtinuerunt. ſed quomodo ſatisfecerunt ? pro ſeipſisné?

nequaquam. iam enim id cumulate præſtiterant. igitur, uelis, nolis, Caluine, totum Petri, & Paulli martyrium, quantum ad ſatisfactionem attinet, opus fuit redundantiæ. Mariam item virginem, auditores, quis neſcit, puriſſimam fuiſſe? & nunquam actione peccaſſe? nam de peccato, origine contracto, non eſt hic dicendi locus. illud item nemini dubium eſt, eam in toto feliciſſimo vitæ ſuæ curriculo ſemper ſeſe in ſanctiſſimis operibus exercuiſſe. itaq; operibus illis, factis in gratia, (quod eorum proprium eſt) & meruit, & ſatisfecit; ita, vt oportuerit, mortis ipſius tempore, cumulatam eam eſſe ſummo merito, & maxima ſatisfactione. meritum autem cui vſui fuerit, nō ignoramus, nempe, vt ea excelſiſſimum in cœlo locum conſequeretur; quamobrem *abſumpta eſt ſuper choros angelorum*. ſed ſatisfactio cui profuit? nemini dubium eſt, quin illi prodeſſe non potuerit, quæ peccatū nō commiſerat, pro quo ſatisfaceret. omnis, igitur, ipſius ſatisfactio redundans fuit. & auri, & argenti vis, quam habebat, paullo ante, quàm vrbem ingrederetur, cum ita libera eſſet, & immunis, vt exigi ab ea nullum vectigal poſſet, omnis ſuperfuit. Eodem modo dici poteſt de tot alijs ſanctis, præter infinitam redundātiam ſatisfactionis è Chriſti præterea ſanguine: qui vim ſatisfaciendi habens, pro toto hoc Mundo, & alijs mille, ſi tot extarent, cum pro vno tantùm *ſufficienter* ſatisfecerit, reliquam omnem ſatisfactionem fateri oportet, redundantē fuiſſe. itaque, quod principio propoſui, auditores, diligēter memoria cuſtodite; opera nōnulla eſſe ſatisfactionis redundantis; hoc enim ita probatum eſt, & auctoritate ſacræ ſcripturæ, & ipſa ratione, vt amplius in dubium reuocari non poſſit. Progrediamur autē vltra, & hoc modo dicamus. Conſtat, nihil opus eſſe in cœlo operibus ſatisfacientibus: id .n. neq; Caluinus, neq; quiſpiam alius omnino negauit vnquam, negareuè auderet. Vbi, igitur, homini, redundantis ſatisfactionis operibus ornato, cōtingit, vt moriatur; quādoquidē

certum

certum eſt, ijs operibus illi non opus eſſe; hæc ſatisfactio redundans quorſum euadit? cum mortuus eſt Chriſtus, & præter Chriſtum, cum Maria Virgo, & Petrus, & Paullus, & innumeri præterea alij ſancti, mortem obierunt, tot operibus redundantis ſatisfactionis cumulati, quandoquidem illa non intulerunt in cœlum, vbi nullus eſt ſatisfaciendi locus; ôpera illa quonam abierunt? cum viator ad oppidi portam peruenit, longeq́; ampliorem pecuniam habet, quàm ad ſoluendum vectigal ipſi neceſſe ſit; nihilq́; ſit, cur in vrbem deferatur, in qua nihil ea prorſus opus eſt; id omne, quod ſupereſt, quem vſum habet? ſi egomet, auditores, dicerem, abijci, & ſuperuacaneum eſſe; vererer, ne me lapidibus obruendum eſſe cenſeretis: & meritò quidem. nam nulla ratione dicendum eſt, quicquam in Eccleſia Dei vel deeſſe, vel ſuperuacaneum eſſe. & ſanè impium eſſet, ſi quis crederet, rem tàm puram, tantamq́; quanta eſt ſatisfactio pro peccatis, vento diſsipari, & euaneſcere. quis, igitur, eorum operum eſt vſus? ô admirabilem Dei prouidentiam? ex ijs cōflatur communio illa Sanctorum, oriturq́; ille in Chriſti corpore membrorum quaſi conſenſus, concentusq́; de quo Doctores omnes locuti ſunt. tenetisné memoria, quàm bene Paullus ad Corinth. formam, figuramq́; quandam exprimebat Eccleſiæ, corporis exemplo, in quo membrum alterum alteri opituletur, atque deſeruiat? hoc etiam ipſum ſignificare volebat; ſcilicet ex operibus redundantibus, quæ in Eccleſia remanent, à Deo theſaurum Sanctæ Eccleſiæ colligi, & in ærarium recondi. Eius autem claues ei præcipuè dari, qui vicem ipſius in terris gerat, ac præterea Epiſcopis, vt pulcherrima quadam communione, conſenſuq́;, ſi quis ſit interdum, qui careat ſuis ipſius ſatisfactionis operibus, ij, pro ſuo cuiuſque iudicio, ex ærario Sanctæ Eccleſiæ illa opera depromant, quæ alijs ſuperfuerunt, & ijs tribuant, quibus deſunt. Communionem hanc aliqua ex

parte ſignificabat Dauid, cum diceret; *particeps ego ſum omnium timentium te*. immò illa ipſa eſt, quam nos ipſi etiam in Symbolo confitemur, *Communionem Sanctorum*. aurum enim, quod viatori, iam in vrbem ingreſſuro, ſupereſt, non proijcitur: ſed ciuitatis princeps vicarium ſibi, & miniſtros inſtituit, eiſq; ærarij claues tradit, in quod omnes, quæ ſuperſunt, pecuniæ referantur. ac, ſi quando viator aliquis inops eſt, neque amicum habet, qui ei ſubueniat, vicarius hic, & miniſtri, pro ſuo quiſque conſilio, charitateq;, ſacrarum clauium virtute ærarium aperiunt: & ea pecunia, quæ alijs ſuperfluit, illorum inopiam omnino; vel aliqua ex parte ſubleuant, qui egeſtate premuntur. atque hoc modo clarus eſt duorum locorum difficilium ſenſus: quorum alter eſt Paulli; Origenis alter. Paullus enim ad Colloſſenſ. ait. *Gaudio in paſsionibus meis pro vobis. & adimpleo ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia*. ſecus enim abſonum quodammodo videretur, ſi aliquid dicatur, paſſioni Chriſti defuiſſe, quæ fuit totius perfectionis forma, & in qua fuit dictum, *Conſumatum eſt*. ſed ex ijs, quæ diximus, plana, & aperta fiunt omnia. nam in ærarium idem, in quod paſſio Chriſti, vti ſatisfaciens, relata eſt, omnes item paſſiones redundantes Sanctorũ ipſius referuntur. quare Paullus *gaudebat in paſsionibus ſuis*. non pro ſe ipſo; (neque enim tanta ſatisfactione indigebat) ſed *pro nobis*, vt etiam ad ipſos applicaretur. *Et adimplebat ea, quæ deſunt, paſsionum Chriſti*. & indies opera faciebat, quibus magis, ac magis ærarium repleret, in quo repoſitæ ſunt ipſius etiam Chriſti paſſiones. *pro corpore eius, quod eſt Eccleſia*, id eſt, pro concordia, conſenſuq; huius myſtici corporis Eccleſiæ; atque, vt paſſionibus ſuis redundantibus, quod alijs deerat, ſuppleretur. Locus item Origenis difficilis eſt, qui habet, *Sanctorum etiam ſanguis aliqua ex parte effuſus eſt ad expianda peccata populi*. & tamen *non eſt aliud nomen*

men ſub cælo, datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. neque alius præterea ſanguis, qui peccata remittat, præter Chriſti ſanguinem, reperitur. ſed reſpondetur, ſolum Chriſti ſanguinē, vim, & virtutem dare ijs, quæ intercedunt, & media ſunt, ad remittenda peccata; verùm multa intercedere, & media eſſe, vti iam plus millies diximus, quæ ſanguinem Chriſti nobis applicant. de quorum numero ad ſoluendam tempore definitā pœnam, reſeruatam nobis, poſtquàm iuſtificationem adepti ſumus, ſunt etiam opera redundantiæ, quæ ab alijs fiunt. Vel, vt paucioribus dicam, verum eſt, ſanguinem, à martyribus effuſum, peccatum non delere, ſi de culpa intelligamus: ſed vti redundantiæ opus ad ſatisfaciendum pœnæ applicari nobis poſſe. Summa eſt, opera redundantiæ in ærarium referri, vt ijs aliena ſubleuetur inopia. Et quidem pulcherrimam ſimilitudinē habemus, auditores, in inſigni miraculo panis, & piſcium. nam ad famem depellendam, id eſt, ad ſatisfaciendum temporali pœnæ reſeruatæ, poſt tranſmiſſum contritionis mare, & poſt conſcenſum Confeſſionis montem, pauci panes, & piſces præſtò erant, qui quidem eorum vſui ſatis eſſe poterant, qui illos habebant. id eſt, opera pœnalia ijs proſunt, qui illa faciunt. ſed Chriſtus effecit, vt ijs panibus, & piſcibus alij etiam fruerentur. id eſt, permittit Deus, vti opera noſtra etiam ad alios applicentur. immò cum plurima fragmenta, magnæq́; reliquiæ ſupereſſent, impleri cophinos iuſſit, Petroq́;, & cæteris Apoſtolis tradi, vt ad famelicos alendos vterentur. id eſt, cum multa ſatisfactionis opera ſuperſint, Deus Eccleſiæ Sanctæ ærarium replet, eiusq́; aperiendi, & diſpenſandi theſauri facultatem Papæ, & Epiſcopis dat, vt ij pro ſuo arbitrio, quorum videbitur, inopiæ medeantur. Itaque tribus modis, poſtquàm in portum inuectus es, ſoluere vectigal potes. vel tuo ipſius ære, vel alio pro te perſoluente, vel cum ærarij præfectus illud aperit, tibiq́; quā-

tum indiges, tantum eius pecuniæ erogat,quæ alijs ſuperfuerat. perinde, atque dicamus, poſtquàm iuſtificatus es, non tamen tibi aditus patet in cœlum, niſi prius temporali pœnæ ſatisfacias, quæ tibi reſeruatur. quod quidem tribus modis fieri pōt. primo, cum tu ipſe opera facis ad pœnam pertinentia: altero, cum quiſpiam alius facit, & tibi applicat: poſtremo,cum Papa, Epiſcopiué Eccleſiæ Sanctæ ærarium aperiunt, & opera redundantiæ, eò loci repoſita, depromunt: tibiq́; ita ſubueniunt, vt ſoluere partem eius,quod debes,vel totum poſſis. Sed hic tertius modus, ò Caluiniſtæ, hæc diſtributio redundantium operum, quæ ex ærario promunt Papa, & Epiſcopi vnico verbo quomodo appellantur? quomodo verò appellentur? Ecce nomen,quod hactenus ſuppreſſi. Ecce inimicas veſtras,quas tantopere odiſtis, & colere, vehementerq; diligere debuiſtis, ſanctiſſimas Indulgentias. quid commouemini? quid os diſtorquetis,miſeri? con ſiſtite: decepti enim fuiſtis. reuocate nunc in memoriam illa omnia, quæ ordine vobis attulimus, & intelligetis, an Indulgentias in Eccleſia Dei reperiri, neceſſe ſit, & an earum fundamenta Sacræ ſcripturæ innitantur. Alium pro alio poſſe ſatisfacere, iam ſcriptura probatum eſt. Conſtat item apertiſſimis ſcripturæ locis, opera ſatisfactionis pluta fieri ab aliquo poſſe, quàm is indigeat. probaui etiam ſcriptura ſacra, huiuſmodi redundátiæ opera Eccleſiæ Communioni deſeruire. igitur Communicationes operum redundantium reperiuntur; quæ Indulgentiæ ſunt. Videte ergo,an Indulgentiæ in ſcriptura ſint; an verò vos tam pulchrè logicæ artem calleatis, vt ſumptiones concedatis, complexionem inficiemini. heu vos infelices; heu miſellos. mihi credite, nimis inique decepti, & proditi eſtis. atque vti pręclarè intelligitis, Indulgētias ſanctas è ſacris ſcripturis hauriri, quas illi tamen exhibebant vobis, repræſentantes hircoceruos, & Chimæras; ita certum, & exploratum ſit vobis, nulla

alia

alia ratione reliquas hęreſes, quibus iſti vos imbuunt, in animis veſtris hęrere; niſi quia ad audiendam Catholicam doctrinam ſtudioſe non acceditis. quod enim nunc facitis, allecti potius, & inuitati principis huius, ſumma pietate ornatiſſimi, exemplo, quàm aliqua mea virtute; ſi iterum, ac ſæpius faceretis; & Catholicos homines, me ipſo doctrina, & eloquentia clariores, vt erunt plerique, frequenter audiretis; fieri non poteſt, (mihi credite) vt diutius in tàm apertis erroribus verſaremini. Sed omnē dant operam deceptores veſtri, vt vos à conſuetudine noſtra deterreant. Et Beſa ille, neſcio quis, quem adhuc puto Geneuæ eſſe, fortaſſe memoria tenebit, non ita pridem quendam, firmiſſimū, & grauiſſimum argumentum referentem, quod à Catholicis acceperat, cum diſſolui argumentum oporteret, monere ſe cœpiſſe, ne nobiſcum verſaretur, néue nos audiret; fore enim, vt nos menti eius caliginem, & tenebras offunderemus. quid iniquius? quin tu igitur illas, ò Beſa, non diſcuſſiſti? cur argumento non reſpondiſti, & illud non refelliſti? ſed bene habet; ad Indulgentias reuertamur. earum autem diſpenſator Papáne ſit, & Epiſcopi, ſuſcipienda non eſt cum Caluiniſtis diſputatio. qui enim donum reijciunt, de largiente ſolliciti non erunt. ſed in Eccleſia Dei, in qua recipiuntur Indulgentiæ, nemo ambiget, quin Papæ, & Epiſcopis earum ſit permiſſa diſpenſatio. Catholicis quidem oſtendi poteſt, dixiſſe Paullum; *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miſteriorum Dei*. & alibi dixiſſe, *Diſpenſatio mihi credita eſt*. & fragmentorum cophinos Petro, & Apoſtolis fuiſſe datos. & denique, vt apud Ioannem 20. data eſt facultas ligandi, & ſoluendi *in Sacramento* Apoſtolis; ita facultatem ligandi, & ſoluendi, *extra ſacramenta*, quæ cenſuras, & Indulgentias amplectitur vni Petro ſemel fuiſſe datam apud Matth. 16. deinde rurſus Petro, & ſimul omnibus Apoſtolis, apud Matth. 18. Sed, vt ad ea redeamus, quæ vrgent ma-

gis

gis,quàm impudenter mentitur Caluinus? quàm manifeſtum mendacium affert, cum dicit, valde nouum eſſe Indulgentiarū vſum, & ante Gregorij Primi tempora inauditum,& eius temporibus cœpiſſe, atque ad noſtram vſque ætatem perueniſſe? fatuus ſanè ipſe: num ſibi rem credebat eſſe cum cœcutientibus? atque in primis, quamuis oſtendere non poſſemus,Indulgentias ante Gregorij tempora cognitas, & vſitatas fuiſſe, videreturné tandem vobis, auditores, parui momenti res,qua Gregorius vſus fuiſſet? num recentem, & parùm vetuſtam cenſeretis, quam Caluinus ipſe fatetur in Eccleſia nongentis abhinc annis vſitatam? ſed cœperit ſanè Gregorius Indulgentijs vti, quas nunc Caluinus improbat,à quo potius ſtandum putabitis? à Gregorioné,an à Caluino?quod ſi hæc doctrina à Caluino reijcitur, quod recens, & noua ſit, probabitisné ipſius doctrinam, quam pridie tradidit, an Gregorij, qui nongentis ab hinc annis floruit? Præterea (attendite decepti,) non concedo ego, cœptū Indulgentiarum vſum primum Gregorij tempeſtate. nam antea, quod nemo eruditus ignorat, non Indulgentiæ, ſed *remiſſiones* appellabantur; quod quidem Caluinus ſilentio præterijt, ut vos deciperet. itaque quod nos dicimus, *donare indulgentiam,* olim dicebatur *dare remiſſionem*. hoc vnum præmoniti euoluite deinceps veterum doctorum exemplaria, & facile comperietis, an ante Gregorium remiſſionum appellatione mentio fieret ſanctarum Indulgentiarum. vſque eò, auditores,vt, cum ſolerent deſignati martyres petere ab Epiſcopis Indulgentias pro pijs hominibus amicis ſuis, cumq; Epiſcopis mos eſſet, eorum gratia, qui in carcere aſſeruabantur, & pro Chriſti fide iam capite damnati erant, ijs omnibus, qui commendabantur,indulgentias concedere, quotquot petitæ eſſent, Cyprianus ipſe, qui fuit abhinc annis mille, & trecentis, ante Gregorium propè quingentis, & poſt Chriſtum ducentis,vel paullo amplius,mul-
tis

tis ſcriptorum ſuorum locis, pręcipueq́; Epiſtola 18. lib. 3. laboraret, ne indulgentiarum copia nimis exuberans eſſet, vtq́; deſignati martyres ijs poſtulandis modum adhiberent. Et Tertullianus, qui fuit poſt Chriſtum annis circiter centum, nonné libellum dedita opera *deſignatis martyribus* ſcripſit, eosq́; hortatus eſt, vt rarius indulgentias poſtularēt? Caluinus autem, qui iudicio ſuo omnem veterum patrum doctrinam tenet, & eorum libros legendo contriuit, quomodo hos locos non vidit? vidit quidem; ſed in ijs conniuit, quoniam, quid reſpondeatur, non eſt. vidiſſet item Paulli ipſius locum 2. ad Corinth. cap. 4. vbi homini, qui fornicatus erat; pœnitenti tamen, id petentibus Corinthijs, indulgentiam donat ijs verbis, *Cui quid donaſtis, & ego*. ſed huiuſmodi locos inſpicere non in rem eius fuiſſet. Mihi verò ſatis eſt, id animaduertere vos, auditores, tandemq́; diſcernere vos ipſos, an Indulgentiæ reperiantur; an vera, firmaq́; earum fundamenta in Sacris ſcripturis poſita ſint; & an ab ipſis Paulli temporibus cœpta ad noſtram vſque tempeſtatem peruenerint. ita, auditores, ita ſe res habet: nunc vela contrahamus. Vbi portum tenuimus, non continuò tamen in vrbem recipimur, niſi vectigal pendamus. neque refert, vtrum ſoluamus nos ipſi, an alius pro nobis: an ærarij præfecti nobis illius pecuniæ partem, quæ alijs ſuperfuit, largiantur. id eſt, cum peccator ſe ex criminum laqueis exuit, etiam poſtquàm abſolutionem à Sacerdote, culpæq́; remiſſionem obtinuit, attamen priusquàm ei pateat aditus in cœlum, vult Deus, eum nonnullas pœnas luere tempore definitas: quod quidem tribus modis fieri poteſt: vel cum nos ipſi patimur; vel cum quiſpiam opera ſua pœnalia nobis applicat; vel cum tot indulgentias conſequimur, vt pro nobis illæ ſatisfaciant. Summa eſt; quicunque poſt contritionem, vel confeſſionem pœnæ etiam temporalis ſatisfactionem perfecerit; vel operibus pœnalibus ſuis, vel aliorum, vel

plena-

plenaria, quam vocant, indulgentia; & eo in ſtatu de hac vita deceſſerit, omni & culpa, & pœna ſolutus, recta ad intuendum Deum euolabit. Verùm, ſi cui, vt moreretur, contingeret, iam quidem iuſtificato, ſed antequàm vel operibus, vel indulgentijs ſatisfactionem peregiſſet, quidnam illi fiet? difficili ſane in loco verſamur. hic erit aliquis purgatorius locus. Cras, ò Caluiniſtæ, iterum congrediemur: nunc, auditores felices abite.

DISCEPTATIO DVODECIMA.

Qua oſtenditur, quæ differentia ſit inter grauius peccatum, quod mortale, & leuius, quod veniale vocant. Probatur Purgatorium extare: doceturq́, quanta ſit ſuffragiorum virtus. Contra ea, quæ Caluinus dicit, cap. 5. lib. Tertij Inſtitutio.

SI heſterna diſceptatione, auditores, huius ædificij, quod hodierno die, mihi cõſtruendum eſt, præclarè fundamenta non ieciſſem; vererer equidem, ne meæ vires vel tantæ extruẽdæ moli non ſufficerent; vel, poſtquàm illa extructa eſſet, ne labaret, atque corrueret. Sed bene habet. cum enim tollendum nobis eſſet in ſummam altitudinem ædificij noſtri tectum; in ima parte quàm maximè potuimus, fundamenta locauimus: Et, cũ ad id ſuſtinendum vix mundus pro baſi ſatis eſſet; fundamentum poſuimus, quod conuellere, labefactaréue neque mundus hic, neque alij ſexcenti poſſint. Sed apertius loquamur. Cum probandum eſſet Purgatorium, prius ſatisfactionem probauimus. Ex ea verò ſatisfactione vel iſtius veſtri Caluini iudicio, ita pendet neceſſariò Purgatorium; vt, cum leuiſſimas illas rationes attuliſſet, quas ego paullo ante redargui, refelliq́; & ea-

rum

rum vi ſibi perſuaderet, ſatisfactionem eſſe ſublatam, nullum verbum amplius aduerſus illud fecerit, ſed addiderit; ſublata ſatisfactione non eſſe, quòd de Purgatorio quicquam affirmaretur. itaque pariter poſſem ego dicere, conſtituta ſatisfactione, nihil eſſe, cur Purgatorium negetur. nihilominus, præter fundamentum ſatisfactionis, alia præterea (Deo bene iuuante) etiã firmiſſima vobis afferam: addam etiam ſacræ ſcripturæ locos, apertos adeò, clarosq́;, vt neminem fore exiſtimem, qui non intelligat, non ſolùm congruere, & decere, ſed etiam neceſſe eſſe Purgatorium extare. & cuiuis facile patebit, viatorem, iam in portum inuectum, ſi is de via declinarit, antequàm ad vrbem perueniat, neceſſe eſſe, in carcerem deduci, è quo non emitratur vſque eò, dum, quicquid pro vectigali debet, vel teruncium ipſum integra fide perſoluat. ideſt, ſi iuſtificatus ante moriatur, quàm pro temporali pœna non condonata perfectè ſatisfecerit, neceſſe eſſe, eũ in Purgatorium locum deduci; neq; inde, cælum petiturum, egredi, quòad ibi ſatisfactionem expleuerit eorum omnium, quæ, dum viueret, ad eam explendam defuerant. quæ quidem omnia tàm eſſe neceſſaria cognoſcetis, vt, niſi Purgatorium reperiretur, (mirabile auditu), Deus non eſſet Deus. Sed priuſquàm ad hæc probanda deſcendam, parumper mihi à propoſito digrediendum eſt. quod ſi videbitur, ò Sereniſſime Princeps, vosq́; cæteri auditores, aliquandiu de ijs, quæ ad rem non pertineant, à me agi; quæſo vos, æquò animo ferte, & diligenter attendite. nam in ijs, quæ primò parum neceſſaria forte videbuntur, victoria (vt ſpero) conſiſtet. Caluinus Inſtitutionis lib. tertio cap. quar. ſectione vigeſima tertia dicit; nullam inter mortale, & veniale peccatum diſtinctionem reperiri. at ego antequàm ad alia procedam, demonſtrabo fallacem eum eſſe, & mentiri: neque magis à terra diſtare cælum, quàm inter ſe diſtent huiuſmodi culparum ſpecies. Vuitcleffus ipſe etiam

diſtin-

diſtinctionem noſtram reiecit, & aliam attulit. Caluinus verò & noſtram, & Vuitcleffi, & quotquot aliæ ſint, reprobans, audacter affirmat, nihil peccatum à peccato differre, æqualiaq́; eſſe omnia. iſtucipſum aſſeruit item Lutherus, hocq́; inter illos conuenit, vt ſtatuerent, paria eſſe peccata omnia. Verumtamen Deus, qui ſemper ſuperbiſſimis iſtis gigantibus *confudit labium*, ne in hoc etiam diutius eorum diſſenſiones latere permiſit. nam continuò in contrarias opiniones abierunt: Et Lutherus dixit, peccata omnia leuiora eſſe, & venialia. at Caluinus contra aſſeuerauit, (videte, quantus ſit inter iſtos Euangelicos conſenſus) peccata quælibet eſſe mortalia. Ac quidem, ſi venialia peccata interpretemur ea eſſe, quorum *ſperari poteſt venia*, & obtineri remiſſio; non falleretur Lutherus, affirmans, eſſe omnia venialia. neque enim vllum ſcelus eſt tàm graue, tàmq́; atrox crimen, quod nobis, dum in vita ſumus, non remittatur, dummodo nos eius pœniteat: & peccatum illud ipſum in Spiritum ſanctum, quod *irremiſsibile* dicitur, vel ſic appellatur, quoniam valde difficilis eſt illius remiſſio, vel quoniam tùm deniq; ſit *irremiſsibile*, ſi cum *finali impœnitentia* coniunctum ſit. Sed nos non intelligimus peccatum veniale illud, cuius poteſt obtineri venia. hac enim ratione venialia ſunt omnia: ſed veniale id dicimus, quod nobis non aufert gratiam, & eiuſmodi eſt, vt, ſi moreremur, illo nondum expiato, morte tamen æterna non damnaremur. ita ſe res habet, auditores. duæ differentiæ ſunt inter veniale peccatum, & mortale. Vna eſt, quia mortale peccatum diuina gratia nos omnino ſpoliat, cum veniale charitatem quidem imminuat, ſed non tamen Deo nos infenſos faciat. altera eſt, quia quiſquis moritur læthali peccato pollutus, æternis ſupplicijs cruciatur: cum eum, qui è vita decedit, veniali non ſolutus, nonnullis quidem pœnis ſatisfacere oporteat antequàm ad cœlum perueniat, ſed non is tamẽ perpetuò ſit Dei aſpectu cariturus. Et propter

pter has duas proprietates peccatum, quod veniale non eſt, meritò mortale dicitur, quoniam animæ noſtræ, mortes afferat duas: alterá, cum ei gratiam adimat, quæ vitæ anima eſt; alterá, cum æternum ei ſupplicium paret; quæ eſt vera mors. Caluinus cenſet, perpetuis nos cruciatibus afficiendos, ſi peccato aliquo teneamur, quodcunque id ſit, cum è vita migramus: & plures affert locos, quorum pondus cum leuiſſimum eſſe ſentiat, more ſuo numerum ampliorem adhibet. Vt illud in Ezechiele, *anima, quæ peccauerit, ipſa morietur*, & illud Paulli, *peccati ſtipendium eſt mors:* & his ſimilia. quæ nullius eſſe momenti, nihil concludere, vel ipſi pueri ſatis intelligunt. Verum eſt, in quibuſdam peccatis, *animam, quæ peccauerit, ipſam mori*. Et verum eſt, aliquorum peccatorum *ſtipendium eſſe mortem:* at neq; Ezechiel dixit, animam, quomodocunque peccet, ſemper mori; neque Paullus affirmauit, omnium peccatorum ſtipendium eſſe mortem. neque verò reperietur ſcriptor aliquis Catholicus, qui non affirmet, nonnulla peccata eiuſmodi eſſe, vt gratiam non auferant, & à iuſtitia non diuellant. cuiuſmodi eſſet immoderatus riſus, verbum otioſum, rei minimæ furtum; vel cum de alicuius fama leuiſſimè detrahitur, & ſimilia. quibus, quamuis charitas refrixerit, attamen mihi non adimitur gratia, neque aufertur iuſtitia: atque ſi cum ijs peccatis mortem obirem, ſerius quidem aliquanto migrarem ad cœlum, ſed non ad inferos detruderer. Verùm, qua ratione probatur, aliquod eſſe peccati genus, quod gratiam non excludat, &, ſi quis in talia peccata delabatur, eum tamen iuſtum eſſe non deſinere quomodo probetur? intelligetis modo, Caluiniſtæ, vosq; iudices eritis, quàm clari, quàm aperti ſint loci, quos afferam. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, et tu remiſiſti impietatem peccati mei*, dicit Dauid, loquens de quadam iniquitate, quam domino faſſus fuerat, & ſola confeſſione remiſſionem obtinuerat. quæro,

igitur

igitur, ego, an iniquitas illa mortalis eſſet, & an ex earum numero, quæ manere non poſſunt cum gratia; an verò earum, quæ in homine iuſto reperiuntur. Et ecce Dauid ipſe reſpondet; addit enim continuò, *pro hac orabit ad te omnis ſanctus*. cognoſcitisné, cum iuſtus mortali peccato careat, & *pro hac* oret, neceſſariò conſequi, vt hęc venialis ſit? neque id inuentum meum, eſt, auditores, verùm diui Hieronymi obſeruatio. Sed clariora etiam afferemus. quid enim reſponderi poterit ad locum illum ſapientis, *ſepties in die cadit iuſtus?* ſi enim iuſtus eſt, quomodo peccat? ſi peccat, qua ratione eſt iuſtus? nonné verum eſt, multos eſſe, qui ſe omni læthali peccato liberos complures dies, & menſes, & annos præſtent? quo pacto, igitur, illud tueri poſſumus, neminem eſſe tàm iuſtum, qui quotidie non peccet, niſi concedamus, aliquod peccati genus, quod manere cum iuſtitia poſſit, ideſt, veniale? Paullus ad Hebr. cap. quinto dicit. *Omnis Pontifex, ſicut pro populo, ita & pro ſe debet offerre pro peccatis*. & Hieronymus ex his verbis ita colligit, *nunquam pro alijs iuberetur offerre, niſi iuſtus eſſet: neque pro ſeipſo, ſi peccatis careret*. ex verbis, igitur, Paulli colligendum eſt, Hieronymi ipſius iudicio fieri poſſe, vt verus Pontifex, quo tempore iuſtus erat, peccatis etiam non careret. eadem ratione, qua Iacobus cap. 3. dicit, *in multis offendimus omnes*. & alibi dicitur, *non eſt homo, qui non peccet*. & alibi, *omnes declinauerunt*. & huiuſmodi. oportet enim vel falſos eſſe hos locos; vel qui iuſtus ſit, reperiri neminem; vel aliquas eſſe culpas, quæ cadere in iuſtum hominem poſſint. Iacobus autem nonné varietatem, & differentiam, quæ inter peccata eſt, apertiſſimè ſignificat, cum dicit; *Concupiſcentia cum conceperit parit peccatum: peccatum autẽ, cũ conſumatum fuerit, generat mortem?* ecce in homine tria hæc, fomitem, ſiue concupiſcentiam; motus quoſdam imperfectis, & conſenſum. concupiſcentia, ſeu fomes peccatum non eſt, vti ſuperioribus diebus demon-

mōſtrauimus. aliqui imperfecti motus ſunt quidē peccata, & nōdū *ad mortem. conſumantur* poſtea hæc peccata, ideſt, cū conſenſus, vel effectus accedit: & tunc demū *generant mortem*. ſatis habeo, Iacobum apertiſſimè affirmare, anteq̃ peccatum conſumatū ſit, peccatū quidem iā eſſe aliquod, ſed adhuc mortē non generare: ideſt, iam eſſe peccatū, ſed non mortiferum. Deniq; ſi Chriſtus ipſe dicit apud Matthæū quinto; *qui irraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, qui dixerit Racha, reus erit Cōcilio, & qui dixerit fatue, reus erit gehēnæ ignis*; quotuſquiſq; eſt, qui apertiſſime nō videat, alia reperiri peccatorū genera præter illud, quod facit *reos gehēnæ ignis?* ideſt, peccatū mortale? paſſim ſeſe offerunt ſcripturæ loci: & præter eos decretū Dei, in Tridentino Cōcilio mecum ſtat. At, ſi Caluinus ad ſuā opiōnē tuendā vel locos non affert, vel affert ineptos, & nullius ponderis; ego verò pro mea cauſſa attuli Pſalmorū locos, & Sapientis, & Prophetarum, & Paulli, & Iacobi, & ipſius Chriſti; vos tàm iniquos fore non puto, quin potius contra Caluinū, q̃ cōtra me, immo contra vos, & contra Chriſtū ipſum iudicetis. nihil minus, nihil, inquā, minus, auditores. ad ea quæ dicta ſunt, vnū addo, quod luce clarius eſt, & Caluinus facilè concedet; nihil in cœlum recipi, niſi puriſſimū, & ab omni labe prorſus alienum. nam Eccleſia triumphans *non habet maculam, neque rugam*. tùm duo vobis in memoriam redigo: alterum, quod heſterna, alterū, quod hodierna diſceptatione à me demonſtratū eſt. Vnū quidē, mori plures, iuſtificatos iàm, ſed qui nōdum ſoluerint quicquid vectigalis debebāt, neq; adhuc pœnæ tēporali nō remiſſæ, ſatisfecerint; alterū, multos quotidie è vita diſcedere, iuſtos quidem illos, omniq; peccato mortifero ſolutos, ſed qui tñ in venialia delapſi ſint, neq; ea, priuſq̃ morerētur, expiarint, vel operibus pęnalib⁹, vel ſacramētalibus rebus, vel indulgētijs, & huiuſmodi. quibus ſic ſe habētibus, vt ſexcētis locis, & rationibus probatū eſt, nō eſt, cur amplius perſonatus incedā. itaq; iā apertè, & palàm in certamē deſcendo, dicoq;, me nihil à cauſſa digreſsū: atq; materiā hanc venialis peccati, cum ſatisfactionis materia cōiunctā, eſſe baſes duas, quibus Purgatoriū innititur: eaſdemq; adeò, ſolidas,

 adeò

adeò firmas,vt nulla hæreticorũ argumentorũ machina cõmoueri poſſint,nedũ cõcuti,aut conuelli. immò mihi videor poſſe ſine temeritatis nota id repetere,quod dixi prius;nẽpe,vel Purgatoriũ extare,vel Deũ,non eſſe Deũ. atq; in primis,illud afferro,*pro menſura delicti eſſe & plagarũ modũ:* .i. iniuſtũ,& iniquũ eſſe iudicẽ,qui pro criminis pondere maiori,minoriué grauiorẽ ẽt,vel leuiorẽ pœnã non irroget. tùm ratiocinor hoc modo. finge mori nũc tres homines: vnũ,qui culpę remiſſionẽ iã obtinuit,& toti pœnæ ſatisfecit: alterũ, qui læthale peccatũ cõmiſit,& adhuc neq; remiſſionẽ culpæ cõſecutus eſt,neq; ſatisfecit pœnæ: tertiũ,cui culpa remiſſa quidem ſit,ſed qui nondũ pœnæ ſatisfecerit. attendite nũc,ò Caluiniſtæ. is,qui neque culpa tenetur,neq; pœna,quoniã illa remiſſa eſt,& huic ſatisfecit,quonã contendit? in cœlum certè. is aũt,qui culpæ remiſſionẽ non adeptus eſt,neque pœnæ ſatisfecit, quonàm pergit? ad inferos omnino.at ille,qui culpa quidẽ ſolutus eſt,ſed pœnã debet,quonàm migrat? ſi in cælum recipitur,iniuſtus Deus,qui eodẽ præmio hũc afficit,quo illum,qui ẽt pœnæ ſatisfecerat. ſi ad inferos detruditur, iniuſtus Deus, tantum de eo ſupplicium ſumens,quantũ de illo,cui nondum remiſſa erat culpa. igitur vel eſt tertius locus,in quo pœnæ ſatisfaciat,antequã migret in cælum,vel Deus iniuſtus eſt:quod perinde eſt,vt ſi Deum dicamus,non eſſe Deum. Simili ratione,fingamus mori tres item alios; primum ſine peccato nec mortali,nec veniali; alterum cum peccatis,& mortalibus,& venialibus; poſtremũ abſque mortalibus quidẽ peccatis,ſed cum venialibus. is,qui omni peccato caret,tàm mortali,quàm veniali,quò tendit? in cælum ſine dubio: & qui peccatis tenetur & mortalibus,& venialibus,quò fertur? ad inferos certè. at,qui peccatis quidẽ mortalibus liber eſt, ſed nõ venialibus,quò abit? ſi in cælum; iniuſtus Deus,qui præmiũ idẽ ei ſtatuit,quod illi,qui peccato veniali carebat: ſin autem ad inferos, iniuſtus Deus,qui in hunc tàm ſeuerè, tàm grauiter animaduertit, quàm in illũ, qui læthiferis ẽt peccatis tenebatur. neceſſariò,igitur, dicendum eſt,vel tertium eſſe locum,in quo venialis peccati ſordes eluat,antequàm transferatur in cælum; vel Deum iniuſtũ eſſe;quòd

tan-

tantumdem eſt,quantum ſi dicamus,Deum non eſſe Deũ. Pręterea qui iuſti ſunt,ſed nondum pœnam luerunt,aut venialia peccata cõmiſerunt,morientes quò proficiſcuntur? ad inferos ne? minime: illùc enim iuſti nõ deſcendunt. an in Paradiſum? ne illuc quidẽ: nil enim introire in cælum põt,niſi plane defecatum,atque puriſſimũ. oportet,igitur,tertium eſſe locũ, in quo qualeſcunque labes abſtergant,vel confundi omnia,& Deũ non eſſe Deum, ſi eſſet iniuſtus. intelligitiſne,auditores,quantum argumenta hæc vrgeant? probata enim Satisfactione,& veniali peccato,clarũ eſt,immò neceſſariò cõſequitur,purgatoriũ locum nõ eſſe inuenta noſtra,ſed maximè ſyncerũ,mirificumq; Dei iuſtiſſimi opus. Eo magis,quòd vos,ò decepti,probè noſtis,aut Caluinũ,aut Caluiniſtas, quotquot vnquã fuerunt,nullas aduerſus Purgatorium vllo tẽpore rationes attuliſſe;niſi duras illas, eaſdẽ, quas ſemper attulerunt,planè inanes, atque leuiſſimas: nempe cum dicũt, Purgatorium Chriſti ſanguini derogare, & iniuriam facere. itemq; nihil in ſcripturis de Purgatorio, memoriæ proditum reperiri. Sed quando vnquam finem facient eadem iterandi? aut quando illa percipient, quæ iam facilè vel à pueris ipſis percipiuntur;&,quæ iſti clarè intelligentes,ſe intelligere diſſimulãt, quia nimis intelligunt? millies reſpondimus: age,rurſus reſpondeamus. Chriſti ſanguis pro nobis ſatisfecit, *Sufficienter*, non *efficaciter*. &,vt nobis pro varietate morborum noſtrorũ medeatur, opus eſt, nobis illum applicari, ijs diuerſis modis,quos ipſe conſtituit. quare, quemadmodum iniurij non ſumus ſanguini Chriſti, cum illum nobis per baptiſmum applicamus,vt originalis peccati nexu ſoluamur; neque cùm applicamus per pœnitentiam, vt mortifero liberemur;neque cùm applicamus per opera,& per Sacramentalia,& per indulgentias, & per ſimilia,dũ viuimus,vt veniale exuamus;neque cùm applicamus per opera pœnalia, ſeu noſtra,ſiue aliena,& per indulgentias, vt Satisfactionem quam,debemus in vita, faciamus; pari ratione non ſumus iniurij Chriſti ſanguini (purgationẽ omnem in primis ipſi acceptã referentes)cùm illũ nobis applicamus per ignẽ purgatorium,nonnulloſq; alios modos,quos de-

inceps aperiemus,vt poſtquàm è vita migrauimus,ſatisfactioné,quę reſidua eſt,perficiamus,& à veniali culpa eximamur. Quòd verò ad aliud caput attinet,nihil de Purgatorio in ſcripturis reperiri; quàm moleſti ſunt,quàm odioſi? quoties reſponſum eſt?Purgatoriũ locũ eſſe nõ credunt,quoniam nihil de illo haberi in diuinis literis aiunt. Sed quare credunt perſonarũ diuinarum æqualitaté? quare perpetuã Mariæ virginitaté? quare Baptiſmum infantium? quare Chriſtũ ad inferos deſcendiſſe? quare credunt,Euangelium, quod à Matthæo, vel à Marco conſcriptũ eſt,Matthæi eſſe,vel Marci? quare denique hoc ipſum credunt,nihil credendum eſſe,niſi quod in ſcripturis habeatur,cum nihil horum in ſcripturis explanatum inueniatur? nõne quanta vis traditionũ ſit,antea docuimus? nonne demonſtrauimus, tantundé eſſe verbum Dei Eccleſiæ verbũ,& Conciliorũ,quæ Papa approbauit,quantũ ſcripturæ verbũ? Præterea,quòd aliquid in ſcripturis reperiatur; ſi id accipitur tàm implicitè,quàm explicitè,omnino tractatũ in ſcripturis implicitè de Purgatorio reperietur. Vel hoc modo: (attendite,quæſo,) numeri principiũ eſt vnus. ab vnius numero naſcitur numerus duorũ: & ab eo numerus trium. nonne igitur à numero vnius dicendũ erit,naſci numerũ trium, quamuis inter numerũ vnius,& trium,medius ſit numerus duorũ? ita prorſus. ſimiliter dico,de Satisfactione: nonne hanc docuimus ab eiſdé ſacris ſcripturis ortum habere? id inficiari non poteſtis. Purgatorium auté ab ipſa ſatisfactione natum eſt: ergo illud ipſum à ſcripturis manat. vel hoc modo: quæ de veniali peccato diximus,nõne ſcripturis innixa eſſe demonſtrauimus? iam id negare non poteſtis amplius: ſed Purgatorium neceſſariò conſequitur veniale peccatum; igitur cogere vos poſſem ad fatendum, ſaltem per Satisfactionem, & per venialia peccata elici manifeſtò ex ſacris ſcripturis Purgatorij materiam. Verùm enim verò me me tàm anguſtis finibus non continebo, ſed liquidò oſtendam, non elici ſolum, verum etiam apertè agi, in ſacris ſcripturis de Purgatorio. dummodò inter nos verbi non ſit controuerſia: neuè hæreatis vos in nomine tantùm; contentionis cupidiores, vt ſoletis,

quàm

quàm veritatis. Si enim vocem hanc, Purgatorium, in ſcripturis oſtendi poſtulabitis; petam ego contra, vt vos hoc verbum, *Conſubſtantialis*, & illud, *Deipara*, & plura huiuſmodi oſtendatis, quæ vos etiam probatis, vti res eas, quas ſcriptura docet; quamuis alijs verbis. docebo præterea, ſcripturam ab hac voce, *purgo*, non tantum abhorrere, quominus eam vocem nonnullis locis vſurparit; vt paullo poſt videbimus in Malachia, & in alijs locis. Sed quæſtionem verborum, & vocum, vti leuiſſimam, omittamus, & de rebus ipſis diſſeramus: comperietis enim, auditores, Purgatorium ſacris ſcripturis præclarè fundatum eſſe, & in eis reperiri. Vſq; eò, vt grauiſſimi patres, eruditiſſimiq; in eiſdem ſcripturis locum obſeruarint, quo Purgatorij ipſius ædificatio deſcribatur. tenetisné memoria, quæ Moyſes dicat Geneſis cap. quarto? ſcilicet poſteaquàm Adàmus è terreſtri Paradiſo pulſus, & eiectus eſt, *collocaſſe dominum ante Paradiſum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ?* ſatis ſanè conſtat, Moyſem, loquẽtem cum rudibus, & ignaris hominibus de ijs, quæ ſub ſenſum non cadebant, ferè ſemper, quæ dicebat, quaſi inuolucris quibuſdam texiſſe: quamobrem, cum de Angelorũ creatione ageret, tùm etiam tranſlationibus vſus eſt. atque item hoc ipſo, ꝙ Angelus ante Paradiſi portam cum flammeo gladio collocatus ſit, videtur contineri myſterium; & rem, allegorijs ſubobſcurã, non eſſe ex opinione vulgarium hominum interprætandam. itaque maximè probabile viſum eſt patribus illis ſubeſſe hic myſterium extructionis Purgatorij: &, cum Adamus expulſus eſt, tunc flammeum gladium ante Paradiſum fuiſſe poſitum; ideſt, extructum fuiſſe ignis Purgatorij locum, per quem vnicuique tranſeundum eſſet, antequàm in cœlum aſcenderet; qui iuſtus ſanè, ſed non omnino, & vndique purus ex vita migraſſet. atq; hæc expoſitio, ò Caluiniſtæ, non mea, vti dixi, ſed grauiſſimo- Genes. 4

rum patrum eſt. Robertus enim Abbas, vir maxima doctrina, tantaq; vitæ innocentia, ac puritate præditus, vt ei ſæpenumero arcana cælitus aperirentur; & , quod pluris eſt, ipſe Ambroſius, vnus de quatuor Eccleſiæ doctoribus, hoc modo exponũt. itaque ſi locus ille vobis ſubobſcurior videretur; certè, patrum horum auctoritate permoti, expoſitionem hanc probare deberetis. quòd ſi expoſitio non placeat; illud ſaltem fateri neceſſe eſt, cum patres illi cenſuerint, eo loco agi de Purgatorio, illós eadem, quæ nos, de Purgatorio ſenſiſſe. ſed quid ſemper de Purgatorio patres omnes ſenſerint, paullo poſt videbimus. Interim, à ſacra ſcriptura non diſcedentes, Eſaiæ locum afferimus, cap. quarto. Loquens enim Deus de ijs, *qui remanebunt Sancti*, & qui *ſcripti ſunt in uita*, nihilominus de eiſdem etiam dicit, ſaluos eos fore, *ſi abluerit Dominus ſordes filiorum Syon, & ſanguinem Hieruſalem lauerit de medio eius*. ac denique, vt apertè doceret, expiationem, & purgationem hanc facturum Deum iudicio, & igne; explanarenè clarius potuit, quàm addens, *in Spiritu iudicij, & ſpiritu ardoris?* nihil deeſſe videtur, niſi ꝙ hanc vocem, *purgare*, non expreſſit: Sed cap. 3. Malachias expreſſit; cùm dixit; *Et purgabit filios Leui*. hunc autem locum, & illum Eſaiæ, quem diximus, à me in hunc ſenſum non detortos fuiſſe & ijs de Purgatorio agi, ipſos etiam veteres patres cenſuiſſe, ecce vobis Auguſtinus affirmat: qui lib. vigeſimo cap. 25. de Ciuitate Dei, poſt Malachiæ locum, dicit; *Ex ijs, quæ dicta ſunt, uidetur euidenter apparere, in illo iudicio quaſdam quorundam purgatorias pœnas futuras*. & addit de Eſaiæ loco; *Dicit tale quid Eſaias*, afferens eos locos, quos diximus. itaque vel Eſaiæ, & Malachiæ loci per ſe clari ſatis, & aperti ſunt; vel eos aperit Auguſtinus: vel ſi expoſitionem Auguſtini non probatis, intelligitis ſaltem, de Purgatorio nihil eum ambigere. Simili modo exponitur alius Danielis locus cap. ſeptimo, quò ipſe magnitudinē

Dei

Dei deſcribens, dicensq́;, *fluuium igneum progredi à facie eius*, exponitur ex oculis *Dei*; ideſt, ex Dei miſericordia, atque iuſtitia igneum fluuium oriri; ideſt fundamenta Purgatorij conſtitui, quod ſi expoſitionem hanc, veluti à me, vel ab alio allatam, non conceditis, ab Auguſtino ſaltem accipiendam putabitis; qui cõtinuò addit, *per fluuium igneum, & vndam feruentibus glebis horrendam tranſibunt animæ: & quanta fuerit peccandi materia, tanta, & pertranſeundi mora*. Machabeorum lib. 2. cap. 12. locus ille apertiſsimus eſt; *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*: & Tobiæ 4. *panem tuum, & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue*. ſed vtrumque locum afferemus, cum de ſuffragijs loquemur. atque cum vtroque præclarè ij loci conſentiunt, quibus habetur in teſtamento veteri, mortuis nonnullis pro ijs, qui ſuperſtites erant, ieiunijs operam dediſſe. ſed interim meminiſtisné, à Dauid Pſal. 37. dictum fuiſſe, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. neque ignoro quidem, hæc verba varias interpretationes recipere; ſed ſcio etiam, Auguſtinum Purgatorij ſignificationẽ ex ijs elicere. inquit enim, *in hac ergo vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne opus non ſit*. verba item Pſalmi 65. *tranſiuimus per ignem, & aquam* alij aliter exponunt: & tamen Origenes Homil. 25. in Numer. & Ambroſius Pſal. 36. & Sermone 3. in Pſalmum 118. interpretatur, per aquam, baptiſmũ, & per ignem purgatorium. hic (inquiunt) per aquã, illic per ignem: per aquam, vt abluantur peccata: per ignem, vt exurantur. Legitur Micheæ 7. ne *ceteris inimica mea ſuperinde nam cecidi conſurgam. cum ſedero in tenebris Dominus lux mea eſt iram Domini portabo, quoniam peccaui donec cauſſam meam iudicet, & cetera educet me in lucem. videbo iuſtitiam eius*. quibus verbis Gloſſa ordinaria, & Hieronymus ipſe affirmant, ab ijs vſque temporibus paſſim omnes ſolitos eſſe Purgatorium intelligere.

& iure quidem. nam Purgatorius locus ſolus eſt, vbi *anima ſedet in tenebris, & portat iram domini, & nihilominus adducit eam tandē in lucem, & videt iuſtitiam eius.* immò locum illū Zaccar. 9. *Tu autem in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti uinctos tuos de lacu in quo non eſt. aqua*, tametſi nonnulli de patribus intelligunt, qui in Limbo erant; attamen aptius fortaſſis referri poteſt ad animas, in Purgatorio detentas, quę à domino, cum ad inferos deſcendit, liberatæ ſunt. nam verbum, *vincti*, magis conuenit ijs, qui in Purgatorio, quàm qui in Lymbo detinebantur. & magis propriè *ſine aqua*, ideſt ſine conſolatione erat Purgatorium, quàm Limbus. vbi dixit de Lazaro Abrahā, *hic verò conſolatur*. quod ſi expoſitio minus arridet; res ſaltem per ſe Purgatoriū demonſtrat. & oſtendit Auguſtinus Epiſt. 95. ad Euodium: & lib. 12. Geneſ. cap. 33. cum dicit Chriſtum deſcenſu ſuo in Purgatorio exiſtentes liberaſſe. dici ne potuit apertius? cognoſcitis ne, etiam in veteri teſtamento, quo myſteria omnia tegumentis inuoluūtur, nihilominus apertè de Purgatorio conſtare? Sed inuolucra omnia reijciantur: introeamus *in Sancta Sanctorum*; legis tempus omittamus, & de nouo teſtamento loquamur. tùm vos, auditores, iudicate, nùm fieri poſſit, vt qui locos videat, quos afferam; in eiſdem etiam deſcriptam Purgatorij imaginem non videat. In Apocalypſi enim habetur hoc modo: *non eſt inuentus, neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram, qui dignus eſſet aperire librum*. hoc loco quoſnam dicemus eos eſſe ſub terram, qui aperire librum conati ſint, niſi, qui in Purgatorio verſantur? neque enim credendum erit mihi, tantum honorem æterna pœna damnatis habitum, vt traderetur eis liber, vt eo aperiendo, vires ſuas experirentur. qua in re videtur etiam magis vrgere Paulli locus ad Philippenſ. cap. 2. *In nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*. cum enim ij, qui nomen Ieſu adorant in cælo, beati ſint; & viatores ſint ij, qui

genu-

genuflectunt in terra; qui nàm erunt ſub terram, hoc nomen venerantes? nimirũ ij, qui in Purgatorio ſunt. niſi forte à damnatis honorem haberi cenſeatis, qui illud deſpiciunt, blaſphemant ſemper,& execrantur. vel niſi idem dicatis, quod Caluinus dicit, *genuflectere*, eo loco interpretandum, *timere:* & iccirco damnatos *genuflectere*, quia nomen Chriſti metuunt. Sed quomodo *genuflectent*, ideſt, *timebunt*, ij, qui in cælo ſunt? Et quotuſquiſque ſcriptor eſt, qui non affirmet, genuum flexioné, eſſe non timoris, ſed amoris actioné? quod ſi is pergat ſcriptoribus omnibus denique fidẽ abrogare; ſacræ ſcripturæ ipſius locum afferam, in quo non de timore, ſed de honore, & benedictione, & laudibus apertiſſimè agetur. Apocalyp. enim quinto dicitur; *Et omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſubtus terram, & mare, & quæ in eo ſunt, omnes audiui, dicentes: Benedictio, ſedenti in throno, & Agno: Benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* cum igitur, ſub terram homines ſint, qui laudent, benedicant, & Agno gratias agant, quoniam ipſius ſanguine ſalui facti ſunt; certum eſt, de damnatis non intelligi; neque intelligi de alijs poſſe, quàm de conſtitutis in Purgatorio. neque verò ſatis ego ſcio, quò confugere Caluinus poſſit, niſi quò ſolet: vt totum librum reijciat, vbi ad aliquem illius libri locum reſpondere non poſſit. Sed iam anteuertimus nos, cum docuimus, non ad Ioannem Caluinum, ſed ad Eccleſiam Romanam ſpectare catalogum librorum conſtituere. Neque tamen deſunt nobis aliorum librorũ loci, quos Caluinus in hac diſceptatione formidat. præ cæteris autem maximè ſibi timet (& iure quidem) ab eo Paulli loco ad Corinth. pri. cap. 3. & totus timens, tremenſq́; ſe fortem eſſe ſimulat: & quaſi ironia quadam dicit, *inuictum cuneum in Paullo nos habere:* quod quidem abſque ironia reipſa veriſſimũ eſt. Et quidem Caluino contigit, quod pridem Caiphæ contigerat,

cum mala mente, animoq; ſententiam tulit, quæ veriſſima erat; ideſt, *oportere vnum hominem mori pro populo, ne tota gens periret*. nam ſine vlla dubitatione *inuictus eſt cuneus* hic Paulli locus; quo Purgatorium quodammodo deſcribitur; quæſo vos illum audite. *Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, & argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit: dies enim domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet. ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſaluus erit: ſic tamen, quaſi per ignem*. deberet hæc poſtrema clauſula ſatis eſſe ad conuincendum Caluinum. *ipſe ſaluus erit: ſic tamen quaſi per ignem.* nam quo igne homo ſaluus fieri poteſt, niſi igne Purgatorio, cũ *in inferno nulla ſit redemptio?* Verumtamen ecce vobis omnis Paulli ſenſus. is, de operibus loquens, quæ, iacto veræ fidei fundamento, ſuperædificantur, non autem de prauis operibus, & de mortalibus peccatis, (hoc enim modo non conſtrueremus, ſed deſtrueremus) verum de operibus, quæ cadunt in hominẽ iuſtum, dicit, eorum genera eſſe duo. alterum eorum, quæ ſunt, veluti aurum, argentum, & lapides pretioſi: alterum eorum, quæ ligno, fœno, ſtipulæ comparantur. ideſt, alia eſſe bona opera, & quibus meremur æterna præmia; & alia eſſe, neque læthifera peccata, neque huiuſmodi, vt mereamur cælum; ſed media, ideſt, veniales culpas. Sequitur deinde differentiam conſtituens, inter hæc duo, operum genera: dicitq; fore, vt illa diſcernat, & diſtinguat ignis. quoniam qui opera fecerint talia, vt præmium mereantur, *mercedem accipient*. alij verò, ſalui quidem fient, etiam ipſi, ſed oportebit primùm, *detrimentum patiantur:* ideſt pœnas aliquas patiantur: quæ cum futuræ ſint pœnæ ignis, *ipſi ſalui erunt, ſic tamen quaſi per ignem*. videtiſnè, auditores, quàm clarus ſit hic locus, & quàm verum ſit, *nos inuictum*

uictum in Paullo cuneum habere? At Caluinus ait, ſi ignis probabit vtriuſque opera, & eius, qui præmium meruit, & illius, qui peccata venialia commiſit; igitur vterque pœnam ignis ſubibit. quàm vero inſulſum argumentum. ego autem dico, ſi hic princeps præcipiat, vt Galli montes tranſeant, & Itali citra montes remaneant; igitur vt hi ab illis ſecernantur, tranſire vtroſque oportebit. alio tibi, Caluine, auxilio opus eſt, quàm his inanibus, & iocularijs argumentis. eſt ſanè, eſt *inuictus cuneus* hic, non tua ironia, ſed verè inuictus. & ignis hic eſt ignis purgatorius: non autem vexationum ignis, incommodorumuè, quæ in hac vita ſuſtinentur. nam ſæpenumero, qui meliores, & innocentiores ſunt; maioribus detrimentorum, & calamitatum oneribus opprimuntur. illud verò ineptum inuentum tuum, vt aurum, bonam doctrinam, & fœnum hæreſim ſignificet, riſum mouet. nuſquam enim inuenimus, doctrinam *opus* appellari: *Vniuſcuiuſque opus*. quod ſi is qui hæreſes ſuperædificat, ſaluus fieret per ærumnas, & res aduerſas, vt tu ais; falſum prorſus eſſet, quod tu ipſe alibi affirmaſti; ſcilicet, ſine fide ſaluum eſſe neminem: immò ſola fide ſaluos omnes fieri. Catholici, hæc inepta, fatuaq; commenta omittamus. quòd enim hoc loco Paullus pro igne ipſum purgatorium ignem intelligat, affirmat Origen. Homel. 25. & 26. in Exod. hoc etiam exponit modo Hieronym. extrema parte libri 18. Commentariorum in Eſai. Et Gregorius libro Dialogorum quarto cap. 30. Et Ambroſius, & Baſilius in Eſaiam. Oecumenius in Epiſtolam primam ad Corinth. cap. 3. Alcuinus lib. pri. cap. 3. Auguſtinus autem. & Enchiridio ad Laurẽtium cap. 68. Et eodem Enchir. cap. 110. Et libro de Commemoratione animarum contra Manichæum cap. 21. Et in Pſalmum 37. & Pſalmum 103. concione tertia. Et de fide, & operibus cap. 15. Et de Ciuitate Dei. lib. & cap. 21. & 26. Et in Pſal. 80. denique, locis omnibus, quibus de hac

Paulli

Paulli ſententia agit. nunc ſtatuite vos, quam auctoritatem, horumnè omnium, an Caluini, grauiorem, magiſq; vobis amplectendam putetis. Præterea ſunt etiam duo apertiſſimi Matthæi loci, ad hanc Purgatorij materiam pertinentes: (& finem dicendi facio) nam alios plures afferam, cùm de ſuffragijs agam. apud Matthæum enim cap. 12. Chriſtus, loquens de peccato in Spiritum Sanctum, dicit, *non remitti neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. Et quamuis Caluinus id nolit animaduertere, tamen hinc colligunt Gregor. libro quarto Dialogorum cap. 29. Et Bernardus ſermone 66. in Cantic. Et Auguſtinus lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 24. & alij plures, vel Chriſtum, alieniſſima omninò à propoſito, ſi quis vnquam alius, locutum eſſe; vel oportere, in *futuro ſæculo aliquod peccatum remittatur*. quod cum de mortali intelligi non poſſit apud inferos; neceſſe eſt, de veniali intelligi in Purgatorio. alter Matthæi locus eſt cap. 5. nam dicit Chriſtus; *Eſto conſentiens aduerſario tuo, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, vt in carcerem mittaris: amen dico tibi, non exibis inde, donec ſoluas minimum quadrantem*. Et addit Ambroſius ſermone x. in Pſalmũ 118. quaſi nos poſſit manifeſtius hortari; vt dum viatores ſumus, omnem operam demus, quòd ad ſatisfactionẽ attinet, vt de accepti, & expenſi ratione inter creditorem, & nos probè conueniat. ſin minus, conijciemur in Purgatorij carcerẽ; ex eo non euaſuri, quoad cumulatè ſatisfecerimus toti pœnæ, quæ remiſſa non fuit. Et notum iàm omnibus eſt, ex inferno carcere neminem emitti. igitur carcerem hunc, quem ingredimur, cum viatores eſſe deſinimus, in quo, quod debetur exigitur, & è quo tandem exire poſſumus, purò, (niſi verbis vis fiat,) non poſſe niſi ad Purgatorium locum referri. atque eò magis mihi hic locus arridet, quòd optime exemplo illi videtur conuenire, quo hactenus aſſiduè ſum vſus. quare ſi dicebam, viatorem

torem vbi portum tenuit, recta ad vrbem tendentem, poſtquàm vectigal ſoluit, intra mœnia recipi; ſed ſi de via decliner, in carcerem deduci, neque eo liberari, donec vel teruncium perſoluat; ecce Matthæi locus, qui, translationem eandem vſurpans, Purgatorium nominat, cum dicit; *mittetur in carcerem, & non exibit inde, donec ſoluat minimum quadrantem*. quare, auditores, apertiſſimi ſunt loci, quibus Purgatorium probatur. quòd ſi non eſſent clari; fundamenta duo, de Satisfactione nempe, & de veniali peccato, ita rem confirmant, ſtabiliuntq́; vt eam fateri neceſſe ſit. illud ſanè agamus nos, omnemq́; operam demus, vt poſtquàm adepti iuſtificationem ſumus; ſatisfaciamus vel operibus noſtris, vel aliorum, ad nos applicatis, vel indulgentijs antequàm è vita decedamus. ſin aliter, vbi mortẽ obierimus, ſine aliqua dubitatione ad purgatorium locum deducemur, igneq́; expiabimur. Sed aliud quæramus, cum viuentes non ſolum operibus noſtris perſoluamus, verùm etiam ſubleuari poſſimus, & ab alijs viuentibus, & indulgentiarum ope; vbi mortui ſumus, & in Purgatorium perducti, poterunt ne adiumento nobis eſſe cum aliena opera, tum ſuffragia; ſi nobis opera applicentur ab ijs, qui in vita ſunt, & ſuffragia ab indulgentijs conſequamur? quæſtionem hanc paullo poſt tractabimus. reſpiremus.

PARS ALTERA.

MInime verò reſponderet Caluinus. quamuis enim de Purgatorio loco conſtaret, neque dubium eſſet, quin homines ibi detinerentur, vt ſuis ipſorum pœnis, quod reliquum eſſet, debitum perſoluerent; nihilominus, viuentes, non poſſent eis aliquo modo ſuffragari: ſed quicquid deberent, id omne per ſeipſos ſolui, ſuiſq́; tantummodò pœnis oporteret. Et quidem

Lutherus, veritate coactus, ſæpenumero de Purgatorio, quæ dicuntur, concedit: ſed tamen contra ſuffragia ſemper repugnat. Vt autem iſti ſuffragijs aduerſentur, ea ratione ducuntur, quoniam negant, Deum opera, quæ ab alio pro alio facta fuerint, vnquam habere rata. vel ea mente, & conſilio facta ſint, vt alteri proſint, cuiuſmodi ſunt alia ſuffragia omnia: vel ab eo communicentur, penes quem claues ærarij Sanctæ Eccleſiæ ſunt, vt indulgentiæ: omnia enim tandem eſſe alterius opera dicunt nō eius, qui expiandus eſt: quare nihil eum iuuari: quoniam, quæ fiunt opera, facientibus proſint; cæteris non item: neque quiſquam ſit, qui ſaluus alienis operibus fiat, ſed tantummodò ſuis ipſius. *tu reddis vnicuique ſecundum opera ſua*; non alijs, habet Pſalmus. *Opera eorum*, non aliorum, *ſequuntur illos*, in Apocalypſi. *Vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum*, Paullus ad Corinth. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet*. idem Paul. ad eoſdem. *Vnuſquiſque noſtrum pro ſe reddet rationem Deo*. idem ad Rom. *quæ ſeminauerit homo, hæc & metet*. idem ad Galath. Et Hierony. apertiſſimè ſanè: *in præſenti ſæculo ſcimus, ſiue orationibus, ſeu conſilijs, inuicem nos poſſe adiuuari: cum autem ante tribunal Chriſti venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noe rogare poſſe pro quoquam: ſed vnumquemque portare onus ſuum*. quibus locis omnibus probari videtur, non ſolùm viuentium operibus nihil iuuari mortuos; ſed generaliter etiam opera alterius alteri vtilia non eſſe, ſiue is viuus ſit, ſiue mortuus. Et nihilominus, auditores, heſterna diſceptatione, ſi memoria tenetis, contraria his, & aduerſantia docuimus: neque tunc ad eos locos quicquam reſpondendum putauimus, rem in hoc tempus reſeruantes. Nunc verò, quòd ad locũ Hieronymi pertinet, iàm iſtos non latebat, ab ipſo Gratiano reſpõderi xiij. Q. 2. quod eis diſſimulandum non erat, niſi vt alios fallerẽt. reſpondet autem hoc modo Gratianus; Hieronymũ eo

loco

loco loqui de extremo iudicio:& quidē nihil oīno *fallitur*. quāuis enim ante poſtremum iudicij diem quilibet noſtrum ſuis precibus alteri prodeſſe poterit, ſeu viuo, ſeu mortuo; cum tamen vltimus ille aduenerit dies, nullus amplius opitulandi, vel opis ferendæ locus relinquetur: *ſed procedent, qui bona egerunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum*. Cæterùm quòd ad alios locos attinet, non vno modo tantùm, ſed tribus reſpondemus. primo, vt Gratianus affirmauit, intelligi illos oēs de extremo iudicio. veriſſimum eſt enim, eo tempore leuatum iri neminem alienis operibus, neque pœnis, neque ſuffragijs. Secundò dicimus, quamuis ego ſubleuer in præſentia alienis operibus, aut indulgentijs; poſſe me tamen iure affirmare, hæc oīa non aliena eſſe opera, ſed mea: nam, qui meæ vtilitatis cauſa operatur, cùm opera ſua mihi applicat, illa mihi largitur, & mea facit. Papa item, & Epiſcopi, cùm indulgentias donant, efficiunt, vt pars operum illorum, quæ alijs redundarant, mea ſit; ita vt hæc opera omnia appellari mea, & cenſeri poſſint. Poſtremò ad diſtinctionem illam redeo, quæ tuetur omnia, meriti ſcilicet, & ſatisfactionis: rurſusq; redigo vobis in memoriam pro alio, quàm pro ſeipſo mereri poſſe neminem; ſed pro alio ſatisfacere quemlibet poſſe. Et nullus vnquam mihi ſeu viuo, ſeu mortuo adiumento erit ad promerendum cælum; illud .n. acquirendum eſt mihi meis tantùm operibus, per virtutē ſanguinis Chriſti, & ijs quidem ope gratiæ ipſius adiutis. ad ſatisfaciendum autem afferri mihi auxilium poteſt: vel ſi qui opera ſua mihi applicent; vel ſi aliorum redundantia opera, quæ in ærario cuſtodiuntur, mihi communicentur ab ijs, qui claues tenent, & habent largiendi poteſtatem. Quibus ſic ſe habentibus, quamuis, qui allati ſunt loci, ſexcenti eſſent, quibus probaretur, opera alterius alteri non prodeſſe; ijs omnibus ego paucis reſponderem: nempè, ad merendum nunquam prodeſſe: ad

ſatis-

ſatisfaciendum autem ſemper vſui eſſe poſſe. Quæ, igitur, iam affirmauimus, præclarè conſiſtunt, & firmiſſima ſunt: quemlibet ſcilicet, cui ſoluendum eſt vectigal, antequàm in Vrbem ingrediatur, poſſe, dum vita ſuppetit, id præſtare; non ſolùm cùm ipſe ſoluit; ſed etiam cùm alij pro ipſo ſoluunt: vel cùm ærarij præfectus pecuniam, quæ alijs ſuperfuit, illi cõmunicat. Summa eſt, poſteaquàm abſoluti ſumus à peccatis, ſi nobis nõ condonatæ pœnæ ſatisfaciendum ſit, poſſe nos, dum viuimus, non ſolùm ſatisfacere noſtris pœnalibus operibus, ſed etiã poſſe ſuppetias nobis, & opem ferri pœnalibus operibus alienis; ſi qui ſint, qui ſua nobis applicent: vel ijs operibus redundantiæ, quæ nobis per ſanctas indulgentias communicantur. Quæ cũ tàm vera ſint, quàm, quæ veriſſima, vt apertè demonſtratum eſt; quæro ego, auditores, quare eadem vera eſſe non oporteat, etiam eorum ratione, qui in loco purgatorio ſunt: id eſt, ſi, dum ego viuens ſatisfacio, poſſum auxilium ab aliquo conſequi, cur non poſſum ſuffragio iuuari, cum poſt extremum ſpiritũ ſatisfacio? ſi, dum vita permanet, adiumenta vtilia ſunt, cur eadem, amiſſa vita, ſunt inania? quæ hæc eſt immanitas, quæ feritas? feritas certè Coruorum eſt, cum ſæuiat in mortuos. apertè demõſtro, alios poſſe, dum viuo, pro me ſatisfacere; & deindè mortuò mihi hoc adimis auxilium? qua fretus auctoritate? qua coniectura? qua lege? qua ſaltem vmbra rationis? Ego verò pro mea cauſſa habeo & firmiſſima argumenta, rationesq́;, & clariſſimos locos; quibus planè oſtenditur, eadem, quæ in ſatisfactione, adiumenti ratione, prodeſſe poſſunt viuo; ratione ſuffragij prodeſſe & mortuo. Ac de argumẽtis, & rationibus primùm dico; quæroq́; quì fiat, & quibus illud radicibus nitatur, vt opera alterius fructuoſa alteri eſſe poſſint. & affirmo, neceſſe eſſe, reſponderi mihi, radicem eſſe duplicem. alteram, ab eo naſcentem, qui iuuatur; ab eo qui iuuat, alteram. id eſt, vt quis

iuuetur,

iuuetur, id eſſe cauſſæ, quòd is in gratia ſit, & charitatis illius vinculo nexus, qua Eccleſiæ membrum ea, quæ ad ſatisfactionem attinent, membro communicat. Vt autem quiſpiam iuuet, fieri, quoniam is opera, à ſe facta, applicare cui maluerit, voluntate, & mente poſſit. Velim igitur oſtendi mihi, quænam harum radicum deſit, vt ſuffragari mortuis non poſſim. nàm ſi negas, me opem ferre poſſe mortuo, vt is ſatisfaciat; declarandum tibi eſt, quanam cauſſa ex his duabus, ego prohibear. an forte, quia is non ſit in charitate? an verò, quia nequeam ego mẽtem meã, & beneuolentiæ affectum ad eum dirigere? Et quidem tàm in gratia ſunt mortui, qui igne purgatorio expiantur, quàm viui, qui iuſtificati ſunt. immò illi conditione eò meliore; quòd recidere in morbũ amplius nõ poſſunt; hi quotidie poſſunt. quòd vero ad me pertinet, in me ipſo experior, nihil prohibere, quominus animum, & voluntatem meam conuertere valeam, tàm ad mortuum ſe ſe expiantem, quàm ad viuum ſatisfacientem. Si dicamus igitur, me ſatisfactiones meas applicare viuo poſſe; mortuo non poſſe; res erit non ſolùm ab omni ratione alieniſſima, ſed etiam tantæ feritatis, atque ſæuitiæ, vt ab eius commemoratione abhorream. pari ratione eadem de indulgentijs dicenda ſunt. nàm quòd ad me ſpectat, ego qui viuus ſum, ea ratione fructum ex indulgentijs percipio, propterea quod ſum in gratia. quòd autem ad Papam, ſiue ad Epiſcopos attinet, quoniam arbitrij, & facultatis eorum eſt indulgẽtias, quibus maluerint, impertiri. ſed mortuus, qui purgatur, æquè eſt in gratia, atque ego: immò eò amplius, quòd ipſius gratia firma eſt: Et Papa tantundem animum applicare mortuo poteſt, quantum viuo. quid igitur dubij reſtat? niſi illud aduerſarij dicant, quod aliquando inſulsè, ridiculeq; dixerunt, vt aliquid dicere viderentur? Papam ſcilicet, vti clauibus poſſe, indulgentijs in eos conferendis, qui ſuper terram ſunt; in eos autem, qui ſunt ſub

terram, nequaquam poſſe: idq; probari illis verbis. *quodcunque ligaueris ſuper terram:* non enim dictum eſſe, *ſub terram*. acutè ſcilicet inuentum. quaſi verò vel ipſi pueri ſatis non intelligant, verba illa, *ſuper terram*, non ad abſolutum, ſed ad abſoluentem referri. non enim illo modo exponendum eſt, ſcilicet, vbi tu ligaueris, quæ ſunt ſuper terram: ſed hoc potius, quæ tu ligaueris, donec eris ſuper terram. ideſt, quæcunque ligabis, aut ſolues, quòad eris ſuper terram; quòad viues. aliò vobis confugiendum eſt. nam rei tam claræ obduci tenebræ non poſſunt. Eiſdem, igitur, auditores, rationibus conſtat, ſicut viuenti opem ferre poſſumus, cum ſatisfacit, ita & mortuo. Et quemlibet, qui in loco purgatorio ſit, vti antea, dum viueret; ita nunc eadem conſequi poſſe ſuffragia, quæ ſacrificijs, precibus, eleemoſinis, operibus pœnalibus ei applicatis, & indulgentijs acquiruntur. Atque hæc pulcherrima, veriſsimaq; concluſio, poſſe nos, ſcilicet ſuffragari mortuis, non ijs tantummodo rationibus innititur, quas attulimus, quamuis illæ firmiſſimæ ſint, ſed etiam vim accipit, ab apertiſſimis ſacræ ſcripturæ locis. præ cæteris autem maximi ponderis videtur ille Tobiæ 4. in quo moriens pater inter alia pietatis opera, quæ filio commemorat, & diligenter, vt ab eo commendentur memoriæ, petit; illud eſt, *vt panem ſuum & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtituat*. quod cum eo propoſito fieri non potuerit, vt eo tempore mortui cenarent, maximè velim, vel à Caluino cauſſam afferri, quare id Tobias mandaſſet; vel iſtum eorum auctoritate moueri, qui locum expoſuerunt. dixerunt enim, panem illum, & vinum apponi ſolitum ratione ſuffragij: vt ſcilicet aduenientes egeni, ex ijs alimentis refecti, Deum pro mortuis precarentur, quorum ſepulchris appoſitos cibos inueniſſent. ſed ad ea veniamus, quæ ſunt Solis luce clariora. atque in primis recordamini ne, quantum conentur hæretici noſtri, quan-
tis

tis viribus, quanto ſudore enitantur, vt Machabæorum libros reijciant, paullo poſt intelligetis, qua mente, quo conſilio. Sed prius reuocandum vobis eſt ad memoriam, non ſolùm docuiſſe me ſuperioribus diſceptationibus, ad Romanam Eccleſiam pertinere, quæ ſint ſcripturæ canonicæ, decernere; ſed etiam manifeſtò oſtendiſſe, librum hunc ſingillatim Machabæorum canonicum, & maximè probatum eſſe. receptum enim ab Auguſtino lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 36. ab Iſydoro 6. Ethimolog. ab Innocentio primo, Epiſtola ad Eſuperium Toloſanum: à Gelaſio Papa, & à Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum, à Concilio tertio Carthaginienſi: à Concilio Florentino, Eugenio Quarto ſummo Pontif.: denique à Concilio Tridentino, Paullo Tertio ſedente. quare librum eſſe canonicum, maximeq; receptum, liquidò conſtat, an verò eo ſuffragia probentur, veſtrum ſit iudicium. dicitur enim in primis, *Iudam Machabæum, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti miſiſſe Hieroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum*. deinde eodem cap. 12. ſecundi libri continuò additur, quid ipſe de actione hac cenſeat: ſequitur enim, *Bene, & religioſe de reſſurrectione cogitans: niſi enim eos, qui ceciderant, reſſurrecturos ſperaret, vanum videretur, & ſuperfluum orare pro mortuis*. poſtremò concludit Epiphonemate illo, quod animam Caluino ab intimis præcordijs auellit. nempe, *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis ſoluantur*. lib. regum pri. cap. vlt. legitur habitatores terræ Iabes Galaad cũ de morte Saul cognouiſſent ſeptem ipſos dies ieiunijs operã dediſſe. immò lib. 2. regum cap. pri. cæſis in prælio Saule, & Ionata ipſe Dauid rex pro ipſis aliquandiu cibo ſe abſtinuit: quod item fecit pro Abner lib. regum 2. cap. 3. quæro igitur, neque immerito, ad quid hæc ieiunia? & Beda in fine Commentarij in librum primum regum reſpondet, loquens de ieiunio viro-

rum labes Galaad vt animas illas adiuuarent, & mortuis illis ſuffragarentur. nam vt mœrorem, & triſticiam ſignificarent cur per ſeptem dies ſe ſe inedia macerare? quod ſi eius rei cauſſa; debuerat Dauid id agere, quando filius ſuus paullo ante natus mortuus eſt Reg. 2. cap. 12. & tamen ibi habetur, abſtinuiſſe à cibo regem, quandiu ægrotauit filius, vt ei ſalutem impetraret: vbi verò is è vita diſceſſit, continuò ieiunia ceſſaſſe, quoniam intelligebat Dauid, infantis illius animam ſuffragijs non egere, quibus ſi forte egerent animæ Saul, & Ionatæ, & Abſalon, à cibis abſtinuit. quid amplius? tàm receptus erat Paulli tempore hic vſus, quo viuentes pro mortuis ſe ſe affligerent, eaque ratione illis ſuffragarentur, vt Paullus hoc argumento tanquam firmiſſimo vtatur ad probandam propoſitionem, quæ tunc in dubium reuocabatur; ſcilicet mortuorum reſurrectionem, atque hoc modo argumentatur. ſi mortui qui ſunt, non reſurgent, fruſtra eſſet, viuentes ſe ſe affligere, quò illis ſuffragarentur. *quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt? vt quid baptizantur pro illis?* neque me præterit, alias interpretationes ad hunc locum afferri: quæ tamen nihil aduerſantur, quominus appareat propoſitum, & voluntas ſuffragrandi mortuis. Scio item veriorem expoſitionem, magiſque receptam illam eſſe, quàm attuli. nam à Petro Cluniacenſe, à Dionifio, ab Vgone, à Gagneo, & ab alijs pluribus exponitur, *baptizari pro mortuo*. ideſt affligere ſe pro mortuorum ſuffragijs. neque ſemel verbum baptizari in ſacris literis afflictionem ſignificat Marci cap. 10. dominus Zebedei filijs dicit, *poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* & Lucæ 12. *baptiſmo habeo baptizari*, & ſæpe alibi. ſed ad probanda mortuorum ſuffragia pulcherrimus locus eſt Lucæ cap. 18. *facite vobis amicos de mammona, iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

nam

nam ſi *deficere* ſignificat mori, vt doctiſſimi pattes cenſent, & dominus poſt mortem noſtram, affirmat, non defuturos, qui nos addiuuent, vt in æterna tabernacula recipiamur; neſcio certè, qua ratione dogma de ſuffragijs, clarius exponi poſſet. intelligitisné, an ſuffragia pro mortuis, vt Caluinus cenſebat, ſint commenta noſtra, & an rationis uiribus, atq; auctoritate ſacræ ſcripturæ careant? quòd ſi carerent, nùm deceret, homines tantulos, tamq; humiles, adeo arrogantes, adeo inſolentes eſſe, vt morem, ſemper in Eccleſia Dei à maioribus probatum, ſemper receptum, diuturnoq;, immò perpetno vſu inueteratum, reijcere auderent? Auguſtinum audite libro de cura, pro mortuis agenda. *In ſecundo Machabæorum libro legimus, oblatum pro mortuis ſacrificium. ſed ſi numquam in ſcripturis veteribus omnino legeretur, non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctori tas: vbi in precibus ſacerdotum, quæ domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet, etiam commendatio animarum.* Damaſcenus libro præcipuo de cura pro mortuis, ait; Vſque ab Apoſtolis hunc Eccleſiæ morem, inſtitutumq; manaſſe orandi pro mortuis: quod quidem mihi veriſſimum videtur. nam Dionyſius Areopagita, Paulli diſcipulus, Hierarchiæ Eccleſiaſt. cap. 7. ipſam noſtrorum temporum in exequijs celebrandis, referre, optimeq; deſcribere conſuetudinem videtur. audite. *Accedens deinde venerandus Antiſtes, precem ſuā ſuper mortuum peragit: poſtquam precem, & ipſe Præſul eum ſalutat; & ſuo deinceps ordine, qui adſtant omnes. Precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto: eumq; in luce ſtatuat, & regione viuorum, in ſinibus Abrahæ, Iſaac, & Iacob: in loco, vnde effugit gemitus, & triſtitia.* ſed quid opus eſt, auditores, hunc, vel illum citare, qui de ſuffragijs tractet, cum ea nemo non probet? fingamus eſſe nos in Concilio, & totius terrarum orbis ſenten-

tiam exquiramus: ab omnibus certè ipſius partibus confluere ſanctiſſimos patres videbimus, viuamq; vocem præ ſe ferre cõmunis conſenſus, atque concordiæ indicem. Ex Africa Tertullianum, lib. de exhortatione ad caſtitatem. Ab Eccleſia Carthaginienſi Cyprianum lib.2. Epiſtolæ nonæ. Conſtantinopoli Chryſoſtomum, Liturgiæ tractatu. Ex tota Græcia Damaſcenum, tractatu huius materiæ præcipuo, & Græcos omnes in Florentino Concilio. Ex patria mea Mediolano Ambroſium, oratione funebri in Satyrum. Roma Gregorium, Dialogorum quarto. Oſtia Auguſtinum, de matre loquentem, Confeſſionum libro. Ex Gallijs Dionyſium Areopagitam, Eccleſiaſt. Hierarch. lib. 7. Alexandria, Athanaſium libro de mortuis. Ex Illyrio Hieronym. in Prouerb. cap. 9. è Paleſtina, Apoſtolorum nomine, Clementem Romanum, Petri diſcipulum Apoſtolic. doctr. lib. 6. hi omnes, auditores, & ſexcenti alij ad noſtrum Concilium conuolant, & noſtræ ſententiæ de mortuorum ſuffragijs aſſentiuntur. Caluinus autem quid molitur, quid agit? ſcitné, vniuerſos Eccleſiæ patres cauſſæ ipſius aduerſarios eſſe acerrimos? nihil horum ignorat. qua ratione non erubeſcit? eadem, qua toties alio tempore non erubuit. ſed quid ait? tria verò pulcherrima. primum, *Veteres in hac re mandato Dei, & legitimo exemplo deſtituebantur*. alterum, *in hoc aliquid humani patiebantur*. tertium, *ad imitationem trahendum non eſt, quod ipſi fecerint*. ò canem, ò canem, canibus obijciendum! fieriné potuit, cum hæc diceres, quin te auditores lapidibus obruerent? Et cum hæc in libris tuis leguntur, quin te lectores in ignem continuò non conijciant? ſed animaduertite quæſo, quàm bene ſe gerat erga ſuum Auguſtinum: ſuum autem ioco, ſerio noſtrum. cum enim narrat, ſe rogatum à moribunda matre, vt pro ea Deum precaretur; factumq; id ab ſe; ridet Caluinus, dicitq;, anum illam deliraſſe; Auguſtinum autem ſe à quatuor

matris

matris lachrimulis corrumpi paſſum fuiſſe. Equidem, auditores, meam ipſius linguam odi, quæ tàm nefanda referat, ſed maximè cuperem etiam, eos, qui decepti fuerunt, vt iſtius ingenium, & mores pernoſcerent, tandem animum inducere. Interim non modo diſceptationem hanc, qua probatum eſt Purgatorium, & ſuffragia pro mortuis, abſoluimus; ſed etiam ſex illas, quibus materiam *de homine* tractauimus. Et ſanè, cum têporis breuitas me de omnibus, quæ in controuerſiam adducuntur, dicere non pateretur, nihil à me, iudicio meo, fieri potuit vtilius, quàm vt ea vos docerem, quæ præcipuè veſtra ſunt, & ad veſtram ſalutem tàm neceſſaria, vt cum ea coniuncta eſſe videãtur. ideſt, quo in ſtatu oriamini: quid vobis baptiſmus afferat: quam vim habeat concupiſcentia: quæ ſint liberi arbitrij vires: quæ cauſſa ſit, quare peccetis: vbi propter peccatum cecidiſtis, an ſurgere poſſitis: an poſſitis ſine gratia: an id præſtet gratia ſine vobis: an ſola ſufficiat fides: an ei addenda ſit pœnitentia: quid contritio ſit: quàm ſit neceſſaria Confeſſio: poſt abſolutionem an ſatisfacere oporteat: an, dum viuimus, ad peragendam ſatisfactionem addiuuari poſſimus: poſtquàm mortui ſumus, an cõſtitutus ſit nobis Purgatorius locus: an ſuffragijs iuuemur. Denique ab eo tempore, quo in hanc lucem editi ſumus, nonnulli ad inferos detracti ſunt: euecti ad cœlum nonnulli. Singulis autem locis, quid Caluinus ſentiret, quid nos, expoſuimus. Exemplo item nauigij frequenter vſi ſumus. quòd ſi illius memoria mentis veſtræ oculis inhæſerit; erit vobis pro figura quadam, imagineué, quibus vtuntur ij, qui arte ſibi memoriã quærunt: quocirca ſtatus eos omnes, in quibus verſatur homo, facilè intueri in ea quodammodo poteritis, & de ijs loqui. Sed neque exemplum hoc, neque alia pluribus colligemus, ne longius euagemur. Duas igitur operis noſtri partes hiſce duodecim diſceptationibus abſoluimus. priori iecimus fundamenta ſex di-

ſceptationibus teſtimoniorum illorum , quibus differentibus nobis innitendum fuit : altera mihi videor eiſdem teſtimonijs oſtendiſſe, quicquid de hòmine dici poterat. extrema pars reliqua eſt, qua calumnias, nobis ab aduerſarijs obiectas, refellemus .

DISCEPTATIONVM FRAN. PANIGAROLÆ, EPISCOPI ASTENSIS IN DOGMATA.

Pars Tertia.

DISCEPTATIO XIII.

Qua probatur, ſanctos inuocari debere, non ſolùm viuos, ſed eos etiã, qui in cælo ſunt: & hæc oĩa ex ſacris ſcripturis haberi, expreſſaq; eſſe ab omnibus Sanctis patribus, & in Dei Eccleſia perpetuo vſu recepta. Aduerſus Caluinum cap. 12. primi, & cap. 20. tertij libri Inſtitutio.

GRauiſſima ſanè ſunt conuicia, Sereniſs. Princeps, vosq; cæteri auditores, quibus nos cõſectantur; atrocia crimina ſunt, omniq; ſupplicio digna, quæ nobis obiectant calumniatores noſtri & colloquijs, & ſcriptis ; & publicè, priuatimq; & quoties aliquam occaſionem nacti ſint, vt nomini noſtro turpitudinis, & ignominiæ notam inurant, nosq; vniuerſo hominum generi odioſos, & infenſos reddant. atque ego quidem iam mirari deſino, quare tot homines nos miſeros concionatores Catholicos non ludificentur ſolùm; verùm etiam deſpiciant. nimiam enim profectò vim habent ad alienandos à nobis eorum animos, qui aliqua pie-

tate

tate prædi ti ſunt, ſcelera illa, illa crimina, quæ (Deus autem nouit, qui nouit omnia, iurené id fiat, an iniuria) nobis obijciunt. Sed illud quidem, ò decepti, verum eſt, ſacrificijs omnibus eſſe adhibendum ſalem. quocirca quæri non leuiter poſſemus, quòd nos indicta cauſſa damnandos cenſueritis, & quales nos aduerſarij noſtri vobis effinxerunt, continuò nos tales eſſe credideritis. Veruntamen, ſi in præcipiti iudicio vnquam eſt aliquis excuſationi locus; tùm profectò eſſe decet, cum crimen reo obiectum, tàm atrox eſt, vt, cum eum vix inſimulari audimus, continuò os auertamus, & à criminis commemoratione ſtatim abhorreamus. fallaces, hypochritæ, ſuperbi, auari, deſides, ignaui, ſenſibus parentes, violenti, tyrannici appellamur: hiſce virtutibus ornamur, his laudibus, quod vos minime latet, afficimur. ſed, quod dictu nimis horribile eſt, ijs omnibus, qui nihil perpendunt, qua ratione quid dicatur, iàm perſuaſerunt, nos idolorum eſſe cultores, & noſtra diſciplina (ah quàm iniquè nos accuſant?) populos ad committendum Idololatriæ crimen induci. quod ſi ita ſe habet, agite, auditores, lapides in nos conijcite; iure enim, & merito facietis: viuos comburite; viuos defodite: neque enim vlla pœna, vlloué cruciatu æquare ſcelus noſtrum poteritis. Sed prius audite nos quæſo: æqui iudices eſtote; aures nobis non criminibus obtuſas, ſed vacuas præbete. eò magis, quòd defenſionem hanc pro ſalute potius animarũ veſtrarum, quàm tuendæ exiſtimationis noſtræ cauſſa ſuſcipimus. vbi autem exploratum vobis fuerit, omni nos carere culpa, nullam tamen pro repentino nimis aduerſum nos iudicio veſtro pœnam à vobis repoſcemus, niſi vt poſthàc neq; fidem aduerſarijs noſtris adhibeatis; & odium, ſi quod in nos concepiſtis, benignè deponatis. neque tamen conſilij noſtri eſt ea diluere omnia, quæ iſti nobis obijciunt; ſed in præſentia hoc tantùmmodo idololatriæ crimen refellemus; alia tribus de

cauſſis

cauſſis omittentes. primùm, quia res non patitur, vt ſex tantùm diſceptationibus reſpõdere ad omnia, eaq; redarguere poſſimus: & æquum eſt, ea tractari, quæ magis vrgere videantur: deinde quia auaritiæ vitium, ignauiæq;, & huiuſmodi ad perſonas non ad doctrinam pertinet: idololatriæ autem crimen & nobis, & ijs populis detrimentum affert, quorum ſalutem commodis, & exiſtimationi noſtræ ſemper anteferendam putabimus: poſtremò, quia hanc vnam calumniam purgantes, nihilominus tria, quæ in controuerſiam adducuntur, & maximi ponderis ſunt, tractabimus; ſcilicet Sanctorum inuocationem; adorationem imaginum, & ſanctum altaris Sacramentum. quare cũ iſti affirment, hos eſſe noſtros idolorum cultus; vt homines, & ſtatuas, & panem adoremus; de his omnibus ordine in ſequentibus diſceptationibus diſſeremus; hodieq; initium ab ea idololatria (ſic enim ipſi appellant) faciemus; quam committimus, auferentes Deo gloriam, & ſanctis tribuentes. Sed, quoniam adhùc non ſatis apparet, cuiuſmodi ſit hic cultus, quem iſti adimere nos Deo, & Sanctis tribuere conqueruntur; operæ pretiũ erit, ſi in primis perſcrutemur, quot, & quales cultus Deo debeamus. Et continuò reſpondebo, quod etiam ipſi fatebũtur. *Triplicem nos Deus debere cultum: imitationem, honorem, & inuocationem.* tria enim Deo debemus, vt eum imitemur, adoremus, & inuocemus. Conſtat autem id verum eſſe; quoniam cum Deus à nobis conſiderandus ſit, vti bonus in ſe; vti dominus noſtrum omnium, atque vti beneficus; quia bonus eſt, debemus eum imitari; quia dominus, honorare; & quia beneficus, inuocare. quare ſi appellare velint Eccleſiam Romanam idololatram; eo quòd aliquem cultum, Deo debitum, ſanctis hominibus adhibeat, id contingat, neceſſe eſt, vel quia ſanctos imitetur, cum imitandus ſit Deus; vel quòd Sanctos etiam adoret, cum Deus adorandus ſit; vel quia, Sanctos inuocet, cum

vnus inuocandus ſit Deus: ac denique, quia aliam bonitatem imitetur, alium dominatum adoret, & aliam beneficentiã inuocet, quàm vnius Dei. Nunc paullatim, diligenterq; ſingulos hoſce tres cultus examinemus, de quibus diximus; quæramusq;, qua in re, quomodouè idololatriam committamus. Quòd ad imitationem ſpectat, nemo inficiabitur, quin hic maximè præcipuus, eximiusq; ſit Dei cultus. tàm clare enim conſtat; vt vel Seneca ipſe id intellexerit, cum dixit, *Vis Deos propitiari? bonus eſto. ſatis illos coluit quiſquis imitatus eſt.* & Auguſtinus. *Summa religionis eſt, imitari quem colis.* atque, vt huiuſmodi cultum imitationis exigeret Deus, præter alias cauſſas, miſit filium ſuum in terram, hominem factum: vt, cum ſe ſe excuſarent homines, quòd eum vti Deum imitari non poſſent, nulli excuſationi locus eſſet, quominus imitari poſſent, ſaltem vt hominem. itaque Chriſtus aduenit, non ſolùm tanquam *Veritas*, ob doctrinam, quam tradidit; non ſolùm tanquam *Vita*, propter vitam, & ſalutem, quam nobis attulit; ſed etiam tanquam *Via*, propter actiones ſuas ſanctas, quas nobis imitandas reliquit. Paullus dicebat; *Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi.* Petrus, *Chriſtus mortuus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius.* Ioannes; *Qui dicit, ſe in Deo manere, debet ſicut ipſe ambulauit, & ipſe ambulare.* Chriſtus ipſe modò dicebat, *Venite poſt me:* aliquando, *qui uult uenire poſt me, abneget ſemetipſum:* interdum; *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde:* & nonnunquam; *Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, ſic & uos faciatis.* Ac, quamuis imitari Deum nequeamus in æquatione naturæ, ſiue virtutis ipſius, (hoc enim modo ſolæ tres diuinæ perſonæ inter ſe ſunt æquales,) nihilominus, vt oſtenderet, poſſe nos ea proportione, quæ inter Deum, & nos reperiri poteſt, bonitatem eius imitari, quandoque docuit nos dicere; *dimitte nobis debita noſtra,*

ſicut

ſicut & nos dimittimus. & interdum hortatus eſt, vt inimicis ignoſcamus; *Vt filij patris noſtri ſimus, qui Solem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos*. quare imitationem eſſe cultum Dei maximè præcipuum, liquidò iàm omnibus patet. quò circa dico, ſi vos, ò Caluiniſtæ, idololatram eum dicitis, qui facit, vt alijs id detur, quod Deo debetur; quanto magis idololatra erit ille, qui aliquem hortabitur, vt is aliū, quam Deum imitetur? immo nonne vere erit quàm peſſimus, & ſuperbiſſimus idololatra ille, qui alios hortabitur, vt ſe imitentur, ſibi temerè ſumens, & vendicans, quod Deo debetur? attende, Caluine: hinc euadere nō potes. Tu dicis, qui cuipiam cultum adhibet, qui Deo adhibendus eſt, hunc idololatram eſſe: at ego probaui, eximium, & præcipuum Dei cultum eſſe imitationem: igitur, idololatra eſt, qui alium, quàm ipſum Deum, imitatur: & maxime arrogans erit idololatriæ magiſter, qui ſeipſum imitandum curabit. nunc audi, qui tuo iudicio idololatra cenſendus erit. *Volo autem uos oēs eſſe, ſicut meipſum*. hoc Paulli eſt. *imitatores mei eſtote, ſicut, & ego*, & hoc eſt ipſius Paulli. ò Paulle, Paulle, quē teipſum facis? Chriſtus de ſe ipſo, non autem de te, dixit, *Ego ſum oſtium*. & de ſe, non de te, dixit, *Ego ſum via*. cultus Dei eſt imitatio, tu verò eam tibi vendicas: igitur Caluini ſententia idololatra es. omitto Sanctos complures, qui nos hortati ſunt ad aliorum Sanctorum imitationem. quòd ſi vera eſſent, auditores, quæ Caluinus affirmat; conſequens etiam eſſet, vt ij omnes idololatræ eſſent. ſed hæretici ſemper hoc artificio vſi ſunt, quò vos deciperent, vt enunciationes omnes mancas, & inchoatas, vel implicatas, vel ea declaratione carentes, afferrent, quæ ad illas percipiendas maximè neceſſaria eſt. Fides nos iuſtificat: (age, Caluine, tandem periodum perfice;) at cum operibus coniuncta. Cibus non eſt damnationis noſtræ cauſa: (adde tandem, Caluine) ſed vſus cibi. Chriſti ſanguis pro omnibus ſatisfe-

tisfecit: (iàm, Caluine, ſententiam abſolue,) ſed applicari eum oportet. huiuſmodi ſunt omnes enunciationes, quotquot ab ijs afferuntur. talis eſt etiam hæc ipſa, Dei cultum, non eſſe alijs adhibendum, (abſolue rem, Caluine,) eodem ſcilicet modo, & eadem ratione adhibendus non eſt, quibus Deo adhibetur. Eodem pariter modo, quo Deum imitamur, alios imitari non oportet. neque enim Paullus cupiebat ipſum homines imitari eadem ratione, qua Deum imitamur. Sed hæc ſcire, Caluino incommodum eſt, & eis tantum is vtitur, quibus decipere, & inducere in errorem imperitos poſſit. Cùm Deum imitamur, Deum imitamur in Deo; & cum Sanctos imitamur, Deũ imitamur in Sanctis. Vel cum imitamur Deum, imitamur ſupremum exemplar, quod aliunde non pendet: & cum Sanctos imitamur; exemplum illius exemplaris imitamur. Vel imitantes Deum, primum exemplar imitamur, & imitantes Sanctos, imitamur exemplum exemplaris. Vel, cum imitamur Deum, imitamur bonitatem eſſentiæ: cum autem Sanctos, bonitatem impertitam. an putatis differentias deeſſe inter has duas imitationes? Viuit Deus in Sanctis ſuis, & iccirco dicebat Paullus, *Viuit in me Chriſtus*. cum igitur imitamur Sanctos, Deum in ipſis imitamur. idem Paullus cum imitationem poſtulabat, vt oſtenderet, non ab ſe poſtulari, tanquam eam, quæ in ipſo terminaretur, ſed tanquam ad poſtremum exemplar permanantẽ, quod eſt Chriſtus; dicebat, quidem; *imitatores mei eſtote*, ſed addebat continuò, *Sicut & ego Chriſti*. Et quidem ſæpenumerò contingit, vt pictor cupiens ſolem depingere, cum eius radijs acies noſtra, ſenſusq; vincatur, & cum intueri nequeamus aduerſum; eius exemplum ab imagine, quam alius effinxit, mutuetur, qui acriores oculos habuerit, neque tamẽ negetur, Solem ab eo pingi. Eadem ratione, ſi ego Sanctum Franciſcum, qui fuit feliciſſimum Chriſti exemplum, vti deceret imitari velim,

non

non tamen negandum eſt, me in ſancto Franciſco, Chriſtum imitari. quare à primo ad poſtremum, concedam ego quidem, cultum, qui Deo adhibetur, non eſſe alteri adhibendum; (dummodo addatur declaratio,) eadem ſcilicet ratione, qua adhibetur Deo. Si verò Caluinus addat, imitationem, quæ Dei cultus eſt, Sanctis etiam ipſis à nobis dari; concedemus id quidem, ſed dicemus, alia ratione dari: quoniam in Deo bonitatem imitamur, quæ eſſentiæ eſt: & in Sanctis bonitatem impertitam: eodem modo, quo Paullus volebat, ſeipſum homines imitari, nec tamen idololatriam committebat. immò poſſem ego argumentum hinc mihi ſumere ad eas omnes, quæ nobis obijciuntur, idololatrias refellendas, quantum ad ſanctos attinet. cum enim dicant, nos idololatriam committere, cum adoramus, & inuocamus Sanctos; negarem ego diceremq́; æquè eſſe Dei cultum imitationem, atque adoratio ſit, & inuocatio; & nihilominus probatum fuiſſe iàm, nos idololatriam non cõmittere, cum Sanctos imitamur. ſed ſingillatim de vnaquaque dicamus: quo circa veniamus ad ſecundum cultum, nempe honoris, adorationisq́;. ſed hic Caluinus exclamat; quis ignorat, Deum dicere, *Gloriam meam nemini dabo*, Eccleſiam autem Romanam dare etiam Sanctis gloriam? quis neſcit Paullum dicere *Soli Deo honor*, & Romanam Eccleſiam, Sanctos quoque honore afficere? quem latet, dicere Chriſtum, *Dominum deum tuum adorabis*: & fateri Romanam Eccleſiam, ſe Sanctos adorare? quis eſt neſcius, Chriſtum de Deo loquentem dicere, *Illi ſoli ſeruies*: & Eccleſiam Romanam docere Sanctis etiam ſeruiendum eſſe? ita ne, Caluine? denique magni ponderis huiuſmodi res videntur eſſe. attamen illi eidem Deo, qui adorari vult ſolus, placet, vt Iacob ſepties adoret Eſau: vt Iudit adoret Holofernem: vt adoret Nabuchdonoſor Danielem: vtq́; Abraham, & Ioſue Angelos adorent. at nihilominus ille idem Deus, qui ſolus vult honore

re affici, ſic præcipit in Decalogo, *honora parentes*. Et Paullus ille, qui vult, ſoli ſeruiri Deo, Epheſijs ſcribens, dicit, *Serui, obedite dominis veſtris*. & idem Paullus, (quod cuiuis patet,) qui ad Timotheum ſcribens, dixit, *Soli Deo honor, & gloria*, cum ad Romanos ſcriberet, dixit etiam, *gloria, & honor omni operanti bonum*. Ad hæc quid dices, Caluine? æquum ne cenſebis, Paullũ palinodiam canere, negareq́; modo, quod paullo ante affirmauit? de Deo ipſo autem quid dicendum putabis? ipſum ſibi aduerſari? Cum igitur, auditores, quandoque Deus, velit ſolus adorari, quandoque autem, vt alij adorentur, permittat; neceſſariò fatendum eſt, duplicem eſſe adorationem. alteram, quæ Dei vnius propria ſit; alteram, quæ ſanctis tribui, abſque crimine idololatriæ poſſit. ita omnino res ſe habet. Sunt enim duæ adorationes, duobus verbis Græcis diſtinctæ, quibus iàm vtimur pro Latinis noſtris, Latriæ ſcilicet, & Duliæ: quæ verba Caluinum ita fefellerunt, vt is longè aberraret à ſcopo. dicit .n. lib. pri. Sectio. 2. cap. 12. verborum horum proprietatem eſſe, vt Latria cultum ſignificet, & Dulia ſeruitutem: quod falſum eſt prorſus. immò Suidas à Valla citatus, & Valla ipſe, & Viues in cap. primum libri x. de Ciuit. Dei, locis ab ipſa vſque Xenophõtis Cyropedia petitis, docent, idipſum quod etiam in ſcripturis manifeſtum eſt; proprie hæc duo verba eſſe ſynonyma, neque inter ſe ſignificatione differre. Sed nos, neque tamen nos, ò Caluine, verum, vt Auguſtinus ait, maiores noſtri, quorum tu ſcripta videre noluiſti lib. 10. de Ciuit. Dei cap. pri. vt duas diuerſas rationes duarum noſtrarum adorationũ oſtenderent, hiſce duabus vocibus vſi ſunt. Et adorationem, quàm Deo exhibemus, vocarunt Latriam: quam verò exhibemus Sanctis, Duliam appellarunt. Vtcunque ſit; duobus igitur modis, duobusq́; generibus diuerſarum rationum nos adoramus. cum enim *ratione bonitatis* adoramus, quandoque adoramus eum, quem bonum

cenſe-

cenſemus bonitate eſſentiæ: quandoque eum, quem bonum cẽſemus bonitate impertita. cum adoramus *ratione dominij*, modò adoramus eum, qui ſupremus dominus noſter eſt, & à nemine pendens: modò eum, qui poteſtatem quidem in nos habet, ſed ab alio pendentem. cum verò adoramus *ratione beneficentiæ*, interdum adoramus hunc tanquam beneficia tribuentem: interdum illum, tanquam beneficia nobis impetrantem. Sed rationem bonitatis imitationi, & rationem beneficentiæ inuocationi relinquamus. accipientes autem pro honore, & adoratione, rationem ſuperioris gradus, & dominij; dicimus, poſſe me honorem alicui tribuere, vel vti gradu, & dignitate ſuperiori, ſed qui tamen altero ſit inferior, vel adeò ſuperiori, vt omnes cæteri, inferiores illo ſint. Exempli gratia. Ego eum honoro, qui ciuitati meæ præeſt pro rege; & regem ipſum honoro: vtrũque autem vti gradu, & dignitate. me ipſo ſuperiorem: ſed eũ, qui pro rege eſt ſuperiorem quidem mihi, ſed inferiorem rege: regem verò, quo inferiores omnes ſunt, & ei parent. Similiter in Eccleſia Romana contingit. nàm Sanctos adoramus, vti nobis ſuperiores, ſed quibus alius ſit ſuperior; & hæc eſt Duliæ ratio: & adoramus Deum, vti ſuperiorem omnibus, & qui ſuperiorẽ habeat neminem: & hæc eſt ratio Latriæ. itaque ſicut in imitatione non ſum idololatra; quoniam cum imitor Deum, imitor propter bonitatem eſſentiæ; & cum Sanctos imitor propter bonitatem impertitam; ita in adoratione minimè idololatra ſum; quia Deum adoro propter dominium ſupremum, quod à nemine pendet, & Sanctum adoro propter dominium quidẽ ſed quod Deo ſubiectum eſt, & ab ipſo pendet. At diſtinctiones huiuſmodi, (Caluinus ait,) quomodo artifex ille percipiet, aut hæc muliercula? Et quomodo, (reſpondeo ego) percipiunt diſtinctionem imitationis? & tamen, vti Deum non lædunt, cum bonos imitantur; ita non offendunt, cum Sanctos adorãt.

Et

Et quamuis diſtinctiones perfectè non teneant, cùm tamen ab Eccleſia diſſentire conſilium non ſit, eidem conſentire ſemper cenſentur, quoniam illius vi ac virtute, actiones ſuas dirigunt. Si verò, (Caluinus ait,) diuerſum conſilium, diuerſaq; ratio eſt, Dei adorandi, & adorandi Sancti, quare actiones etiam noſtræ quæ cernuntur extrinſecus, inter ſe non differunt? cur genua flectimus, & caput aperimus, non minus coràm Sancto, quam coram Deo? Ego vero reſpondeo, cum diuerſa ratione, honore regem afficias, & eum qui pro rege eſt, cur diuerſo etiam modo, honorem vtrique non tribuis; ſed præſente rege, æque detegis caput, ac præſente regis Vicario? Sed actionum exteriorum paucitate fit, vt eiſdem vtamur, tàm erga Sanctos, quàm Deum, actionibus; quamuis earum diuerſa ſit ratio. Præterea, in Eccleſia Dei ſumma illa differentia inter adorationem Sancti, & Dei ſemper obſeruatur, quæ ad ſacrificium pertinet. quare dicitur certe, *Offerimus tibi, Sancte pater*. at ne in miſſis quidem, quæ in Sanctorũ honorẽ celebrantur, vnquam dicitur, *offerimus tibi, Sancte Petre*, vel, *Sancte Paulle*. Et tamen reluctatur adhuc Caluinus: negatq; alias honoris ſpecies eſſe prçter duas. alteram, quæ honor ciuilis; alteram, quæ honor religioſus appellatur. ciuilis, quo viuos homines, vel potentes, vel virtute præditos adoramus: religioſus, quo adoramus Deum; vt non Angelis, non Sanctis, qui ex vita in cœlum abierunt vllus relinquatur honoris locus: non ciuilis, quia nobiſcum ciuiliter non verſantur: neque religioſus, quia Deus non ſunt. qua ratione argumenta à me, & ab alijs facta de ijs adorationibus, quibus adorauit Iacob, Eſau, Iudit, Holofernem, & filij Iacob fratrem Ioſephum omnia corruunt: quoniam omnes fuerunt ſimplices adorationes ciuiles. itá ne, Caluine? ſic incautos homines deludis? ſed quare tertiam honoris ſpeciem neq; ciuilis, neq; diuini ſilentio prætermittis? Tot ſunt, auditores, honoris ſpecies, quot

ſunt (vt ait Thomas 2. 2. quęſt. 103. art. 3.) excellentiæ, quibus honoramur. atque illarum tres ſunt ſpecies; prima diuina, & infinita; altera mera humana: tertia partim humana, partim diuina. humana enim nec diuina, quoniã homines, vel Angeli ſunt, qui ea ornati ſunt: diuina non humana, quia non ex humanis, ſed ex diuinis bonis conſtat; quemadmodum ſunt gratiæ, & gloria Angelorum, ac Sanctorũ. haſce igitur treis excellentias metimur, atque ex cuiuſq; magnitudine, ponderéue cultum, & honorem tribuimus hominibus meris, ob ſimplices excellentias humanas, humanum item honorem, qui ciuilis appellatur, deferimus. Deo propter diuinã excellentiã honorẽ diuinum habemus, qui latria dicitur: Angelis, & Sanctis, qui in cœlo ſunt propter gratiam, & gloriam, qua fruuntur (quæ quidem excellentiæ humanis antecellunt) honorem adhibemus, minoré diuino, ſed humano maiorem: & hunc Duliam vocamus. Dulia Abraham, Lot, Ioſue, & alij angelos adorarunt: id enim apparet in Ioſue, qui dum putauit, Angelum hominem eſſe ſimplicem, more ciuili ſimpliciter honorauit. ſciebat item, non eſſe Deum, faſſus enim is erat, ſe eſſe Dei miniſtrum: ſed vbi Angelũ eſſe intellexit; continuò honorem neque ciuilem, neque diuinum animo concipiens, ſed medium, *Cecidit pronus in terram*. mortuorum animas, honore afficimus neque ciuili, neque diuino: & tamen Samuelis animã adorat Saul: igitur tertia honoris ſpecie, quam Duliam appellauimus. cum igitur diuerſæ ſint adorationum rationes; idololatriam non committimus, Sanctum adorantes; quia Sanctũ nõ eadem adoramus ratione, qua Deum. *nimis honorati ſunt amici tui Deus*, dicit Dauid. *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eũ pater meus, qui eſt in cœlis*, ait Chriſtus. *mirabilis Deus in ſanctis ſuis*, habet Pſalmus. *Laudemus viros glorioſos*, habet Eccleſiaſt. *Athanaſium laudans, Deum Laudo*, dicit Gregorius Naziãzenus. *Qui honorat Sanctum, Deum honorat*, dicit Epiphanius. *Honos erga*

ga

ga bonos conſeruos collatus, beneuolentiæ ſignificationem erga communem dominum habet, dicit Baſilius, & refert Ioãnes Damaſcenus, & ſecunda Synodus Nicæna: præter ſexcenta alia & patrum, & ſcripturæ teſtimonia: & præter morem Eccleſiæ, iã ab ipſo vſq; Chriſto ſeruatum. Quare, cum duo cultus, qui Deo adhibentur, imitatio ſcilicet, & adoratio, adhiberi & Sanctis poſſint, neq; tamen offendatur Deus; cur eiſdem inuocationem quoque nõ tribuimus? ſed apertè loquamur. cognouimus iam quàm Deo faciamus iniuriam, vt iſti affirmant, cũ Sanctos imitamur, & adoramus: nunc item cum eoſdem inuocamus, rogamusq́; vt à Deo nobis auxilium, vel gratiam impetrent, quamnam, quæſo, iniuriam Deo facimus? quam verò? reſpondent, omnium maximam. nam iſtorum iudicio, Sanctorũ auxilium imploramus, non alia de cauſſa, niſi quia putamus, nõ poſſe Deum omnia cõplecti; neque omnia hominũ negocia cognoſcere. atque vti princeps, qui late dominetur, atque intereſſe vbique nõ poſſit, neque eorum omnium per ſe ſolum habere notitiam, quæ gerũtur, miniſtros pluribus locis conſtituit, qui audiant, cognoſcant, referãt; ita Deum, quia non ſit idoneus ad intelligenda, & prouidenda omnia, permittere, vt ad Sanctos, tanquam ad miniſtros ſuos confugiamus. ò calumniam nõ ferendam! Ecquis vnquam audiuit hoc modo doceri, quis huiuſmodi diſciplinam tradi? quis eam ex noſtris ſuggeſtis ſuadere conatus eſt? quibus in ſcholis noſtris tradita, vel quo noſtro libro conſcripta reperitur? noſtri tandẽ vos miſereat, ò decepti. ſiquidem, quàm male accipiamur à deceptoribus veſtris, iàm ſatis liquet. Ergo nos à Sanctis opem petimus, quaſi Dei virtuti, potẽriæq́; diffidamus? quid ſceleſtius? quid peius? immò non ſolum Sancti patres noſtri, ſed ẽt ijdem ſcholaſtici patres, qui hæreticis odioſiſſimi ſunt, (neque iniuria: nam frœnum iſtorũ ſunt) grauiſſimè, & copioſiſſimè, de infinitate, immenſitateq́; Dei loquuntur. Et niſi id facerent, deterio-

res ipſis philoſophis eſſent: inter quos tametſi controuerſia eſt in ſtatuendo principio; conuenit tamen inter omnes, vt infinitum ſtatuatur. *Cælum, & terram ego impleo. ſi aſcendero in cælum tu illic es. ſi deſcendero in infernum ades. ſpiritus domini repleuit orbem terrarum*. hos, & ſexcentos huiuſmodi locos cur ſemper in ore habemus, niſi vt infinitam Dei capacitatem extollamus? quæ autem vera cauſſa ſit, cur Sanctos inuocemus paullo poſt aperiemus. ſed interim ò Caluiniſtæ, quæro ego, an preces, voce factas, probetis: & an ore, verbisq; beneficium vnquam à Deo petatis: & ſcio, petere vos. quæro præterea, an vnquam miſeriarum veſtrarum apud Deum, deprecatorem paretis vobis Chriſtum Ieſum, etiam vti hominem: & parare vos non ignoro. quæro denique, an ſæpe precibus veſtris ſtudeatis adiungi preces aliorum hominum, qui viui ſunt, vt ea, quæ petitis à Deo, facilius impetretis: & ſtudere certe ſcio. tùm dico, vel à nobis iniuriam Deo fieri nullam, neque eum minus idoneum cenſeri, cùm Sanctos, qui in cælo ſunt, inuocamus; vel vos ipſos eadem, quæ nobis obijcitis, de Deo ſentire. cum enim argumentamini hoc modo, quæcunque nobis ſunt opus, Deo notiſſima ſunt; igitur, qui Sanctos, cælo fruentes, ſibi precatores quærit, Deo iniuriam facit, eumq; non capacem putat, ego ſic reſpondeo, eidem Deo apertæ ſunt cogitationes noſtræ, igitur, qui verbis eas exponit, iniquè in Deum agit. idem Deus poteſt ſponte ſua beneficia tribuere; igitur, qui precatorem ſibi depoſcit Chriſtum, vti hominem inique agit. idem Deus denique interprete aliquo non opus habet: igitur, qui viuos homines precatores ſibi adiungit, Deo iniurius eſt. Et nihilominus vos ipſi, & precatores, homines viuos vobis quæritis; & ad Chriſtú confugitis, & verbis, voceq; precamini. quid ad hæc dicetis? non hæc eò fieri à vobis, quòd male de capacitate Dei ſentiatis! cur igitur, illa facere nos exiſtimatis, quia Dei capacitati diffidamus?

mus? Dicitis, voce verbiſq; precari vos;non quòd Deo ſine verbis veſtris intimi ſenſus animorum veſtrorum non pateant; ſed ꝙ ei veſtri cordis demiſſiones peigratæ ſint: velitq; Deus, quæ vobis opus ſunt, à vobis peti. Dicitis item, depoſcere vos precatorem vobis Chriſtum; quoniam etſi poteſt Deus gratificari, & beneficijs vos afficere per ſeipſum; velle tamen,honorem illũ, filio ſuo tribui. Poſtremò dicitis,viuorum hominum preces addere vos precibus veſtris; quoniam notum quidem Deo ſit,quibus egeatis,ſed placere ei, vt *multiplicatis intercesſoribus* petatis. At eodem modo nos dicimus, non iccirco peti à nobis precatores Sanctos, quòd Dei capacitati diffidamus; (qua in re iniquè nimis accuſamur,) ſed quòd (& hæ veræ ſunt cauſſæ,) Deus, qui per ſe optimè nouit quicquid opus ſit nobis; vult tamen, Sanctos ſuos honore illo decorari,& multiplicatis precationibus nos ea petere, quibus indigemus. ſumma eſt,vel nos ex hoc capite, Deo iniurios non eſſe; vel vos ipſos triplici modo eandem illi iniuriam facere. quòd ſi vos ad ea quæ primò propoſuiſtis, reuertimini; ſcilicet, cum idololatram eſſe, qui cultum, Deo debitum alteri tribuit; rurſus & nos dicimus, fateri nos id quidem; cum eodem modo alteri tribuitur, quo ipſi Deo tribuendus eſt; ſed cum nos inuocamus Deum,& inuocamus Sanctos, longe alia, diuerſaq; ratione id facimus. Deũ enim inuocamus, vti auctorem, & datorem gratiæ; Sanctos autem, vti pro gratia noſtros apud Deum precatores. quod quidem omnibus liquet. Deo enim dicimus, *da, tribue, concede:* Sanctis verò nunquam dicimus, niſi, *Orate, & intercedite*. atque in ſupplicationibus, quæ Litaniæ dicuntur; ſimulac diximus, *Pater miſerere, Filij miſerere, Spiritus miſerere*; continuò formam immutamus; & incipimus, vel ipſi Dei genitrici dicere, *Sancta Maria, ora pro nobis*. nam tametſi verborum, dicendiq; modum nonnunquam variamus, ſemper tamen eundem ſenſum retinemus. Mariæ

virgini dicimus, *Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege*: apoſtolis verò, *quorum præcepto ſubditur ſalus, & languor omnium ſanate ægros moribus, nos reddentes virtutibus*. ſed ſemper intelligitur, impetrate nobis defenſionem, patrocinium, & ſalutem. eodem modo, quo Paullus ad Roma. cap. 11. dixit *vt ſaluos facerem aliquos ex illis*. & prima ad Corinth. cap. 9. *vt omnes facerem ſaluos*. nec tamen eius propoſitum eſt, vt ipſemet ſaluos faciat, tanquam Deus; ſed vt precibus, prędicatione ue ipſis ſalutem impetret, vel acquirat. Eodem modo ad ea reſpondemus, quæ affert Caluinus è Concilio Carthaginienſi: quo (vt ait ipſe,) *vetitum fuit, ne ad altare directa fieret precatio ad Sanctos*. agendæ ſunt Deo gratiæ, & laudes tribuendæ, cum ſemel tandem Caluinus Concilia probet, pro ſua cauſſa eorum locos afferens. ſed plura conuocata fuere Carthagine Concilia: & Caluinus Concilij Carthaginienſis mentionem facit, neque de quo loquatur, explicat. quod quidem fortaſſe factum eſt Spiritus Sancti prouidentia, vt, cum nobis Catholicis euoluenda eſſent omnia Conciliorum illorum volumina, quò locum, à Caluino allatum de uetita ſanctorum inuocatione, reperiremus; plura nobis ſe ſe offerrent, quæ ipſe noluiſſet. Ego quidem à primo Concilio vſque ad tertium diligenter legi omnia, & locum vidi, quem deprauat, & quo abutitur Caluinus: ſed multa etiam alia reperi, quæ ipſi, quàm grata futura ſint, non ſatis ſcio. Primum enim Concilium Carthaginienſe Syluestro ſummo Pontif. habet hæc verba, Can. 2. *Martyrum dignitatem nemo prophanus infamet*. ſecundo Concilio ſub Siricio Papa Can. 2. Sacerdotibus præcipitur, vt caſti ſint. Canone tertio Concilij eiuſdem laudatur Chriſma. octauo, & nono Canone eiuſdem miſſa probatur, & excommunicationum vſus. Concilio tertio Can. 2. conſtituitur, vt Concilia ab Epiſcopis tantummodo conuocentur. & 29. Sacerdotibus cælebs vita præcipitur, & huiuſmodi multa.

ta. Sed locus, quem Caluinus affert, legitur Concilio tertio Carthagin. Can. 23. quo præcipitur, vt *cum ad altare aſsiſtitur, ſemper ad patrem dirigatur oratio*. ego verò eum locum non ſolùm non reijcio, ſed etiam libentiſſimè recipio. eò magis, quòd de altari loquitur: quare concludo, ſacrificium miſſæ Caluino probari. quòd autem pertinet ad præcipuam de ſanctorum inuocatione materiam, bone Deus, quàm paruo negotio duobus modis reſpondemus? ſcilicet, vel loquentem de altari intelligere de ijs precibus, quibus ſacrificium offerimus; & veriſſimum eſt, vti dicebamus, precibus illis nunquã poſſe dicere nos, *offerimus tibi Sancte Petre*; ſed ſemper dicendũ eſſe, *Offerimus tibi ſancte Pater*; vel loqui de petenda ab eo gratia, cuius eſt concedere; non ab eo, qui precator eſt: & hoc ſenſu veriſſimũ eſt, gratiã à Deo ſemper, nõ à Sanctis, eſſe petendam. Quare totã propemodum explicauimus materiam. nam idololatra ille eſt, qui eundem cultum, & eodem modo Sanctis adhibet, quo ipſi Deo adhibendus eſt. at nos, licet triplicem Dei cultum Sanctis etiam tribuamus; ſemper tamen alia, diuerſaq; ratione tribuimus. nam quantum ad imitationem attinet, in Deo imitamur bonitatem eſſentiæ; & in Sanctis, bonitatem impertitam. quòd ad adorationem ſpectat; adoramus in Deo dominium ſupremum, & à nemine, quàm à ſeipſo pendens: at in Sanctis, dominium à Deo pendẽs. quòd verò pertinet ad inuocationem, Deum inuocamus, vt gratiam concedat; Sanctos autem, quò eam nobis impetrent, vt Deum precentur. itaque in Sanctorum materia, ò Caluiniſtæ, neque Deo facimus iniuriam, neque idololatræ ſumus. quid dicitis? ſupereſtne vobis, alia calumnia, quæ hùc pertineat? auditores, adhuc ſanè ſupereſt vna: ſed reſpiremus.

AGe, concedamus, Caluinus ait, non fieri Deo iniuriam, cum Sanctos inuocamus; quoniam à Deo beneficium petitur; & à Sancto petitur, vt precibus ſuis Deum exoret; negare ſaltem omnino non poterunt, quin iniquè agant in Chriſtum. Si enim deprecatorem aliquem apud Deum quærunt, vt gratiam obtineant, an ignorant, *Vnum eſſe mediatorem Dei, & hominum Chriſtum Ieſum?* Chriſtum à patre impetrare poſſe, quæ velit, vel credunt, vel non credunt. Si non credunt, ecce quàm inſignem ei iniuriam faciunt: ſi credunt, quid opus eſt, tot Sanctos adiutores ei quærere? optimè verò. antea iniurioſi eramus in Deum; nunc in Chriſtum ſumus. ſed meminiſtiſné, quoties affirmarunt, Chriſti ſanguinem à nobis paruifieri? & tamen manifeſtò cognouiſtis, noſtras ſpes omnes nulla alia in re, quàm in Chriſti ſanguine, eſſe collocatas; quamuis, vt eum nobis applicemus, ijs medijs, & modis vtamur, quos ipſe Chriſtus inſtituit. priori ſimilis erit hæc calumnia. nam Caluinus ſectio. 27. cap. 20. lib. tertio Inſtitutio. dicit, nos in Chriſto mediatore ſpē non habere, idq́; oriri *ex diffidentia: quia vel Chriſto deprecatore contenti non ſumus, vel eum omnino ſpoliamus hac laude:* ſimili ratione, qua impetraturi aliquid à Principe, amicum illi precatorē adhibuimus: tùm addimus alterum: vel quia priori diffidimus, vel quia de petitis, per eum obtinendis non curamus. at nonné illi ſumus nos, qui aſſerimus, Chriſtum Ieſum eſſe primam, & vnicam viam, primum, & vnicum acceſſum ad æternum patrem; & longè falli quiſquis ſe aliquid conſecuturū ſperat, niſi ſit mediator Chriſtus? nonne apertè profitemur, *Aduocatum habere nos apud Patrem Ieſum Chriſtum;* & *ipſum propitiationem eſſe pro peccatis noſtris?* nonné ſcimus nos, in nomine ipſius peti oportere, *vt accipiamus?* & *non eſſe aliud nomen*

ſub

ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri? nonne nos ipſi Chriſtum agnoſcimus, eſſe Sacerdotem illum, cui ſoli, impoſitis humero tribuum nominibus, ingredi in tabernaculú licet? nonne denique nos adeò certum, & exploratú habemus, *Vnum eſſe mediatorem Dei, & hominum Ieſum Chriſtum*, vt ſine ipſo mediatore gratiam aliquam conſequi nequeamus? quo circa nullum vnquam precationis genus concludimus, niſi his verbis, *Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum*: & quæ ſequuntur. quid igitur ait Caluinus? qua ratione fieri poteſt, vt nos, omni carentes culpa, tàm falſo inſimulet? ſed nonne illud addit; in noſtris ſuplicationibus, & hymnis omnibus nullam à nobis de Chriſto fieri mentionem? cum tamen ſecundo ſuplicationum ipſarum loco Chriſtum appellemus, dicentes, *Chriſteeleyſon?* & paullo poſt, *fili redemptor mundi Deus miſerere nobis*. tùm à natali ipſius die initium facientes, *per natiuitatem, per aduentum*, & per alia omnia Sanctæ eius vitæ myſteria, vt nos audiat, ſuppliciter rogamus; vniuerſaſq; ſupplicationes concludimus, dicentes; *per Chriſtum dominum noſtrum.* præterea quòd ad hymnos attinet, quàm crebrò in ijs Chriſti nomen auditur? *Chriſte Sanctorum decus Angelorum. Tibi Chriſte ſplendor patris. Teq; ſecuti ſunt, rex Chriſte bone, cælitus. Tu vincis in martyribus*, & ſexcenta alia. benè verò habet: ſi Caluino permiſſum eſt, vt quod in buccam venerit, de nobis dicat; voſq; ſitis adeò creduli, vt continuò omnem ei fidem adhibendam putetis. Ecce quanta comminiſcitur: prorſus à noſtris non ſolùm dictis, verùm etiam cogitationibus aliena. ſed ea ferre nos Dei amor cogit: hæc enim ſuis promiſit Chriſtus euentura. Vnus denique (Caluinus ait,) *Eſt mediator Dei, & hominũ Chriſtus Ieſus*: & huic fundamento innititur: quæritq; à me, ſi eſt vnus tantùm mediator, cur tot alios vobis depoſcitis? at ego reſpondeo, Si Sathan, cum in deſerto locum illum Pſalmorum attulit domi-

no,

rio, *Angelis ſuis mandauit de te*, quæ ſequebantur, verba non tacuiſſet; addidiſſet etiam, *ſuper aſpidem, & Baſilicum ambulabis, & conculcabis*; quod ipſi aduerſabatur. Si Caluinus, poſtquàm locum illum attulit ad Timoth. pri. cap. 2. *Vnus eſt mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus*, perſecutus fuiſſet, & cũ Paullo addidiſſet, *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*; facilè fuiſſet his rudioribus intelligere, locum illum nihil nobis aduerſari, quia loquitur non *de medietatore per interceſſionem, ſed de mediatore per redemptionem*. atque in hanc ſententiam, libenter imus, vnum tantùm fuiſſe mediatorem, qui ſimul duas naturas coniunxit, tantùm inter ſe diſtantes, quantùm inter diuinam, & humanam naturam diſtat: Vnum fuiſſe mediatorem, qui inter Deum, & hominem amicitiam conſtituit: Vnũ fuiſſe, qui nos æterno patri reconciliauit: Vnum qui pro nobis ſatisfecit. dicamus cum Paullo, vnum fuiſſe mediatorem, *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. quòd autem vnus tantùm ſit mediator, *qui intercedat pro nobis*, id verò nuſquam à Paullo dictum eſt, neque dici potuit. Vnus item tantùmmodo Saluator eſt *per redemptionem*. attamen plures ſaluatores reperiri per *interceſſionem* liquidò conſtat. vt Iudic. 3. *Suſcitauit eis Saluatorem Othonielem*. vt numer. 9. *dediſti eis Saluatores, qui ſaluarent eos:* & alibi paſſim. itaque *per redemptionem*, verum eſt illud Paulli, *Vnus eſt mediator:* ſed *per interceſſionem* etiã Moyſes dicebat, Deuteronom. 5. *Ego ſequeſter, & medius fui inter Deum, & vos.* neque cuiquam dubium eſt, quin tot poſſint in hanc ſententiam mediatores appellari, quot ſeu viui, ſeu mortui Deum pro nobis deprecantur. Sed ne vos quidem, Caluiniſtæ, qui dicitis, *Vnum eſſe mediatorem*, deſinitis vobis quærere mediatores viuos. verùm de his poſtea. interim ſatis loco Paulli feciſſe mihi videor, cum dixi, loqui illum de mediatore *per redemptionem, non per interceſſionem*. Cæterùm, cum quærunt,

runt, quare idem deprecandi munus & Chriſto, & Sanctis tribuimus; dico primum, idololatriam non committi, ſi munus, quod eſt Chriſti, vti hominis, alteri homini tribuatur: quod vel ipſi pueri optimè intelligunt. deinde nego, eadem ratione, eodemué modo habere nos deprecatorem Chriſtum, & Sanctos: tùm quia Sancti precantur quidem, ſed non largiuntur; Chriſtus autem, vti homo, & Deus, ſimul & precatur, & largitur: tum etiam, (attendite diligenter auditores, nam hoc maximè animaduertendum eſt,) quia cum Chriſtus Patrem orat, preces ipſius meritis nullius, niſi eius ipſius, adhærent; Sanctis autem, Deum orantibus, finis precationum ſemper adhæret Chriſti illius meritis, à quo Sancti ſuorum etiam ipſorum meritorum, vim, atque virtutem accipiunt. Chriſtus orationem ſuam non concludit, *Per Sanctum Petrum*. Petrus autem concludit, *Per Chriſtum Dominum noſtrum*: quare omnia optimè, præclareq; diſtinguuntur. conſtat enim diſtare inter imitationem bonitatis eſſentiæ, & imitationem bonitatis impertitæ. item differt adoratio ſupremi dominij, quod à nemine pendet, ab adoratione dominij inferioris, quod pendet ab alio. & aliud eſt, cum inuocamus eum, qui tribuit, & donat; aliud, cùm eum inuocamus, qui mediator eſt. differt etiam mediator redemptionis à mediatore deprecationis. denique magna eſt differentia inter illius deprecationem, cuius finis alienis meritis adiungitur, & illius, qui nemini finem eius, niſi ſibi ipſi, adiungit. vbi igitur veritas eſt, ibi nihil obſcurum, nihil confuſum: ſed clara, diſtinctaq; ſunt omnia. cùm ego, vt beneficium aliquod à principe obtineam, precatorem mihi adhibeo filium eius; licet alij viri primarij, ob maxima filij merita, idem ab eius patre beneficiú petant, merita propria non alia ratione agnoſcentes, niſi quia meritis filij eiuſdem adhæreant; ſine dubio magnitudini primi deprecatoris nihil detrahitur, immò potius additur. nam ob fauo-

rem

rem ipſius plures honorantur. neque cenſendum eſt, eos qui ſecundò precati ſunt, ea ratione impulſos, quia ego primo precatori diffiderem; ſed vt tanto libentius pater ea, quæ petebantur, concederet, quanto meritis filij plurium preces accederent. Sed ego volo nunc apertius explicare, quod paullo ante tantùmmodo ſignificaui. dicit enim Caluinus, cum deprecatores nobis quærimus, videri nos precibus Chriſti diffidere. quod ſi verum eſt; quæro ego, qua ratione ipſe, & ſectatores illius omnes permittant, vt vnicuique liceat precatoribus vti eis, qui viui ſunt; &, dum hac vita fruimur, poſſe alium pro alio deprecari? argumentum ipſius nonne tàm pertinet ad viuos, quàm ad mortuos? certè. nàm & ego dicam, ſi Chriſto confidis, credisq́; precationem eius tantùm ſufficere; cur ei hoſce viuos ſocios adiungis? Hæretici negare nunquam auſi ſunt, auditores, quin viuorũ, alius pro alio precari poſſit; & quin orare poſſimus homines viuos, vt pro nobis Deum deprecentur. hoc enim communi omnium iudicio in ſacris ſcripturis nimis manifeſtum eſt. Cum Eliphas Themanites ſuaſit Iob, vt deprecatores ſibi quæreret; non ſpreuit Iob Eliphæ ſuaſionem. Iob 5. in eodem libro cap. 42. hortatur Deus, vt alij deprecatore Iob vtantur. *Ite ad ſeruũ meum Iob, & offeret holocauſtum pro vobis*. & Apocalypſ. 6. dicitur, *Quatuor animalia, & vigintiquatuor ſeniores cecidiſſe coram agno, habentes ſingulos citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*. Et 8. Angelus dabat *de orationibus Sanctorum omnium*. Legitur Regũ 3. cap. 17. *Orate pro inuicem*. Moyſes pro populo orauit: Exod. 17. & 31. Cananæa pro filia apud Matth. 15. Centurio pro puero apud Luc. 72. tota Eccleſia pro Petro, in carcerem coniecto, Act. 12. Paullus pro ijs, qui ſecum eadem naui vehebantur Act. 27. *Quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem; & ſtaret oppoſitus contra me, ne diſſiparem eam, & non inueni*: dicit Deus Ezechielis 22. Et

Paullus

Paullus ad Roman. 15. *Obſecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum*. prætereà hortatur nos Chriſtus, vt viuos nobis quæramus precatores, apud Lucam 16. dicens, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui recipiant vos in æterna tabernacula*. cum igitur res tàm aperta ſit, tàm clara; non mirum eſt, ſi hæretici, præcipueq; Caluinus, auſi non ſunt, deprecationem negare, quæ à viuis adhibetur. Veruntamen, deprecationem Sanctorum, cælo fruentium, negant: Et etiam, quod hùc pertinet, te conſequar, ò inſolens, celerius opinione tua. Sed interim, Tu affirmas, ab eo, qui precationi Chriſti, deprecatores addat, indicari, ſe Chriſto diffidere. quare ergo addis tu? quod ad hoc caput attinet, quid intereſt, viuiné ſint, an mortui deprecatores, dum ij Chriſti precationi adiungãtur? ſi Chriſtus deprecatores non recipit; certè neque viui, neque mortui ei addendi ſunt. ſin recipit; differentiam affer, cedo rationem, qua mortui tantùm, non autem viui, Chriſtum eſſe minus idoneum arguere videantur. mihi credite, Catholici auditores, nodum hunc Caluinus nunquam expediet. nàm ſi addendi Chriſto nõ ſunt precatores, ne videamur eius virtuti diffidere; certè huiuſmodi diffidentia, additis, tàm viuis, quàm mortuis, indicaretur. ſed non inficiatur Caluinus, neque inficiari poteſt, vti iam dictum eſt, curandum nobis, vt integri, pijq; viri, viuentes, precibus ſuis nos Deo concilient. Quò circa, materiam hanc colligentes, atque ad mortuos redigentes, quærimus, ſi viui pro nobis orant, hoc vnum ſcire cupimus, quare itidem non orent & mortui. poſſem dicere, Sanctos nunquam interiſſe: immò tunc mori deſinere, cum finem habere eorum vitam, putamus: & ſcriptura Sacra habet, *Deum Abraham, Deum Iſaac, & Deum Iacob non eſſe mortuorum Deum, ſed viuorum*. ſed à communi loquendi vſu non diſcedens, accipienſq; pro mortuis eos, qui ex hac vita migrarunt; ſi ſodalem aliquem Dominicanum, vel

Fran-

Franciſcanum orare poſſum, vt pro me Deum precetur; cur eoſdem, Dominicum, & Franciſcum rogare non poſſim, vt ij pro me Deum orent? ſi viui id faciunt; quare facere non poſſunt, & mortui? ſumma eſt, rem ad tria hæc capita redigi: ſi non orant; id accidere vel quia nequeant; vel quia neſciant; vel quia nolint. Et quidem, quòd poſſint, & velint, Caluinus ipſe dat manus. non ignorat enim, neque negare poteſt, magis poſſe mortuos, quàm viuos: quoniam dicere eos iam amplius pro ſeipſis non oporteat, *dimitte nobis debita noſtra*. & item magis velle, quoniam maiori charitate, eaq́; iàm firmata, præditi ſint. quòd verò ſciant, negat: hûcq́; omnes neruos intendit, omnem conatum adhibet. dicit enim non eſſe credendum, mortuos orare pro nobis, quoniam quibus egeamus, ſcire ipſi nequeant: neq; nos inire rationem poſſimus, qua certiores eos faciamus. quæ omnia ſale ſuo aſpergit: tamq́; modeſtus, ac lepidus eſt; vt quærat, quot pedum, aurium longitudo ſit ſanctis noſtris, vt audire nos poſſint. ò infamem! venuſtus verò cum Sanctis cauillandi modus. quidam item ex iſtis ſceleſtis, hoc ſcribere audet, glorioſiſſimam, puriſſimamq́; virginem Dei matrem non maiorẽ habere vim ad impetrandum precibus ſuis quicquã à Deo nobis, quàm turpiſſimam omnium meretricem, quæ proſtituta ſit. ò Deus! & huiuſmodi hominum portenta ſectatores habẽt? ſed iuſtum dolorem compeſcentes iſtorum argumenta videamus. Dicunt, Sanctos, qui in cœlo ſunt, res abſentium ſcire non poſſe. Sed quæſo vos, nonne legitur Regum 4. abſentem Eliſeum cognouiſſe, quæ Giezi ſeruus ipſius egiſſet? & item abſentem optimè retuliſſe, quæ geſta in conclaui Syriæ, & conſtituta fuiſſent? nonne habent Apoſtolorum Acta Petro abſenti Saffiræ, & Ananiæ fraudes notas fuiſſe? Ergo hi, alijq́;, nondum in gratia confirmati, res abſentium cognitas habuerunt: nunc in ea confirmati, earum neſcij ſunt? hoc eſſet plus tribuere viatori, quam

beato.

beato. ſed alia ſunt peiora. Cadauer Eliſei nonne futura prædixit? Ioſephi oſſa nonné vaticinata ſunt? ſine dubio. & animæ eorumdem res abſentium ignorabunt? hoc eſt minus beatorũ animæ tribuere, quàm cadaueri. ſunt item deteriora. Diues ille damnatus nonne malos mores, & impuram vitam fratrum abſentium vidit? id affirmauit ipſe Chriſtus: neque parabola, ſimilitudineué vſus eſt: nam nominibus proprijs aliquos appellauit: &, quamuis vſus fuiſſet; non tamen quicquam, quod fieri non poſſet, inſeruiſſet. qui igitur apud inferos ſunt damnati res abſentium norunt: qui in cœlo æterna vita perfruuntur, beati nō noſcent? acerbo nimis ò Caluiniſtæ odio in Sanctos æſtuatis. parum enim videtur vobis, quòd eos minoris putetis, quàm viatores, & quàm cadauera, qui minoris etiam æſtimatis damnatis, & prope dixerim, dæmonibus ipſis. Sed præter argumenta, quoniam quæritis, qua ratione poſſint beati ea ſcire, quæ apud nos geruntur; dico præterea duplici modo id poſſe contingere. altero, cum Angeli patefaciunt; (Deus enim multa, quæ hic fiũt, vult per Angelos beatis aperiri: neque hoc meum eſt inuentum, ſed dictum vel ab ipſo vetuſtiſſimo Dionyſio Areopagita: præterea cum multa ab Angelis nota fiant viatoribus, vt paſſim plurimis locis diuinæ literæ oſtendunt, ne minima quidem ratio afferri poteſt, quare ab eo honore, quem viatori tribuimus, beatum excludamus) altero modo, res abſentium cognoſcimus, cũ ea in Verbo conſpicimus. nam quemadmodum habens ego in manu ſpeculum, illudq́; nunc hoc, nunc illo modo vobis obijciens, facerem, vt vnuſquiſque veſtrum ea cerneret, quæ vellem; ſic (vt Gregorius, & omnes ſcholaſtici patres dicunt.) Deus voluntario ſuæ ipſius eſſentiæ ſpeculo res noſtras, dũ viuimus, oculis beatorum offert: atque ea ratione quæcunq; nobis opus ſint, ij facilè intelligunt: neque tàm longis ò Caluine, auribus egent, vt noſtras preces exaudiant. quare ſi nihil tibi ſuppetit amplius,
quod

quod afferas, cum tu ipſe eorum, qui adhuc viui ſunt, deprecationem concedas, & ego planè docuerim, Sanctos, iam ſempiterno æuo fruentes, longè amplius, quàm viuos & poſſe, & ſcire, & velle pro nobis deprecari; neceſſe eſt, velis, nolis, vel iſtucipſum affirmes; vel fatearis, à te negari temerè, & animi impetu potius, quàm ratione. ſed ecce ratio, quam ſemper afferre ſolet. Ego (Caluinus inquit,) ea de cauſſa, mortuorum deprecationem excludo, quoniam nullum eius exemplum, nullam doctrinam, in Verbo Dei reperio. quare (modeſtè verò, vt ſolet) quæro, *Quis Angelus aut Demon reuelauit*. doctrinam hanc de inuocatione Sanctorum. Sed quid Caluinus diceret, ſi reſpõderem ego, neque Angelos, neque Dæmones, ſed Deum ipſum id aperuiſſe in traditionibus Apoſtolicis, atque in ſuis Sacris Cõcilijs? quòd ſi obijceret, in his non loqui Deum; ego dicerem, hoc oſtio nullam patere amplius ad fugam viam; demonſtratũ enim apertiſſime iam fuiſſe, Verba eſſe Dei non minus certa, probataq́; quam ipſæ Scripturæ Sacræ. hoc profectò facere deberem. attamen, ò decepti, veſtri cauſſa, non iſtius diuinas literas afferre volo, atque oſtendere, in eis etiam inuocationem, & deprecationem Sanctorum, qui cæleſti vita potiuntur, expreſſam cerni. Iacob (hoc apertum eſt) Geneſ. 48. inuocans Deum, filijs ſuis per Sanctos mortuos, ideſt eorum merita repræſentans, dixit, *inuocetur ſuper eos nomen Abraham, Iſaac, & Iacob:* Exod. 33. Moyſes idem facit, dicens, *recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael*. Danielis 3. vnus ex tribus pueris eodem inuocat modo. *ne auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum*. Regum 4. cap. 20. Deus ipſe dicit, *Protegam vrbem iſtam propter me, & propter David ſeruum meum*. Et Pſalmo 131. quem Hebræi omnes à Salomone ſcriptum affirmant, Salomon dicit, *memento domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius*. quòd ſi quis obijciat, longè inter ſe differre

diferre, cum quis orans per merita Sancti alicuius, precatur : & cum ſanctus ipſe precatur pro nobis, idemq́; ipſe Sanctus ſit deprecaror, & ſequeſter; reſpondeo, poſſe à vobis, qui iudicio prędiri eſtis, facilè inrelligi, abſurda propè omnia, quæ Caluinus attulit, eôdem recaſura, cum rogamus per merita Sanctorum, perinde ac, ſi pro nobis Sancti precarentur. Attamen, an etiam in Sacris literis, loci reperiantur de ipſa deprecatiõne, deq́; Sãctis in cœlum receptis, attendite. nam Baruch tertio oratur Deus, vt Sanctorum orationes exaudiat. arque illud pulchrè ſanè: nam quaſi cum Caluino diſputetur, apertè additur, intelligi de Sanctis mortuis, non de viuis; *Domine omnipotens, Deus Iſrael, audi nunc orationem mortuorum Iſrael*. quid ad hæc reſpondere poteſtis? nihil prorſus, niſi Caluinum imitemini; qui, cum nihil habet, quo locum aliquem redarguat, totum librum excludit. ſed iam hæ præcluſæ ſunt, fores. nam & oſtendimus Eccleſiæ eſſe de libris decernere, qui Canonici ſinr; & docuimus, hunc poriſſimum Baruch eſſe receprum. quòd ſi locus hic ponderis nihil habeat; quid reſponderi poterit ad illum tàm clarum Machabæorum 2. cap. 15. quo videt Iudas Machabæus, Oniam, & Hieremiam mortuos orare pro populo? huius etiam librum negabit, cum reſpondere neſciat. Ohe moleſtus eſt nimis. ſi perger hoc modo negare, breui libris omnibus abrogabirur fides. ſed tenetisnè memoria, quot rationibus iam oſtendimus, librum hunc probatum, & receptùm eſſe? Præterea, quod nam Concilium afferebat paullo ante Caluinus in hanc eandem ſententiam? Carthaginienſe tertium. Canon. 27. & ego quoq; idẽ affero vobis Concilium, Canon. 47. quo libros Machabæorũ, tanquam probatiſſimos, recipit. quare ſi Concilium confirmatum non eſt ab ijs, qui auctoritatem habebanr; cur eo vſus eſt Caluinus? ſin contra; cur eo vti me prohibet? ſed eſt maximè confirmatum : idq́; declarat Machabæorum libros, probatos, &

receptos eſſe,in quibus de Sanctorum deprecatione apertiſſimè conſtat. Deus ipſe pariter dicit apud Hieremiam Prophetam, (quem Caluinum decebit probare tandem, atque recipere,) ſe populo tàm iratum eſſe, vt ne Moyſis quidem, & Samuelis precibus, qui iam tanto ante tempore interierant, mutaturus ſit ſententiam, *ſi ſteterint Samuel, & Moyſes coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. ſi ſteterint*, ad futurum pertinet. ſi orabunt, non tamen exorabunt: qui quidem iā mortui ſunt. neque credendum eſt, Deum conditionem eiuſmodi afferre, quæ perfici omnino non poſſit. Dicit item ipſe Chriſtus, beatos fore ſimiles Angelis: apud Lucam 16. *Eritis ſicut Angeli.* atque ij, vt apparet ſexcentis ſcripturæ locis, pro nobis precantur. quare vel Chriſtus non eſt verax; vel Scripturæ mentiuntur; vel orāt beati pro nobis. atq; ex hac veriſſima, maximeq́; ſolida doctrina, quam è tot diuinarum literarū locis collegimus, intelligat nunc Caluinus, *Quis angelus aut, Dæmon reuelauit nobis.* rationē præterea vobis affero, meo iudicio firmiſſimam. nā inter Eccleſiam militantem, & triumphantem maximam eſſe cōmunionem, nemini dubium eſt. immo ſancti, qui in cœlo ſunt, & nos vnum, & idem corpus ſumus; vnus, & idem populus, vna, & eadem reſpublica, vna, & eadem Eccleſia. *Acceſſiſti ad Syon montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem cæleſtem*, inquit Paullus ad Hebræos cap. 12. vt oſtenderet hanc communionē, quam habemus cum triumphante Eccleſia. matrem noſtram appellat idem Hieruſalem, quæ eſt in cœlis ad Galath. cap. 4. noſq́ue, & ſanctos ſimul vnicum eſſe corpus Chriſti, qui eſt caput corporis affirmat. ſed quàm præclarè Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 9. quis communionem vidit vnquam, qua, communicatum alterum alteri non prodeſſet? quis rempublicam in qua ciues, aut corpus, cuius membra ſibi inuicem non deſeruirent? Ecce ſanctos, & nos eiuſdem corporis membra. qua
igitur

igitur ratione fieri poteſt, vt communione inter nos iuncti nō ſimus, aut ab ipſis beneficium aliquod non conſequamur? ſed quomodo, niſi ij ſalutem noſtram à Deo precibus ſuis implorent Sancti hoc vno, vt noſtri meminerint, Deumque nobis precando concilient, prodeſſe nobis poſſunt? tu Caluine, id tollis. igitur vtramque Eccleſiam diſſocias, rempublicā deſtruis, corpus Chriſti myſticum dilanias. ſed alia audite, non minus abſurda, non minus falſa. ò mendacem, & oris duri hominem! quem non pudeat aſſerere, morem hunc inuocandorum Sanctorum in Eccleſia Dei non antea, quàm à Gregorij temporibus, initium ſumpſiſſe. quod quidem ſi verum eſſet; vetuſtiorem tamen eum putarem, qui nongentis abhinc annis incepit, ijs, qui biduo ante Geneuæ nati ſunt. ſed præter hæc inde diſceris hominis ingenium noſſe. affirmat enim ante Gregorij tempora nihil de inuocatione Sanctorum memoriæ proditū reperiri: Gregorius autē floruit anno 590. ſed Auguſtinus floruit anno 400. qui Homilia in Laurentium dixit, *Oremus Diuum Laurentium fratres*. ſed anno 380. viuebat Ambroſius, qui libro de Viduis dixit, *Obſecrandi ſunt angeli, obſecrandi ſunt martyres*. anno item 370. viuebat Hieronymus, qui Epiſtola in mortem Paullæ dicit, *Vale Paulla, & tui cultoru ſenectutem orationibus iuua*. Et Baſilius viuebat anno 360. qui Homil. in quadraginta martyres dicit: *Orandi ſunt Sancti*. & eodem tempore viuebat Gregorius Nazianzenus, qui in oratione funebri in Baſilium dixit, *Tu Baſili, tuis nos ſiſte precibus*. Et anno 240. viuebat Cyprianus, qui, ad Cornelium Papam ſcribens, dixit, *qui prior deceſſerit, pro fratribus oret*. Et anno 220. viuebat Origenes, qui libro in Iob dixit. *O beate Iob, ora pro nobis*. quid amplius? anno 33. viuebat Dionyſius Areopagita, qui inuocare Sanctos nos docuit, 7. Hierarch. Eccleſiaſt. Denique Apoſtolorum ipſorum temporibus vixit Martialis, qui Eccleſiæ Biturigum ſcribens,

hortatus eſt, vt diuo Stephano ædem ſacram dicarent, in qua eum inuocarent. immò Origenes in Matthæum aſſerit, ipſos Apoſtolos Innocentibus templum dicaſſe, in quo ij pro patribus eorum inuocarentur. itaque, an Caluinus verum dicat, cum aſſerit, morem hunc noſtrum Gregorio Summo Pontif. initium habuiſſe; & an nos, quòd ad hanc primam inſimulationem Idololatriæ propter Sanctorum inuocationem attinet, abſoluendi, condemnandiué ſimus; veſtri ſit iudicij. abite felices.

DISCEPTATIO XIIII.

Qua oſtenditur, quàm liceat ſacris imaginibus vti in Eccleſia Dei, quamq́ vtilis, & vetuſta ſit earum traditio, & vſus.

Aduerſus Caluinum cap. decimo primi Libri Inſtitutio.

EGO quidem, Sereniſsime Princeps, non mihi tantum arrogo, vt me audeam vel bonitate, vel prudentia, vel alijs virtutibus cum adoleſcentulo Daniele conferre. ſed ſi accuſatores, falſos teſtes producentes, & formoſam mulierem, adulterij iniuſtè accuſatam; & iudices pręproperos, temereq́; condemnantes, ſpectemus; certè iudicium illud, quod Daniel exercuit, atq; id quod hodierno die conſtituitur, diſſimilia inter ſe non prorſus eſſe videbũtur. itaq; iure meritó dicere poſſem, *mundus ego ſum à ſanguine huius:* & poſtquàm ad nonnullos eorum, qui me audiunt, me conuertiſſem, dicens; *fatui non iudicantes, neque, quod uerum eſt, cognoſcentes, cōdemnaſtis filiam Iſrael,* concludere; *reuertimini, reuertimini ad iudicium, quia falſum teſtimonium locuti ſunt aduerſus eam.* In hortos viri

ſui

ſui Ioachini die quodam ingreſſa erat caſtiſſima Suſanna, animi fortaſſe leuandi cauſa: (ſi memoria tenetis hiſtoriam, auditores,) emiſſiſq; ancillis ad aquas ſola, ſine arbitris, lauatum ibat; cum duo ſcelerati ſenes, qui ad id tempus occulto loco delituerant, prodierunt; exiſtimantes, muliebre ingenium & opportunitate loci, & ſolitudine, & incredibili audacia repente oppugnatum ad reſiſtendum ipſorum effrenatæ, nefariæq; libidini vires non habiturum. Sed ſpe fruſtrati eo, quòd inſignis illa mulier decore pudicitiæ non minus, quàm formæ pulchritudine præſtaret, amorem in indignationem, & rabiem conuertentes, id vnum agebant, conabanturq; vt ei ſimul & infamiæ labem aſpergerent, & vitam adimerent. itaque vociferantes, aſſerenteſq; ſe ſe illam in adulterio deprehendiſſe, rem falſis teſtibus eò deduxerant, vt iàm à iudicibus condemnata innocẽs mulier, miſerè ad ſupplicium raperetur. neque periculum, quod imminebat, eo iudicio circumuenta, vitare potuiſſet; niſi *ſuſcitaſſet dominus Spiritum Sanctum pueri iunioris, cui nomen Daniel*; qui populum leuitatis, & temeritatis arguens, iterum iudicium reddidit: & ſenibus illis mendacij accuſatis, eo quaſi ſtratagemate vſus eſt, vt vtrumque eorum ſeorſum ab altero interrogaret, ſub qua arbore adulterij crimen perpetratum fuiſſet: cumq; ipſos inuicem aduerſari, & pugnantia loqui comperiſſet, ſenes vituperauit, mulierem laudibus extulit: illos condemnauit, hanc abſoluit: denique damnati illi, ſupplicio affecti ſunt, hæc abſoluta, & omni laude, gloriaq; cumulata, vitam retinuit. atque hoc quidem conuenire noſtris temporibus optimè poterit; ſi placuerit vobis, vt hodierna diſceptatione tantùm, ſenes illi ſint Lutherus, & Caluinus; Suſanna ſit Eccleſia Romana; Ioachinus Ieſus Chriſtus; vos iudices; & ego ſim Daniel. nàm, vt rem ab ipſo principio quæramus, ſi commiſcere ſe cum ſenibus, & adulterium committere Suſanna voluiſſet, exploratum eſt, mulieri

nihil illos moleſtiæ, nihil prorſus illaturos fuiſſe. ideſt, ſi Eccleſia Romana Tiaris, & galeris inexhauſtam Lutherorum, & Caluinorum auiditatem ſatiare voluiſſet, non excitatæ, tot tamq; diuerſæ fuiſſent ſectæ. ſed quid fuiſſet largiri Chriſti dignitates & honores indignis hominibus; niſi adulterium perpetrare? *Anguſtiæ ſunt vndique: ſed melius eſt mihi abſq; opere incidere in manus hominum, quàm peccare in conſpectu Domini*. itaque negante Suſanna, ſe adulterium commiſſuram; ecce ſenes in rabiem verſos: qui vociferantur primùm: ideſt, ſexcentos libellos hæreticos ſpargunt, atque diſſeminant. deinde etiam iudicium exercent: ideſt: frequenti auditorum numero è ſuggeſtis accuſant; atque, vt heſterna diſceptatione dicebamus, propriè adulterij ream faciunt: aſſerentes, quod Ioachimi eſt, eam alijs impertiri: ideſt, adorationem, quæ vni Deo debetur, hanc idololatrã iàm factam, alijs etiam tribuere. Sed ad accuſatores euincendos nihil melius, prudentiusuè fieri poterit, quàm Danielis ſtratagemate vti. nàm, ſi quæremus, qua ſub arbore perpetratum adulterium, ideſt, qua in re cõmiſſa Idololatria fuerit; reperiemus, iſtos duos iniquos homines ſenio confectos, tàm apertè, totiesq; alterum ab altero diſſentire, vt ipſorum rabies, & illius innocentia facillime diſcerni poſſit. quò circa, cum ſuperiori diſceptatione de Sanctis ageremus, quæreremusq; ſub qua arbore adulteraretur; inter ſe diſcordabant: & vnus reſpondebat, committi idololatriam imitatione; alius adoratione; alius inuocatione. Lutherus autem id eſſe cauſſæ dicebat, quoniam Deum haud capacem eſſe putabamus. Et Caluinus, quoniam Chriſti precationi, quæ nobis minus idonea videretur, diffideremus. ſimiliter quòd ad alia duo Idololatriæ capita pertinet, de imaginibus, & Euchareſtia alter ab altero maxime diſcrepat. nàm Lutherus negat, ratione imaginũ adulterium commiſſum fuiſſe; Caluinus autem contra affirmat. Lutherus inficiatur, in Euchareſtia eſſe idololatriam;

latriam; Caluinus eſſe aſſerit. ideſt, Lutherus imagines probat; Caluinus improbat: & quamuis excludat Caluinus ab Euchareſtia corpus Chriſti; in ea illud contineri Lutherus affirmat. conſiderate vos, iudices, an ſenes iſti in teſtimonijs, quæ dixerunt, conſentiant, an verò diſſentiant: & an ex tot inter ſe contrarijs, maximeq; diſiunctis, poſtquàm vos monuero, vt *reuertamini ad iudicium, quia falſum teſtimonium locuti ſunt aduerſus eam*, æquum ſit vos intelligere quàm innocens Suſanna ſit, atque hæreticos mendacij crimine condemnantes, in ſuauiſſimum Sanctæ matris Eccleſiæ ſinum redire. Sed de Euchareſtia, & de Luthero poſtea; nunc cum Caluino de imaginibus, ſimulachriſuè loquamur. De ijs autem, quamuis plura dici poſſint, quoniam tamen vnum eſt, quo declarantur omnia, lisq; ipſa dijudicatur; ab eo incipiens, maxime opto, auditores, vt vobis perſuadeatis, cum ego adoro (exempli gratia) Chriſti, Cruci affixi, imaginẽ; non duas adorationes conſiderari: quarum altera adoretur imago; altera id, quod imagine repræſentatur; ſed vna tantum adoratione perduci me per lignum illud ad adorandum Chriſtum, qui ab imagine refertur. attendite, quæſo, diligenter, nam plurimi refert. aliud eſt, cum hoc facio, & illud: aliud verò, cum hoc facio per illud. Exemplo vtar, quod nunc ſuccurrit, & vt ſpero res apertiſſimè patebit. Cum Petrum video, & video Martinũ; duo ſunt viſus: quibus non video Petrum per Martinum, neque Martinum per Petrum. ſed vnius viſus vltima res, quæ oculis obijcitur, eſt Petrus; alterius eſt Martinus. fingite nunc, conſpicilia me oculis admouere, & per ea Petrũ aſpicere: certe & conſpicilia video, & Petrum video: neque tamen duo ſunt viſus, quorum altero conſpicilia, altero Petrum videam, ſed vnus tantùm; quo viſu, cum vltimam rem obiectam mei intuitus nullam habeam, niſi Petrum; per conſpicilia, Petrum video. Eodẽ modo, ſi abſque vlla exteriori imagine adorem primùm diuum

Dominicum; deinde adorem etiam diuum Franciſcum; duæ ſine dubitatione adorationes ſunt: quarum vna vltimam rem obiectam habet, Dominicum; altera Franciſcum. ſed occurrente oculis meis diui Franciſci imagine, ſi ab ea quodammodo excitatus, mentem, cogitationemq́; ad hunc diuum conuerto, eumq́; per illam imaginem adoro; falſum erit ſi dicatur, me vna adoratione imaginem adorare; altera S. Franciſcum, quoniã vnicá tantùm adoratione, per illam imaginem S. Franciſcũ adoro. atque hùc pertinet, quod Baſilius dicebat, *adorationem non ad imaginem referendam eſſe, ſed ad prototypum*. ideſt, quia ex numero vltimarum rerum obiectarum, numerum adorationum colligimus, cum in adoratione, quæ fit per imagines, nullus finis alius, nullus terminus ſit, niſi vnicus prototypus, ideſt vna res ipſa, quam imago repræſentat; ſine dubio, cum per imaginẽ adoro repræſentatam rem, id omne vnica erit adoratio. qua in re, quantùm ſeipſum feſellerit Caluinus, vel alios fallere voluerit, libenter oſtenderem, niſi alia cogitatio, ad nos maxime pertinens, me à propoſito parumper auerteret. ideſt, tribus quandoque modis, iiſq́; diuerſis adorari. primo cum putamus, rem quam adoramus, eſſe Deum ipſum, vel obiectam rem adorationis noſtræ. altero, cum exiſtimamus, ſi non ſit ea res Deus; ſaltem Deum continere, vel obiectam rem noſtræ adorationis. tertio, cum ſcimus rem illam neque eſſe, neque continere obiectam rem adorationis noſtræ, ſed tamen repræſentare. Exempli gratia. adorans fragmentum ligni eiuſdem, in quo Ieſus Christus dominus noſter glorioſiſſimum ſuum ſanguinem effudit, cum obiecta res meæ adorationis lignum ſit Sanctæ Crucis, non illud adoro, quia contineat in ſe, vel quia repræſentet, ſed quoniã illud ipſum lignum eſt Sanctæ Crucis. ſed cum idipſum lignum theca includitur, ita, vt theca quidem cernatur, ſed non lignum; flectente me genua ante thecam, non eam adoro, tanquam ea

ſit,

ſit, vel repræſentet, ſed tanquã contineat lignum Sanctæ Crucis. poſtremo, cum parieti forte affixam aſpicio Crucem, è quouis ligno factam, & ante eam me proſterno; non id cauſſæ eſt, quia illa ſit, vel quia contineat lignum Crucis, ſed quia repræſentat: ſic vt lignum ipſum, & theca, & imago à me diuerſis modis adorentur. lignum quippe, quoniam ipſius Crucis lignum eſt. theca, quoniam continet; & imaginem, quia repræſentat obiectam rem ſacram meæ adorationis. Hùc accedit, quod vnaquæque harum adorationum aliud non eſt, quàm vnica tantùm adoratio. nàm, vel ipſum adoro lignum Crucis; vel vna adoratione idipſum adoro per thecam, qua continetur. vel vna pariter adoratione idipſum adoro per imaginem repræſentantem. illud addo, & ad alia venio. in quolibet nempe harum adorationum genere poſſe ſuos cuiuſque generis proprios errores verſari. in prima adoratione erramus, cum id adoramus, quod adorationem non meretur: veluti ſi Iouem, vel Herculem adoraremus, & id genus alios: aut cum adoramus adoratione, quæ ei non debetur, veluti ſi Sanctum Franciſcum adorarem adoratione latriæ. errari item poteſt bifariam in ſecunda adoratione; ſcilicet, cum per id, quod continet, adoro, quod continetur, merito non adorandum: veluti ſi thecam adorarem, in qua Mahumetis caput contineretur: vel cum adoro rem quidem adorandam, quam puto contineri, quæ tamen non contineatur: veluti ſi ante thecam adorarem, quæ inanis eſſet, exiſtimans, in ea ſacroſanctam Euchareſtiam aſſeruari. Denique erramus tertio vehementer ratione imaginis, quæ repræſentat: cum adoramus, vti repræſentatam, rem eam, quæ, vt adoretur, non meretur; vel ſaltem non meretur talem adorationem. veluti, ſi per imaginem aliquam Saturnum adorarem; aut etiam S. Franciſcum adoratione Latriæ. in hiſce erroribus omnibus gentes verſabantur. nàm, quod ad primam adorationem attinet, Iouem adorabant,

vel

vel quempiam alium, qui nulla ratione adorandus erat: & hominibus nonnullis, quos fortaſſe Dulia decuiſſet, Latriam tribuebant. quòd verò ad ſecundam ſpectat, res, quæ continebantur, adorabant, quibus impendenda non erat adoratio; veluti Crocodilum, aut felem, qui arca continerentur, & alia eiuſdem generis: & ſæpenumerò etiam aliquid eo loco putabant contineri, quod nuſquam erat, veluti nemoribus Dryades; vel fontibus Napæas, & huiuſmodi multa. quòd verò ad poſtremam; crebrò per imagines adorabant, quæ adoranda non erant. ideſt, Ioues, & Bacchos: & crebrò hominum imaginibus, quibus Dulia tribui forte potuiſſet, Latriam dabant. itaque iam coniunximus duo hæc; alterum ſcilicet adorationem per imaginem eſſe vnicam tantum; alterum, erraſſe gentes in omni adorationum genere, nos autem non errare. Nunc ad Caluinum veniamus. Et vos, quæſo, attendite, quàm is ſit modò ridiculus, modò improbus in duobus his; quæ dicta ſunt. nàm, quòd ad primum attinet, fieri ſane non poteſt, vt quiſquā ea audiat, quæ Caluinus Sectio. 11. cap. item 11. primi libri affert, & ſibi à riſu temperet. ideſt, nos vt noſtram imaginum adorationem tueamur, affirmare, Dulia, non autem Latria eas à nobis adorari. quam verò ſpecioſis verbis vtitur? *non ignoro, nec diſsimulandum eſt, diſtinctione illos elabi, magis arguta:* ò nos miſeros! *Cultum enim, quem ſimulachris ſuis impendunt; Idoloduliam eſſe oſtendunt, Idololatriā eſſe negant.* ſcilicet, neſciebam ego, Caluinum cum Scholaſticis noſtris tàm aſſidue verſatum eſſe. Sed quis è noſtris Theologis tàm adoleſcens, aut tam imperitus eſſet, qui rem adeo abſurdam diceret? ſi memoria tenetis, auditores, hæc inter Duliam, & Latriam diſtinctio, vt heri dicebamus, illa eſt, quam afferunt Scholaſtici noſtri ex vetuſtiſſimis patribus, in materia adorationis ſanctorum: qua dicunt, Deum adorari Latria, ſanctos autem Dulia. Sed, cum de imaginum adoratione agitur, quid opus

eſt,

eſt, eam diſtinctionem afferre, cum imaginis, & eius quod imagine repræſentatur, non duas adorationes diſtinctas, ſed vnicam tantum conſtituant? quod, ſi qui ſubtilius, magiſque ex more Scholaſtico, imaginem per ſe ipſam conſiderantes aliquo honore afficiendam cenſuerunt; vt habetur Concilio 7. Actio. 7. & Synodo 8. Actio vlt. quali etiam Euangeliorum liber, & vaſa ſacra afficiuntur; non tamen Latria, neque Dulia adorandam dixerunt: ſed inhærentes proportioni, rei, quæ repræſentatur, imagini per ſe honorem adhibendum affirmant, honore illo minorem, qui rei repræſentatæ tribuitur. qui tamen honor *analogice* ad honoris illius ſpeciem reducatur, quo repræſentata res afficitur. ſatis mihi eſt, diſtinctionem hanc (quod ad imagines attinet) Latriæ, & Duliæ à Caluino ſomniatam, quibus ipſe modis affirmat apud noſtrates Theologos omnino non reperiri. Scrutamini ſcriptores noſtros, libros, omnes, à carceribus (vt dicũt) ad calcem euoluite: ſi diſtinctio aliqua reperitur inter imaginẽ, & quod imagine refertur; omni conuicio, omni probro dignus haberi volo. adoratio ab obiecta re qualitatem accipit. Si per imaginem adoro Deum; hæc vnica eſt Latriæ adoratio. Sin per imaginem adoro Sanctum, vna item eſt adoratio Duliæ. nuſquam autem reperietur, adorationem imaginis eſſe Duliam; & adorationem rei, quam imago refert, Latriam eſſe: neque enim duæ adorationes ſunt, ſed vna tantùm. quare Caluinus, doctus verò, & eruditus, qui nunquam Scholaſtici quid eſſent, ne odoratus quidem fuit, & ſimulauit maledictis inſectari, quia doctrinam eorum non percipiebat; animaduertit, in adorationis materia afferri ab ipſis diſtinctionem illam: rem autem non explorauit, neque intellexit, qua in materia duarum adorationũ diſtinctione vterentur. vt mirum nemini ſit, ſi lapſus eſt demens. ſeipſum autem præclare venditans, volenſq; oſtentare doctrinæ Scholaſticæ ſcientiã, cum illi diſtinctionem adhibeant, in adoratione

ratione Sanctorum dixit, (expertus ſanè homo) adhiberi in adoratione imaginum : cui tantum conuenit, quantum commune eſt cani cum balneo. Sic audiui ego quendam alium, qui cum ab Aſtrologis vocem hanc, Horoſcopum vſurpari animaduertiſſet, vti prouidus, & ſagax, cupiens eius ſcientiæ videri peritiſſimus, cum quandoque de Luna loqueretur, velletq́; dicere biduo poſt plenilunium futurum fuiſſe; dixit, biduo poſt futurum fuiſſe horoſcopum Lunæ. ita ſanè, ita ſe res habet. ſatis fuit illi, verbo Horoſcopi vſum eſſe : ad rem autem faceret, nec ne, non perpendit. Et Caluino item ſatis eſt, quomodocunque de diſtinctione Latriæ, & Duliæ mentionem facere, vt Scholaſticā doctrinam tenere videatur; ſiue conſultò, ſiue temere loquatur, ad ipſum nihil. & re vera quid refert? nam Scholaſtici diſtinctione vtuntur ſine dubio, cum de vna adoratione agunt: quamuis Caluino non adeo fauerit fortuna, vt vaticinari ſciret, qua in adoratione vterentur. ò rem ridiculam; niſi ſequeretur alia ſtomachoſa adeò, & odioſa, vt riſum omnem adimat. quid enim dicemus de prauo, peſſimoq́; iſtius ingenio? qui vbi agitur de ſimulachris, & imaginibus, quæ à gentibus adorabantur, omnibus viribus omni conatu eorum defendit adorationem : cum verò de ijs, per quas adoramus nos; arguit, accuſat, improbat, quantum poteſt. carmina illa Satyræ, *olim truncus eram*; facta iàm, vt nemo non ignorat, aduerſus gentes, in nos contorquet. nos accuſat, quoniam veri Dei ſimulachra facimus: illos autem, quamuis falſorum Deorum effigies, ſibi formarent, excuſat. ad hæc, vſque eò inſanit, & furit, vt de nobis Chriſtianis loquens, (videte, quàm ſit impius) dicat, nos ſaxa illa, illa ligna credere Deum eſſe : & continuò de gentibus loquens, addit, ***Nec ita ſtupidi fuiſſe Ethnici credendi ſunt, vt non intelligerent, Deum alium eſſe, quàm ligna, & lapides***. neque ſanè eſt, quòd de Caluino conqueri poſſimus. cum enim is magis oleret Ethnicum, quàm

Chri-

Chriſtianum ; æquum videbatur, eum illorum partes potius, quàm noſtras,tueri. gentes autem in primo adorationis modo, quem diximus, maximè aberaſſe,ideſt,pro Deis coluiſſe,& adoraſſe,qui dij non erant;cum omnis vetuſtas apertiſſime teſtatur; tum extant adhuc diſputationes aduerſus Idôla & Nazianzeni in prima de Theologia, & Athanaſij in oratione contra Idôla,& Iuſtini, & Athanagoræ in Apologijs, & multorum ſexcentis locis. credidiſſe item, modo in arboribus, modo in fontibus, & huiuſmodi rebus contineri Deos, qui neque erant dij,neque ibi erant, vbi eſſe putabantur, haud ſcio, qua ratione inficiari poſſit Caluinus,cum vobis aperte conſtet. Tantum in poſtremo adorationis modo Ethnicorum multos Caluinus nobiſcum ſaltem æquari poſſe affirmat: quoniam ſicuti nos dicimus, non adorare nos ſimulachrum, neque rem, quæ in ſimulachro contineatùr, ſed illud, quod ſimulachrũ repræſentat; ita. *aliqui ex Ethnicis*, (dicit Caluinus) *aiebant, ſe per effigiem, corpoream intueri eius rei ſignum, quam colere deberent*. qua in re non negarim ego, nonnullos eorum vſos quandoque hoc tertio adorationis modo, quo vtimur nos; ideſt, vt per effigiem rem eam adorarent, quam repræſentabat effigies. ſed operæpretium eſt,animaduertere, an quæ repræſentabantur eis, tam digna eſſent adoratione, quam noſtra. præclarè verò nobiſcum agitur, ſi nobis æquandi ſunt Ethnici,quoniam ipſi quoque per imagines adorarent. Sed cum nos per ſimulachrum, adoremus Latria Deum, & Dulia Sanctos, illi verò adorarent modò Iouem tyrannum,modò Bacchum paraſitum, modò meretricem Venerem; & prope dixerim, parum abfuiſſet, quin hæreſiarcham Caluinum adoraſſent, quo dici nil peius poteſt, quomodo ore tàm duro, tàmq; impudenti. erit idem Caluinus, vt eos conferre, compararecq; nobiſcum audeat? ſed hæc ſatis: quibus nouum habetis modeſtiæ ipſius indicium. Cum autẽ intelligamus iàm,quid ſit ado-

rare

rare imaginem ; ideſt, nequaquam credere, Deum eſſe imaginẽ, neque in imagine contineri, ſed Deum repræſentari per imaginem ; cumq; certum, & exploratum ſit nobis, abſque imagine poſſe Deũ adorari ; diſtinctè, ordineq; nonnulla quæramus, an ſcilicet præſtaret imagines excludere, an eas fieri, natura vetet : an vetuſta lex prohibeat : an Euangelium obſtet : an concilia interdicant : an ab earum vſu Sancti patres abhorreant : an is vſus tàm recens ſit, vt ei non ſit adhibenda fides. Et quidem, quòd ad primum caput attinet, verum eſt, vti diximus, adorari poſſe ſine imagine, ſimulachroue. & noſtrum quilibet id in ſeipſo experitur ſæpenumero, nocte, in ipſis tenebris, lumine omni remoto, cum imagines conſpicere nequimus, nihilominus erigere nos animum, atque in adorationis cogitatione verſari : ſed tamen *non omnia quæ licent, expediunt*. tãtumq; abeſt, vt noceat, detrimentiuè quicquam afferat Sanctarum imaginum vſus ; vt etiam commodiſſimus, atque vtiliſſimus ſit. Vſque eò, auditores, vt, cum in nobis ſint communi ſententia tres rationalis animæ vires, memoria ſcilicet, intellectus, & voluntas ; harum vnicuique mirificè imagines proſint. nàm per eas beneficiorũ, quæ à Deo accepimus, memoria renouatur : & glorioſæ de Deo, ac de Sanctis hiſtoriæ intellectui noſtro ſubijciuntur : & voluntas noſtra Dei amore magis, ac magis inflammatur. plures ſunt, qui ab heſterna die nunquam recordarentur, Chriſtum pro nobis mortuum eſſe, ne dum alia ; niſi domi Chriſti ipſius Crucifixi effigiem haberent. quamuis autẽ nos, qui legere didicimus, prȩter ea, quæ Sacri Concionatores ex ſuggeſtis nos docent, fidei præterea noſtræ myſteria è libris hauriamus ; quis tamen non videat, quantam vtilitatem rudiores, & ſimpliciores accipiant, qui non lectionis, ſed rerum aliarum occupatione diſtinentur, cum per ſimulachra eaſdem actiones oculis ſuis ſubiectas habent, quas nos ex his, & illis ſcriptoribus legendo colligimus ? præ-

terea

terea veſtrum neminem inficiaturum puto, quin pietatem, & affectus noſtros vehementer augeant, mirificeq́; moueant effigies, pictura, bene, & ſolerter expreſſæ: & quin *ſegnius irritent animos demiſſa per aures, quàm, quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus*. quin denique animos noſtros commoueant vehementius hiſtoriæ, quæ in tabella quoque depictæ cernuntur, quàm quæ auribus tantùmodò percipiuntur: vt veſtis illa ſanguine conſperſa, quæ iudicibus oſtenditur. hanc maximam vtilitatem, quam Sacræ imagines afferrent, optime animaduertit Gregorius: qui de eis loquens, volensq́; oſtendere, quanto vſui eſſent, præſertim intellectibus noſtris, illas pulcherrima metaphora illiteratorũ, & idiotarum libros appellauit: quod quidem vel ipſe Caluinus uidetur in Gregorio legiſſe. quid igitur dicit? quid dicat? vt ſolet: audite, an deterius quicquam proferri potuerit. *Si in ſchola ſpiritus Dei edoctus fuiſſet, Gregorius nunquam ita locutus fuiſſet*. ideſt Gregorium ea dixiſſe, quoniam enutritus, & eruditus non fuerat in ſchola ſpiritus Dei. inſolens: rabide canis, quàmdiu maledicos dentes exacues, & Sanctos ipſos lacerabis? At ſi non eruditus eſt in vera Dei Schola Gregorius; quiſnam erit in ea inſtitutus, quis edoctus? Caluinus ſolus: ſolus Caluinus, autores, eſt Sancti Spiritus alumnus. vnus ipſe à Deo altus, & educatus: diſcipulus ille ſcilicet, quem diligebat Ieſus. Cæterùm, Sancti omnes modò *aliquid humani paſſi ſunt*, modò *mandato Dei, & legitimo exemplo deſtituti ſunt*: modò *lapſi ſunt*. modò *in ſchola Dei edocti non ſunt*. bone Deus, & adhuc ſuperſunt homines, qui malefico iſti fidem omnem continuò non abrogent? Ego ſanè & Gregorio, & Sanctis noſtris omnibus, & ipſi veritati credo. ex quibus colligitur, imagines non ſolum detrimenti nihil afferre, ſed etiam ſingulis tribus animæ noſtræ uiribus, magnopere prodeſſe. legatur ſeptima Synodus Actio 6. & quiuis facile agnoſcet aliam maximam ex imaginibus percipi vtilitatem

tatem, quoniam ſcilicet imagines ad imitationem eius, quod referunt, homines magnopere alliciunt. hoc idem Baſilius affirmat oratione in quadraginta martires. & Greg. Nazianz. ijs verbis, quæ ſcripſit de virtut. allegat. ſept. Synod. Actio 4. exemplum affert impudicæ cuiuſdam mulieris, quę, cũ hominis continentiſſimi imaginem conſpexiſſet, confuſa erubuit, & mores immutauit. admonent item nos imagines, cum in calamitates incidimus, ad quorum opem confugere debeamus. ac quoniam vultus ſeruorum Dei referunt, quia vtiles dei ſerui fuerunt, conſtat eaſdem in Dei honorem redundare. præterea noſtra hac tempeſtate ſalutares, & accommodatæ ſunt, ad teſtificandam fidei confeſſionem: vt doceamus, catholicos nos eſſe, conſtanteſq́;, ac firmiſſimos aduerſarios eorum omnium, qui ſanctas imagines oppugnant. quæ omnia quàm vtilia ſint, vos ipſi iudicate. quòd ſi Caluinus, vel iſtorum quilibet alius obijciat, in pictis, effictiſuè ſimulachris id eſſe periculi, ne ſimplices, & rudes eas adorent, vti rem obiectam, præcipuamq́; adorationis eorum, & idcirco in Idololatriam labantur; dico, hac ratione auferendum Solem, & Lunam eſſe, quoniam nonnulli eorum pulchritudine, & ſplendore capti, vtrumque Deum eſſe putauerunt. immò tollenda eſſe Sacramenta, quoniam ſunt, qui illis abutantur. immò cibos prohibendos, quoniam male vtentes, in aduerſam valetudinem incidant. Sed cum Deus in omni lege voluerit per ſenſilia ſigna in nos gratiam conferri; neque tamen veritus ſit, vt quiſquam ſigno illi, & non Deo, gratiam referret acceptam; cur nos, tàm leui timore impulſi, vtilitatem maximam ab imaginibus emanantem, nobis ipſis adimamus? quaſi mihi difficile ſit, in hiſce concionibus dirigere paucis ſimplicium, & imperitorum cogitationes; eoſq́; docere, per imaginem tranſeundum tantummodo eſſe, & ſemper in eo, quod imago refert, finem eſſe ſtatuendum. præter illa, quæ heſterna

ptatione diximus, hùc pertinentia, ſcilicet debere in ſimplicium hominum animis illud ſemper hærere, vt eodem modo, rationeq; adorare velint, quibus adorat Sancta mater Eccleſia. quare, quin imaginum vſus vtiliſſimus ſit, nemini iàm dubium eſſe poteſt. cum igitur Simulachra viribus noſtris naturalibus tàm vtilia ſint, nihil mihi dicendum vltra videretur, ſed concludendum, ea ratione naturæ non aduerſari. Verùm, quòd ad naturam attinet, vnum addo; deinde de Sacris Scripturis dicam. nempe naturam non ſolum ab imaginibus non abhorrere, ſed etiam non poſſe nos natura noſtra ſine imagine quicquam adorare. quocirca, miror vehementer, propeq; obſtupeſco, non rudes, & idiotas, ſed peritos, & eruditos contrà ſentire. quid dicitis, ò Caluiniſtæ docti, Chriſtum per corporeas imagines adorandum non eſſe? bene habet inani veſtro iudicio. ſed vos qua ratione percipitis ea, quæ ſub ſenſum nõ cadũt, & quæ tantummodo cogitatione percipiuntur? certe illa per ſpeciem intelligitis: & in vobis formata eſt phantaſia quædam, ſeu viſum, quod vobis refert, & præſentia ſtatuit, quæ procul abſunt. neq; enim Papam, regemuè mente, & cogitatione vnquam complecteremini, niſi cõuerteretis vos ad eam imaginem corpoream Papæ, vel regis, quam animis veſtris concepiſtis. quare concludo, dicoq; naturam non permittere, vt de Chriſto cogitetis, niſi per imaginem Chriſti corporeã, quæ mentibus veſtris eum repræſentat. oportet autem de eo, qui adoratur, cogitare: neque vos adorare Chriſtum poteſtis, niſi de hac imagine Chriſti, quæ in vobis eſt, cogitetis; & imago ipſa corporea eſt. ergo à primo ad poſtremum, ſi natura non patitur, vt abſq; imagine, vel intima, vel externa, & aduentitia adoretis, quare improbatis id, quod natura ipſa neceſſarium eſt, neq; vos pudet docere, adorationem per corporeas imagines, vetitã eſſe? Sed hoc argumentum fortaſſe rudiores, & imperitiores non percipiunt: & qui eos fallunt, aliud auribus eorũ non inculcant; niſi diuinis lit-

teris paſſim interdici, ne imagines faciamus. nã in teſtamento ve teri,à quo initiũ facimus,ipſo etiam Moyſis tempore,Exod.20.& Deuteronom.5.& pluribus alijs locis aperte vetitus fuit imaginũ vſus,ijs verbis: *Non facies tibi ſculptile neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper,& in terra deorſum: neque eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra,non adorabis,ea neque coles.* cũ autem non me lateat, quantum hoc argumento aduerſarij inani lætitia elati geſtiant, & glorientur,vt ipſi cõtra intelligant,ſe retuſis gladijs pugnare, quos nihil ego formidem; non vno tantum,ſed duobus modis reſpondebo: præterea concedam etiam,argumentũ eſſe verum,atque fir miſſimum aduerſus imagines,& tamen oſtendam,nobis nihil pe nitus aduerſari.quæ circunſtant,auditores,ſcripturas declarant.ani maduertite verba antecedentia,& conſequẽtia;& intelligetis,quid ego primũ reſpondeã. anteq̃ diceret Deus, *non facies tibi ſculptile,* quid dixerat? *nõ habebit Deos alienos corã me.* ecce igitur de quibus imaginibus loquatur. Scio quidẽ, non licere ſuper altare imaginẽ Iouis,vel Saturni,Belialuè,aut Aſtaroth ſtatuere: ſed Deus imagines earũ rerum nõ interdixit, quæ iuſtè adorandæ eſſent. cum per imagines adoramus; flagitium non facimus: ſed cum per imagines falſos Deos adoramus,qui adorandi nõ ſunt,vehementer erramus. quocirca,Deus horũ duntaxat imagines prohibuit: atq; id verũ eſſe,intelligere licet;ꝙ Deus nõ ſimpliciter dixit, *non facies tibi ſculptile,*ſed illud addidit,cũ prius dixiſſet, *non habebis Deos alienos.* Præterea(& ſecundo modo reſpondeo,) dico,ne horũ quidem falſorũ Deorũ vetitas à Deo imagines fuiſſe,ſed earum vſum:ideſt prohibuiſſe eas fieri adorandi cauſſa. quod quidẽ patet:qm̃,vbi dixit,*non facies,*cõfeſtim addidit, *non adorabis ea.* quæ verba ſignificant,à Deo permiſſas fuiſſe imagines potius, q̃ interdictas. nãm ſi princeps quiſpiã edicat,vt nemo gladiũ gerat,& eo occidat,quis ne ſcit,ſi gladiũ nõ gerã,eo neminẽ à me occiſum iri? nõ igitur cẽſendus eſt princeps ille,voluiſſe prohibere,nequis gladiũ gereret, ſed

ne

ne gereret occidédi cauſſa. ità, *non facies, non adorabis ea,* quis igno rat, niſi fiant adorari non poſſe? igitur noluit Deus ſimpliciter prohibere, quin fierent imagines, ſed adorandi cauſſa, ne fierent: atque illud; *non facies, & non adorabis,* perinde eſt, atque ſi dixiſſet, *non facies, vt adores ea.* Vultis aũt cognoſcere, ita ſe rem habere? Leuiticũ legite, cap. 22. quo loco præceptú hoc quodãmodo declaratur: atq; pro particula &, poſita eſt particula, *vt*: dicitur *non facietis uobis* &c. & cõtinuò additur, *ut adoretis* &c. Præterea, dũ præcepit De⁹, ne fierẽt imagines *omniũ, quæ in cœlo, & omniũ, quæ in terra,* cenſendũ ne eſt, voluiſſe Deũ, oẽm pingẽdi, & effingendi artẽ prorſus auferre? an potius prudẽter exponẽda ſunt verba illa, dicendumq́; eatenus exterminari imagines voluiſſe, vt adorandi cauſſa oĩno non fierent; & non aliter. eadẽ rõne, qua Deus aheneã ſerpentẽ fieri præcepit, & ſuſpẽſam aſpici voluit, quo ad populus, ad eã adorandã animũ nõ adiecit; ſed cũ adorare cœpiſſet, eã Ezechias abſtulit. Deus ipſe mãdauit fieri in Propitiatorio, Cherubinorũ imagines. Deus ipſe, vti diximus, fieri ſerpentẽ æreã iuſſit. Deus ipſe voluit, in tẽplo ſuo, pingi & palmas, & malos punicas, & leones, & Boues, & tot, tãtasq́; effigies. igitur vel ſibi ipſi repugnauit; vel cũ dixit, *non facies tibi ſculptile,* intelligi voluit, adorandi cauſſa. vendendiue, vel aliquo modo ad illos transferendi, à quibus adorandæ eſſent. quamobrẽ ex prioribus, & poſterioribus verbis loci illius datur mihi duplex reſpondendi modus: nempe à Deo Moyſi interdictũ fuiſſe, ne fierent tm̃ falſorũ Deorũ imagines ac ne id quidẽ ſimpliciter interdictũ; ſed ne fierẽt, vt adorarẽtur. Reliquũ eſt, vt oſtendã, argumẽtũ iſtorũ, etiã ſi verũ eſſet, nihil nobis obeſſe. nàm, quãuis Deus legis tẽpore mãdaſſet Moyſi, & Sinagogæ, ne imagines, & ſimulachra fierẽt, æquũ ne eſſet, hoc idẽ in Eccleſia Dei ſtatui? quæſo vos, Caluiniſtæ, pauca veſtri Caluini verba audite. qui de Purgatorio loquẽs, & de ijs quæ Iudas Machabæus fecerat, dicit; *pluſquam fatui ſunt, qui ſacrificiũ legale ad nos vſque trahunt: quando aduẽtu Chriſti ſcimus, ceſſare, quæ tunc in uſu fuerunt.* male argumentatur, (ait Caluinus)

uinus)is,qui dicit,ita fiebat antequàm veniret Chriſtus: igitur nobis eodem modo faciẽdũ eſt. Et quidẽ Caluinus ſemel tandẽ vera dixit. quare ego argumentũ in eũ retorqueo; dicoq́;,qua tu igitur rõne id, quod Moyſis tẽpore cõſtitutũ eſt,ad noſtra tẽpora, nẽpe poſt aduentũ Chriſti,trahẽdũ putas? ò quàm oportet, nemorẽ eſſe mendacẽ! multũ intereſt,auditores,inter tẽpus,& tẽpus.Si tunc vetitæ fuiſſent imagines,id cõtigiſſet ea tẽpeſtate,qua popul⁹ ad Idololatriã maxime propenſus erat:& tùm forte, cũ in itinere erat, vt ad regiones Idololatrarũ perueniret,& in eis habitaret. nũc autem quid periculi impendet, ne Sancta Eccleſia ob imaginũ vſum ad Idololatriã ſe cõuertat?ipſa quotidie cantat, *Simulachra gentiũ, argentũ,& aurũ*, & addit,*opera manuũ hominũ*,deinde,*os habent,& nõ loquentur*. ac demũ concludit, *Deus autẽ noſter in cælo*. quamobrẽ pauciſſimis,auditores,dicimus,quãuis Sinagogæ Deus imperaſſet, ne vllæ prorſus fierent imagines,non tñ cõſequens eſſe, vt hoc ipſũ in Eccleſia ſtatuatur. ſed verè nũquã prohibita fuerunt,niſi Deorũ alienorum ſimulachra; atque ne quidem ea ſimpliciter,ſed cũ fierent eo conſilio,menteq́; vt adorarẽtur. Sunt igitur imagines maxime vtiles: neque à natura interdictæ,neque vetitæ à lege. nunc ad Euangelium veniamus: ſed interim reſpiremus.

PARS ALTERA.

ILLVD ſanè plurimi referret, ſi locus (vt iſti affirmãt) Euangelij afferretur;quo præcepiſſet Chriſtus, ne per imagines adoraretur. Sed qui fieri potuit, vt illũ tot Sancti Patres nõ animaduerterint? fortaſſe, (dicet Caluinus) qm̃ in Schola Dei edocti nõ ſunt. Satis eſt,locũ adeſſe,& patere oĩbus:nẽpe Ioannis 4 cum enim Chriſtus cum Samaritana de adoratione ꝑcipuè, potiſſimumq́; loqueretur, vt doceret nulla rõne ꝑ corporeas imagines eſſe adorãdũ,nulla vſus circuitione,liberè, apertiſſimeq́; dicit,*oportere in Spiritu,& veritate adorare*.ò magnũ,ò firmũ iaculũ! ſed

ſed retuſa cuſpide. cur non poſſumus nos breuiſſimè reſponde-re? Deum videlicet *in ſpiritu, & veritate adorandum eſſe*, ſed vt animi noſtri ad hanc adorationem, ſpiritu faciendam, exci-tentur, medijs rebus nonnullis vtendum eſſe,quæ corporeæ ſint, atque præ cęteris ſimulachra, & imagines maximam vtilitatem afferre? adoratio *formalis* fieri debet *ſpiritu*. ideſt, debemus in primis,potiſſimumq; adorare Deum ſpiritu: vel debemus Deũ, vti ſpiritum, non vti rem corpoream, adorare; ſed quod attinet ad ea, quæ media ſunt, quis vetat, quominus ijs vti poſſimus, quamuis corporea ſint, ſi nobis proſunt? audite, Caluiniſtæ; templa manu facta non ne corporea ſunt? cur igitur ijs vtimini, tanquam medijs, cum ſpiritu adoratis? Vox concionantis non-né res eſt,quæ ſub ſenſum cadit? cur ergo eam adhibetis ad mẽ-tes veſtras excitandas, vt ſpiritu adoretis? Sacramenta ipſa non ne ſignis continentur, quæ ſub ſenſus noſtros cadunt? cur igi-tur vſurpatis ea, quo tempore vobis ſpiritu adorandum eſt? di-cam ego: quoniam adorare quidem ſpiritu nos oportet; ſed ta-men nihil prohibet, quominus mediæ res, quibus ad adorandũ allicimur, corporeæ ſint, & ſub ſenſum cadant; immò id vtiliſ-ſimum eſt. ſi oculorum ſenſu nobis vtendum non eſſet, vt nos-metipſos ad adorandum per imagines accenderemus; vetitum item eſſet, vti aurium ſenſu, vt ad ſacras conciones audiendas excitaremur. Verumenimuero quanam, quæſo, ratione rem totam melius explorare poſſumus,quàm ſi diligenter videamus, quomodo locus ille à Sanctis patribus declaretur? nam ſi ij cum Caluino affirmant, verbis illis, *in ſpiritu & veritate*, imagines excludi; ego nihil moror, quin continuò ab imaginum ritu re-fugiam. ſi vero Caluinus ſolus ſomnians tàm alienam, tàm de-tortam expoſitionem affert; & contrà, omnes ſancti patres ali-ter ſentiunt; ego ſine dubio à patribus diſcedendum non puto. nunc audite. Nazianzenus innuit, *adorare patrem in ſpiritu, &*

veritate ſignificare, *adorare Deum patrem, ſed in veritate,* ideſt, *cum filio,* & *in ſpiritu,* ideſt, *cum Spiritu ſancto*. Auguſtinus, *in ſpiritu, & veritate adorare, nihil aliud eſt, niſi fide, ſpe, & charitate in Deum tendere*. Chryſoſtomus ait, *adorare in ſpiritu, & ueritate,* nil aliud eſſe, niſi vt præcipuus finis petitionum noſtrarum æterna bona ſint, non autem tempore labentia. Origenes, *adorare* (& parum differt à Chryſoſtomo,) ideſt, in futura vita ſpiritus præmia, non corporis expectare. Hilarius, *adorare* Chriſtiana libertate, & hilaritate. Theofilactus, Deo ſeruire intellectu ſimul, & voluntate: vel contemplatione, & actione. Duæ item expoſitiones loco illi optime conueniunt. quarum altera eſt, *adorare in ſpiritu,* ideſt, credere Deum non eſſe corporeum, quoniam *Deus ſpiritus eſt*. altera, Deum alicui corporeo loco non obſtringi: quocirca *neque in monte hoc, neque Hieroſolymis*. ſed velim conſiderare Caluinum, an aliam Origenis expoſitionem magis probet. qui dicit, ſolos eos *adorare in ſpiritu, & ueritate,* qui in vera Dei Eccleſia adorant, quam nos ſolam Romanam eſſe docuimus. Summa eſt, præter Caluinũ, neminem ne ſomniaſſe quidem vnquam ijs verbis, *in ſpiritu, & veritate oportet adorare,* quicquam aduerſus imagines ſtatui. immò cũ Origenes dicat, loco illo ſignificari, vt ad Eccleſiã Dei nos ipſos conformemus, & cùm Eccleſia inſtituerit, vt per ſimulachra, & imagines adoremus; non ſolùm is locus nobis nõ repugnat, verùm etiam mirificè ſuffragatur. Quin immò imagines interdicit Eccleſia: (dicet Caluinus,) à Concilijs enim interdicuntur. Ego verò, qui à me ipſo non diſſentio, mihiq́; ipſi conſtare ſoleo, cum ſuperioribus diebus docuerim, quicquid à generali, legitimoq́; Concilio ſtatuitur, id ſine vlla dubitatione ab Eccleſia ſtatutum eſſe; rurſus idem affirmo. quòd ſi huiuſmodi Concilia mihi imagines prohibebunt, nihil detrectabo, & ibo ego quoque in eorum ſententiam. ſed quis relinquitur dubi-

dubitandi locus? Ecce Concilia duo, *Synodus Conſtantinopolitana, Leone Imperatore congregata, ſubuertendas, & confringendas imagines, in templis collocatas cenſuit*. Et Concilium Elibertinum Can. 36. ſic habet: *placuit, picturas in Eccleſia eſſe non debere*. hoc veriſſimum eſt: hæc duo ſunt Concilia; alterum Prouinciale in Hiſpanijs habitum, de quo dicemus poſtea: coactũ alterum Conſtantinopoli, præſentibus trecentis patribus. & Synodus hæc appellata à multis fuit ſeptima generalis Synodus: verumq́; eſt, ſtatutum ea Synodo fuiſſe, quod Caluinus refert; nempe, *confringendas imagines*. quid igitur? an hoc vnum teſtimonium non ſatis erit ad tollendas, ad abolendas imagines? ò tempora, ò mores, ò ſcelera inuſitata, & inaudita! deplorare, ò decepti ſatis nequeo calamitatem veſtram, cùm video, quibus in tenebris iaceatis, quamq́; miſerè circumuenti, & quos in errores inducti ſitis. fieri nè poteſt, Caluine vt auſus ſis, contra imagines hoc Concilium afferre? tibiq́; perſuaſeris, nos & oculis, & lingua carere, ita vt continuò non videremus nos, & alijs oſtenderemus, quid ſit Conſtantinopolitanum conciliabulum, Leone Imperatore coactum? oculis quidem, & lingua nô caremus nos: ſed cares tu fronte, & pietate: ideſt, verecundiam, & religionem omnem prorſus exuiſti. ſatius fuit, vt Arriũ tuereris, afferri à te Concilium Ariminenſe: vel, vt protegeres Dioſcorum, afferri Epheſinum: vel, vt cauſſam tuam deffenderes, afferri à te ipſo Concilia Geneuæ, Bernæ, Loſanæ habita. Diximus, non poſſe errare illa Concilia, quæ legitima eſſent, & à Papa confirmata; non autem falſa conciliabula, quæ Papa nec conuocaſſet, nec confirmaſſet. atque illud notandum fuit; cùm de falſis Concilijs ageremus, inter prima eorum exempla nos hoc ipſum recenſuiſſe; quod nunc, quaſi quoddam Euangeliũ, vt vos miſeros decipiat, vobis affert Caluinus veſter. Leo tertius, Iſauricus ille, ille Iconomachus, ille infamis, reclamante, &

repugnante Papa,Epiſcopos quotquot potuit, partim corruptos, partim minis abſterritos,Conſtãtinopolim perduxit: ibiq́; cùm eis perfecit, vt coràm ſe decretũ illud, inuito Papa, fieret,quod Caluinus dicit, *confringendas eſſe imagines*. ſic, vt neceſſe eſſet, quaſi ſubito haberi Concilium legitimum: quod conuocatum, coactum, & confirmatum eſt, ab Adriano Papa; fuitq́; Nicænum ſecundum, & verè generale ſeptimum. atque in eo Conciliabuli illius, cuius auctor Leo fuerat, acta omnia reſciſſa, antiquata, abrogata ſunt. Et nihilominus Caluinus huiuſmodi Conciliabulum his ſimplicibus, & miſeris affert; quibus alia cordi, & curæ ſunt, quàm hiſtoria Eccleſiaſtica, vel Conciliorum materia. ò ſcelus! ſaltem hic adeſſes mihi tu præſens, Sathanice deceptor, vt viderem, quo ore negare auderes, Paullum Patriarcham Conſtantinopolitanum, morientem, tàm ſcelerato Conciliabulo, quibuſcunque potuit modis, maledixiſſe: præſente Conſtantino Imperatore, & Iræne Auguſta. Sed nunc ite vos, infelices; & ijs Concilijs credite, quæ à miniſtris veſtris afferuntur: cum adeò lecta, & adeò probata ſint, quæ vobis affert Caluinus veſter. Ego, quid amplius dicam, neſcio; niſi cùm velit Caluinus negare, filium eſſe conſubſtantialem patri, poſſe eum Arrij ſcripta in medium afferre: quod perinde erit, atque afferre Concilium iſtud, vt imagines interdicantur. Alterum Concilium Elibertinum eſt, Can. 36. quod primò quidem habere ſpeciem aliquam videtur: cum dicit, *placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere*. atq; ego quamuis poſſem dicere, longe maiorem eſſe tribuendam auctoritatem generalibus Concilijs, ad quæ tot Epiſcoporum centena confluunt, quàm Elibertinæ Synodo, quæ Prouincialis fuit, & cui unde viginti tantùm Epiſcopi interfuerunt; attamen abſit omnis metus ſuſpitio. nõ enim, quod aduerſariorum proprium eſt, me in anguſtias conijcio: immò fateor omnia, approbo, concedo, & in ea iuro, quæcunq;

ſacro

ſacro illo Concilio decreta ſunt: quod verum eſſe nemo ambigat. nàm quia ieiunia pręcipit, Canone 23. illa libenter recipio. & quoniam ſacros ordines diſtinguit, Can. 19. & 29. & 33. & hoc probo. neque tamen ſcio, quam facile Caluinus decreta illa ratione ieiuniorum, & ſacrorum ordinum recipiet, qui nunc Canonem trigeſimum ſextum affert aduerſus imagines. ſed vt libet. Ego verò vos in primis monitos volo, quod etiam monui prius, fidei dogmata ſemper eadem eſſe, neque vnquam variari: ſed quæ ad mores pertinent, ſi nonnunquã, & aliquo tempore, & loco ſint vtilia; & aliàs, alioq; & loco, & tempore detrimentum afferant, immutari poſſe; immò immutanda eſſe: & ſanctam Eccleſiam à Spiritu Sancto eruditam, indies immutare. quibus in memoriam veſtram redactis, dico, imagines ad cultum diuinum non quidem eſſe neceſſarias, ſed maximè prodeſſe. quare, ſi vitandæ offenſionis cauſa ſtatueret Eccleſia in vna aliqua prouincia auferendas eſſe imagines, facere id ſuo iure poſſet. immò ſi Vniuerſalis Eccleſia, vt damnum aliquod impendens auerteret, remouendas eſſe imagines cenſeret; ego, qui mori mallem, quàm eius iniuſſu id audere, primus illas delerẽ: eadem porrò ratione, qua Concilium Elibertinum in illa ſola prouincia, & pro tempore illo tantùmmodò decreuit, vt tollerentur imagines; quod factum eſt: neque tamen id arguit, ſemper, & quocunque loco, auferendas eſſe. quinetiam expoſitionẽ aliam audite, & apertiſſimè cognoſcetis, Canonem illum non ſolùm quicquam aduerſus imagines non decernere, ſed etiam in earum honorem factum eſſe, & meæ cauſſæ mirificè fauere. nàm, ſi diligenter attendetis, comperietis, nunquam generaliter, atque vniuersè loqui de imaginibus, ſed ſolùmmodò de pictis: *placuit picturas non eſſe*. immò ad eas refertur, quæ in parietibus pinguntur, *ne in parietibus depingantur*. ſed hoc quid ad nos? dicam. inſectabantur, exagitabantq; impij homines ijs

tem-

temporibus Eccleſiam prouinciæ illius: crebroq́; neceſſe erat, miſeros Chriſtianos ſalutem fuga ſibi quærere, & templa deſerere: in quæ ingreſſi hoſtes ſceleris, & impietatis exempla edebant, cuiuſmodi ſuperioribus annis in Gallijs edita fuiſſe cognouimus. quocirca Epiſcopi illi, Sanctarum imaginum amore capti, ſanxerunt, vt pergerent populi, ad arbitrium ſibi imagines in ſtatuarum morem tela, vel tabulis, vel alia materia facere, charasq́; habere; dummodò aſportari poſſent in fuga. Sed ab ijs abſtinerent eo tempore, quæ in parietibus depinguntur, quoniā nimio dolore angebantur, cum abire cogerentur, & eas ludibrijs, contumelijsq́; hoſtium relinquere. hic verus eſt Cōcilij Elibertini ſenſus. quo ſi quid aduerſus imagines, an pro imaginibus ſtatuatur, veſtri ſit iudicij. præterea non ne imaginum cauſſam tuetur ipſum Nicænum Concilium? & Romanum? & quod apud Vſipetes, qui Francfordienſes dicuntur, coactum eſt? & Tridentinum? quis nàm igitur eſt, qui planè non intelligat & vtilitatem, & naturam, & legem, & Euangelium, & Eccleſiam, & Concilia, tùm nobis, tùm Sacris imaginibus fauere? Reſtant vetuſti patres, de quibus minimè mihi laborandum erit: nam hac cura mé nullo negotio expediam. Si quidem Caluinus concedit, cæteros omnes aſſentiri nobis, prætor quatuor, qui iudicio iſtius hi ſunt: Lactantius, Euſebius, Epiphanius, & Auguſtinus. ſed vos pauciſſimis verum audite: nam ad alia feſtinat animus. Lactantij, & Euſebij Caluinus nullum affert locum: dicit tantùmodò, *legantur, quæ de hac re Lactantius, & Euſebius ſcripſerunt, qui pro certo aſſumere non dubitant, mortales fuiſſe omnes, quorum ſimulachra viſuntur*. & ego dico, veriſſimum eſſe, dum vterque eorum imagines gentium deteſtatur, dixiſſe, in illis imaginibus nihil pro Dijs adoratū eſſe, niſi mortale. ſed hæc quid ad nos? ad nos certè pertinet, quod Euſebius libro tertio Vitæ Conſtantini ſcribit: nēpe è cœlo ipſo affulſiſſe Conſtātino Cru-

cem, à quo vocem hanc auditam; *in hoc ſigno vinces*. De Epiphanio verò gratum Caluinus fecit, cum eius locum attulit, qui pridem allatus item eſt ab hæreticis Iconoclaſtis. Et quidē Concilium Nicænum ſecundum ſic habet; *Eccleſia Catholica meritò deteſtatur, quando à beato noſtro patre Epiphanio dictum refertur, cum illius non ſit*. apage (Caluine audi) *cum iſta impia, & intolerabili allegatione: commentarium reijcimus, ipſum uerò patrem, Eccleſiæ Sanctæ Doctorem, agnoſcimus*. Verùm hæc ſunt, quæ à Caluino afferuntur, Conciliabulum Leonis, & locus Epiphanij adulteratus. Reliquus eſt Auguſtinus. ſed cum nullum eius locum Caluinus afferat; dicatq;, tantùm ab eo imagines improbari; nil aliud reſpondebo; niſi Auguſtinum ipſum lib. 1. cap. 10. de Conſenſ. Euangel. ita dicere; *Ethnici pluribus in locis Chriſtum, Petrum, & Paullum ſimul pictos viderunt: quia merita Petri, & Paulli etiam propter eandem paßionis diem, ſolenniter Roma commendat*. Et in tractatu de Viſitatione infirmorum. *Habent Chriſtianorum arcana illius dominicæ crucis, quaſi quoddam venerabile monumentum, quod de crucis ipſius imagine crucem cognominant; quod & nos digniſſimum veneratione fatemur, & in recordationem Crucifixi veneramur*. Et in Pſalmum 141. *vſque adeò de cruce non erubeſco, vt non in occulto loco habeam effigiem crucis Chriſti, ſed in fronte portare cupiam*: præter alios complures locos. quare, an etiam doctores imaginibus Sacris aduerſentur, an faueant, vos ipſi cognoſcitis. Vnum præterea Caluini mendacium referre volo, antequam huic diſceptationi finem imponam. negat enim iſte, nos ante Nicænum Concilium ſecundum ſacris imaginibus vſos fuiſſe. Sed quæſo vos, auditores, non ne ante hanc Synodum, quæ habita eſt anno 774. Gregorius Tertius ſeptuaginta Epiſcoporum Cōcilium Romæ coegit, aduerſus illud, quod à Leone Conſtantinopoli coactum erat? Et te ipſo iudice, Caluine, ſi Concilium Conſtantinopolitanū,

quod

quod imagines abrogauit, prius habitum eſt, quàm Nicænum; non ne neceſſe eſt, ante illud vſum imaginum incæpiſſe? Præterea anno 590. non ne Sanctus Gregorius Maſſilienſi Epiſcopo luculenter ſcripſit, vt caueret, ne nimij ſtudij ſtimulis concitatus, imagines auferret? & anno 328. non ne Athanaſius ſcripſit de miraculo ſtatuæ illius, quæ ſanguinem manarat? Et in ipſo Nicæno Concilio nō ne lecti ſunt de imaginibus libri ſcripti in Cypro à Leontio, Neapolis Epiſcopo, & à Sancto Baſilio, qui ambo vetuſtiſſimi ſunt? aliud iſtis agendum eſt, ò decepti, quàm vt effutiant verba, vbi nemo ſit, qui reſpondeat. Sed antequàm finem dicendi faciam, hęc addo pauca. Caluinus nos accuſat, quòd Idololatræ ſimus, quoniam imagines facimus, quæ poſtea ab alijs adorantur: at Sanctus Auguſtinus ſcribit, pinxiſſe Lucam Euangeliſtam plures imagines Mariæ Virginis; & ego nonnullas vidi: igitur vel Auguſtinus mendax eſt, vel Idololatra Lucas, vel non ſumus Idololatræ nos. Scribit & Euſebius Cæſarienſis libro Hiſtor. ſept. cap. 14. ab Hæmoroiſſa erectam Chriſto fuiſſe Cæſareæ Philippi ſtatuā: circa quam herbæ, quæ naſcebantur, ſanguinis profluuium ſiſterent. ergo vel mentitur Euſebius, vel mulieri illi Idololatræ, fauet ſua ipſius Idololatria, vel nos Idololatræ non ſumus. Nicephorus item ſcribit lib. 2. cap. 7. Chriſtum ipſum ſui vultus imaginem paruo linteo depictam, Abagaro Edeſſæ regi miſiſſe. igitur vel fallax Nicephorus, vel Idololatra Chriſtus, vel nullo modo nos Idololatræ. Denique, vbi nam gentium ſum ego, aut cum quibus loquor? hic adſum in tuo conſpectu, ſereniſſime Princeps, quem Deus ampliſſimo illo Sacro Sāctæ Sindonis munere beauit potius, quàm donauit: & vobiſcum, auditores, Auguſtæ Taurinorū loquor, vbi diligenter ipſa Sindon aſſeruatur. nimis, ah nimis in vos iniquus eſſem, ſi vos tàm ingratos putarem, vt imaginem hanc apud vos habentes reliquas ſacras imagines non coleretis. ò Sacra

cra

cra Sindon, ò Sanctiſſimum Lintheum, hinc etiam quàm demiſſiſſimè poſſum, te adoro. vos, vos reliquias appello, cæteris omnibus Sacris reliquijs anteferendas. per vos enim extremum pietatis officium Sacratiſſimo illi corpori pręſtitum eſt; neque vos vnam aliquam, ſed omnes ipſius corporis partes contigiſtis. Vos felicius etiam quodam modo, quàm Virginis Mariæ venter, corpus illud continuiſtis; quoniam illa, cum mortale eſſet, vos anima redeunte, immortale, iam factum ac deinceps perpetuò futurú. in vobis vera totius corporis effigies expreſſa eſt: formaq; & lineamenta omnia cernuntur. planè apparent verberum, & vulnerum notæ ſanguineæ: & adhuc ipſe Chriſti pretioſiſſimus ſanguis fumare propemodum videtur. in hac igitur vrbe, quæ Sacram Sindonem cuſtodit, tàm impura, tàm ſceleſta lingua reperietur, quæ malè loqui de imaginibus audeat? ò temeraria lingua, ſi qua nunc ades, te flammis deuoueo. tu forcipe exerenda, tu euellenda, tu pœna ignis punienda: qui te longe modeſtior, cum tota ædicula, & arca ipſa, in qua Sindon aſſeruabatur, maximo incendio conflagraret, attingere tamen, lambereuè Sanctiſſimam imaginem non eſt auſus. feliciſſimus es tu, o Princeps, tu ditiſſimus, tu potentiſſimus. ſit hæc effigies gemma tua, theſaurus tuus, tuum pręſidium: immo ſit liber, in quo legamus, & quàm magno honore colendæ ſint imagines Sacræ, & quàm iniquè nos ab aduerſarijs noſtris accuſemur. abite felices.

DISCEPTATIO

DISCEPTATIO XV.

Quæ docetur, in Sacramento altaris præſens re ineſſe corpus, & ſanguinem pretioſiſſimum Domini.

Aduerſus ea præcipuè, quæ Oecolampadius dicit: et item contra Caluinum lib. Quarto cap. 17. Sectio 12. & ſequentibus.

QVI nos accuſabant, (ſi memoria tenetis auditores) tria obiectabant; adorari à nobis Sanctos, adorari ſimulachra, & panem adorari: quocirca nobis Idololatriæ notam inurebant. Et quidem prima duo crimina, fauente Deo, ita diluimus, falſoq́; nos inſimulari tàm aperte demonſtrauimus, vt, qui de noſtra innocentia dubitet, iàm putemus eſſe neminem. quod autem tertio loco obijcitur, vti grauius, & momenti maioris eſt, ita maiorem habere difficultatem videtur. non ſanè quòd rationibus æquè firmis, clariſq́; nunc non innitamur, atque tunc, cum ſuperiora illa refellimus; ſed tribus alijs de cauſſis. prima eſt, quoniam cum Idololatria eò ſit deterior, quò vilior eſt obiecta res, cui cultum eum adhibemus, qui vni Deo tantùm adhibēdus eſt; certe Idololatria hæc tanto duabus illis ſuperioribus eſſet peior; quanto vilior eſt paruus panis Dei ſimulachro, vel ſancti hominis effigie. altera eſt, quoniam in alijs negamus, in hac verò concedimus. cum enim neque ſanctum adoremus Latria; neque vlla prorſus adoratione ſimulachrum adoremus; nunc hoſtiam illam conſecratam adorare nos, palàm, libereq́; confitemur. poſtrema eſt, quia ſacramenti huius myſteria cum ſint ab intelligentia, ſenſuq́; noſtro longiſſimè diſiuncta; quoniam & ſublimia ſunt, altiſſimaq́;, & noſtrę fidei ſunt experimenta; hinc arripuerunt occaſionem hæretici, conſpirandi, graſſandiq́; in nos: & quamuis in rationibus

nibus

nibus maximè inter ſe diuerſi ſint, & alius aliter ſentiat; hac in re propè omnes conſenſerunt, vt falſa opinione mentes hominũ imbuerent, atque ad credendum inducerent, fieri nequaquam poſſe id, quod difficilè percipitur. attamen *omnia poſſumus in eo, qui nos confortat*. & cum primas duas criminationes firmiſſimis rationibus facile refellerimus; nihil nobis diffidimus, quin & hanc etiam poſtremam refellamus. nàm, vbi aſſerunt iſti, deterius eſſe panem adorare, quàm imaginem, aut ſanctum aliquem; contra dicimus nos, longè maiorem eſſe Deum, quam ſanctum, aut imaginem. &, cùm dicunt, adorari à nobis hoſtiam illam; id fatemur verum; ſed addimus, illa in hoſtia Chriſtũ ineſſe. quod autem myſterium hoc omnibus alijs ſit longè ſublimius, & altius, hoc ad vos, ò auditores, pertinere dicimus: qui tamen pro diuino ſacramento illud agnoſcentes, quanto perceptu difficilius eſt, tanto decet, vos me dicentem attentius audire. Quòd ad me attinet, quæ me angunt magis, eadem me magis ſolantur: nempè diſcordia, varietaſq; opinionum hæreticarum. nàm, ſicut hinc firmiſſimè licet arguere, quàm manifeſta ſint, eorum mendatia; ita inde, cum ad plura ſermonem conuertere neceſſe ſit, vereor, ne quod diductum erit, paullo infirmius eſſe videatur. ſed nonnulla huic incommodo inueniemus remedia. Cum enim in hac materia hæreſes omnes ad capita duo præcipua redigantur; ideſt, ad hæreſim Oecolampadij, Zuinglijq; qui aſſerunt, in hoſtia non ineſſe Corpus Chriſti; & ad hæreſim Lutheri, qui quidem ineſſe concedit, ſed eſſe vult etiam panem; ego tribus diſceptationibus hanc materiam abſoluam. prima enim aduerſus Oecolampadiũ oſtendam, corpus Chriſti præſens ineſſe re in hoſtia conſecrata: altera contra Lutherum demonſtrabo, panem re abeſſe ab hoſtia conſecrata: tertia aduerſus vtrumque declarabo, quàm magno merito, iureq; nos de hac eadem hoſtia ſanctum etiam Miſſæ ſacrificium faciamus. interim ſi forte vos, ò Caluiniſtæ, commoue-

uere-

ueremini, doleretq́;, quòd adhuc nullam fecerimus de Caluino mentionem, perinde, atque in hæreſis materia ſe ab alijs ſuperari paſſus eſſet; ne ſoliciti ſitis. nam, quòd ad hæc attinet, de quibus agimus, in maiori hæreſi eſt, quàm cæteri omnes: ſed quoniam in omnes ſingulorum hæreſes ſe abiecit, & nulli magnopere adhæreſcere voluit; de ipſo loquendum non putamus. Et quam hodie putatis eſſe ipſius, non eſt; ſed eſt Zuinglij tota: præter ſomnium illud, vt ſpiritu edatur, & ore fidei: dum autem aliorum opiniones redarguit, ſeipſum confundit: quocirca, vt diximus, ab Oecolampadio initium faciemus, qui negat re ineſſe Chriſti corpus in hoſtia conſecrata: & in ea ſignum ſtatuit. Atque in primis, velim reminiſci vos, auditores, quàm importunè, odioſeq́; omnes hæretici id agant, vt nos ſemper verbo ſcripturæ ſacræ, quod literam vocant, mancipati ſimus, neq; ferre poſſint, vt ab ea vel expoſitionibus patrum, vel Concilij decretis, vnquam, ne latum quidem vnguem diſcedamus, ſic, vt eorum nonnullos, non pudeat dicere, *Verba diuina accipienda eſſe iuxtà Grammaticæ nudam intelligentiam; ita, vt nec liceat ei per angelum, nedum per hominem, vim vllam fieri; ne detur occaſio aduerſarijs ſcripturas eludendi*. nam etſi ego huic tàm iniquæ, fallaciq́; enuntiationi non aſſentior; neque concedo, perpetuò adhærendum literæ, quæ ſæpenumero occidit; nihilominus mihi gratiſſimum erit intelligere vos, ſi aduerſarij in hac diſputatione, quæ mihi cum illis ſuſcepta eſt, ſtare conditionibus, conuentisq́; voluerint, vt ab ipſa litera (quod tantopere extollunt, tamq́; magnifaciũt,) omnino non recedatur; id me libentiſſime probaturum. nulla enim reperiri poteſt litera, quæ noſtræ cauſſæ ſit aptior, eamq́; firmius tueatur, quàm Euangelij ipſius loci, quibus de hac ſancta cæna agitur. Ac primùm illum Matthæi affero, cap. 26. qui habet. *Cænantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditq́ diſcipulis ſuis, & ait: accipite, & comedite: hoc eſt*

corpus

corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens; bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. cum igitur ſcribat Matthæus, voluiſſe Chriſtum, poſtquam azimos panes, & agnum Luna decima quarta comederant, oſtendere, legali cœnæ finem impoſitum eſſe; & Euangelicam ſui ipſius corporis cœnam inſtitui, dictumq́; ab ipſo, *Hoc eſt corpus meum*, &, *Hic eſt ſanguis meus*; velim ab Oecolampadio ſcire, quamuis ſexcentis annis in hac vna cogitatione fixus eſſet, qua ratione Ieſus Chriſtus clarioribus verbis, magisq́; proprijs vti potuiſſet, vt nos certos faceret, quod ipſe dabat, veriſſime, & re ipſa eſſe ſuum ipſius ſanguinem, & corpus. attendite, auditores: non ego nunc quæro, an ſemper ſcripturæ ad literam prorſus exponendæ ſint, nec ne. Sed dico, id ab aduerſarijs conſtanter aſſeuerari: neque eos conari magis, quàm vt populis perſuadeant, nihil agnoſcendum pro vero, niſi quod propriè, clareq́; appareat in litera Scripturæ ſacræ. quæro igitur ego nunc, in eadem ne ſententia permaneant, an non. nàm ſi ſententiã mutarunt; malum certe, difficileq́; eſt, cum eo diſſerere, qui ne ſua quidem regula ſemper vti velit, ſed tum tantummodo, cum ei vtilis eſt. ſi vero, in eadem ſententia ſunt; literam affero, dicoq́;, cum Chriſtus expreſſis verbis apertè dicat, *hoc eſt corpus meum*; nimis iniquos nos eſſe, ſi verba detorqueamus, & eis vim afferamus: cenſeamusq́;, vt Oecolampadius interpretatur, dixiſſe Chriſtum, *hoc* ſignificat corpus meum: vel, vt Zuinglius, *hoc* eſt figura, vel ſignum corporis mei. *hoc eſt corpus meum*, dicit Chriſtus. arrigite aures, ò Sacramẽtarij. *hoc*, hoc quod præ manibus teneo. hoc, quod vobis porrigo. hoc, quod vos oculis carnis non cernitis; nam *caro non prodeſt quicquam*, ſed quod ſub ſpeciebus cõtinetur, quas cernitis. hoc, quod panis ſubſtãtiæ ſucceſſit. in ſumma hoc *eſt, eſt*, ò Oecolampadi, *non ſignat, nõ figurat, non ſignificat.* ſed eſt re ipſa,

Mat. 26

 verè,

verè, præſentia, eſſentia. ſine typo, ſine figura, ſine metaphora; ſine translatione, ſine imagine. *Corpus meũ, corpus meum,* ò Zuingli *non ſignum, non figura, non typus, non arrabo corporis mei: ſed corpus meum*. ita litera habet, ſic ſonant, & vrgent verba. atque adeò vrgent auditores, vt Lutherum puduerit, eas aliò detorquere. cumq; is rogaretur vt in Oecolampadij ſententiam iret; verba illa reſpondit, quæ adhuc Dei prouidentia in libris ipſius leguntur, ſcilicet, *libenter conſentirem*; animaduertite, quæſo, quẽ iſti ſibi finem proponant, *hoc enim pacto, me maximè crederem, poſſe incommodare Papatui*. ſed frænum aderat. *ſed nimis vrgent, & nimis clara ſunt illa verba, Hoc eſt corpus meum*. quare ſi ipſam eorum concluſionem amplectendam putamus, à propria litera recedere non oportere; an ego iàm vicerim ò decepti, & an litera de qua diſputatur à me ſtet, an ab ipſis, *hoc eſt corpus meũ, hic eſt ſanguis meus*; veſtri ſit iudicij. Verum non eos tàm acriter vrgere volo. Concedo igitur ſcripturæ verba quandoque intelligenda eſſe ad literam; quandoque non item. neque inficiari hoc iſti poſſunt: nam vtrumque iam conceſſerunt. primum caput, ſcilicet, cum dicunt, *à nuda litera non eſſe diſcedendum*. & alterum ſaltem hoc loco, cum hanc clauſulam; *hoc eſt corpus meum*, ad literam interpretandam, negant. Sed, cum ſcriptura ſacra intelligenda ſit, modò ad literam, modò ſecus; quæro ego an id vnicuique facere pro arbitrio liceat; an verò ſtatuenda ſit regula, à qua non aberrantes, quando nobis adhærẽdum literæ ſit, & quando ab ea diſcedendum, intelligamus. Et quidem ſi cuilibet liberum erit adhærere, vel non adhærere literæ, profectò Arrius literam tantummodò ſequetur, qua dicitur, *Pater maior me eſt*. Manichæus ad literam exponet, cum Chriſtus dicit; *Quotquot ante me venerunt, fures ſunt, & latrones*. Marcion propriæ literæ adhæreſcet, cum Paullus dicit, *lex ſubintrauit, vt abundaret delictum*. Nouatus ad verbum Paulli

locum declarabit, quo dicitur; *impoßibile eſt, eos, qui ſemel prolapſi ſunt, iterum per pœnitentiam renouari.* At contra, cùm ſcriptura dicit, *Creauit Deus cœlum, & terram*, figurata eſſe verba philoſophus affirmabit. cùm dicit, *plantauit paradiſum*, Origenes dicet, eſſe metaphoram. cùm dicit, *Deus erat verbum*, Arrius exponet, in figura Deitatis. cùm dicit, *Verbum caro factum eſt*, Manichæus declarabit, in ſimilitudinem carnis. quo circa vnuſquiſque hæreticus ad arbitrium ſuum totam ſacram ſcripturam interpretabitur: nàm, ſi vſus eius poſtulabit, ſenſum literæ ſequetur: ſin ſecus, continuò figuratum arripiet. Præterea, ſi diſſentiamus inter nos Arrius, & ego; velit autem ipſe locum illũ, *Deus erat verbũ*, per metaphorã, & ego ad literam intelligere; vel nullus vnquam finis imponetur liti, & nihil ſcriptura ſacra erit inſulſius, nihil implicatius, nihil obſcurius; vel ſtatui regulã neceſſe erit, ad quam arbitria noſtra dirigentes, apertè conſtet, quando literæ adhæreſcere, & quando ab ea diſcedere oporteat. quod quidẽ neque Oecolampadium, neq; hæreticũ quemuis aliũ impudentiorẽ, ſi quis eſt, negaturũ exiſtimo: res enim ipſa loquitur, & nimis manifeſta eſt. Sed quænàm erit hæc regula? hoc magnæ difficultatis eſt. nàm, ſi Eccleſiã conſulam, non aſſentientur. ſi concilia; ab eis refugient. ſi Patres, irridebunt. ſi hiſtoriam Eccleſiaſticam; eam non agnoſcent. & tamen, ſatis ſuperque iam probauimus, quanta ſit Eccleſiæ, & Conciliorum auctoritas: & paullo poſt, confugiendum eſſe ad Eccleſiam, & Concilia, vel ad Sanctos patres, & ad veteres hiſtorias, oſtendemus. Sed interim, cum regulas omnes noſtras aſpernentur, atque reijciant; ſi quam habent ipſi, in medium afferãt: Et ecce Caluinus veſter, hac in re cæteris ſimillimus, qui dicit, vbi locus aliquis Scripturæ ſacræ videatur obſcurior, & de illius interpretatione contingat, vt ambigatur, ſcripturam eſſe conſulendam, quibus locis eandẽ tractat materiam; & ſcripturam, quaſi hominum, & Angelorũ tru-

tinam, (vt eius verbis vtamur) locos illos difficiliores alijs locis declaraturam. quaſi verò auditores de hoc etiam altero capite lis conciri non poſſit. Sed hodie certũ,& ſtatutũ eſt mihi,nõ eis repugnare,ſed facere,quæ iſti velint. quare volẽs,libensq́ue ſcripturam ipſam,ipſos diuinarũ literarum libros cauſſæ noſtræ iudices agnoſco,accipioq́; quòd,ſi ſcripturæ locus huic manifeſto cõtrarius reperiretur,fateor,neceſſe eſſet,eorũ alterũ per figurã exponi. atque,vt intelligamus,an illa Matthæi verba, *Hoc eſt corpus meũ*, ad literã exponenda ſint,an verò per figuram accipienda;nõ recuſo,quin oẽs eos locos,quibus Euchareſtiæ materia tractatur, perquiramus, diligenterq́; perpendamus. illa ẽt meliore, cõmodioreq́; conditione pro eorum cauſſa,quam pro noſtra: vt ſi reperiatur vel vnus tantũ locus,quo Chriſtus dixerit,panẽ eſſe ſui corporis figurã,vicerint ipſi: neq; tamẽ vincere poſſimus nos,niſi oſtẽdamus,oẽs alios ſcripturæ locos,hùc pertinentes,tàm ſynceros,tã ſine typo eſſe,quã hic ipſe eſt,de cuius interpretatione quærimus. Atque,vt initium ab ijs faciamus,quibus,ipſius cænæ narratur hiſtoria,ecce Marcus cap. 14. *Manducantibus illis,accepit Ieſus panẽ, et benedicens fregit,et dedit eis,& ait: ſumite; Hoc eſt corpus meum. et accepto calice gratias agens,dedit eis,et biberunt ex illo omnes,et ait illis: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur*. ſatis vos,vt arbitror apertè cognoſcitis,an hoc loco figura vtatur; an verò Marcus etiam eadem clauſula dicat; *Hoc eſt corpus meũ*. & paullo poſt; *Hic eſt ſanguis meus*. atquì aliter fortaſſe narrabit Lucas, atque vt nobis Chriſti ſenſum patefaciat,Chriſtum inducet, panem,& calicem alijs verbis fortaſſe figuratis,porrigentem.

Luc. nihil minus. Ecce verba cap. 22. *Et accepto pane gratias egit, & fregit,& dedit eis,dicens: Hoc eſt corpus meum,quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. ſimiliter & calicem poſtquam cœnauit, dicens, Hic calix eſt nouum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur*. hactenus nuſquam adeſſe verbum, quod

figuras

figuras eleat, innuatuè, apertè cognoſcitis. nunc Paullum audiamus, eandem cœnam narrantem, prima ad Corint. cap. 11. *Ego enim accepi à domino, quod & tradidi vobis, quoniam dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit, Accipite, & manducate. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. hoc facite in meam commemorationem. ſimiliter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens; hic calix nouum teſtamentum eſt, in meo ſanguine.* quæſo te, Oecolampadi, credibiléne eſt, ſi verba hæc eſſent per figuram intelligenda; Matthæum, vel Marcum, vel Lucam, vel Paullum, vel denique eorum aliquem, qui ſcripſerunt hiſtoriam, ne minimum quidem figuræ dediſſe indicium; ſed omnes literæ inhæſiſſe, & vno ore dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum? & hic eſt ſanguis meus?* quid dicis? non æquum fuiſſe eos ab ipſis Chriſti verbis diſcedere; & idcirco, allata ſimpliciter ab eis eadem verba, quæ dixerat Chriſtus, *Hoc eſt corpus meum*. primùm reſpondeo, ſæpenumero, quod ab hoc Euangeliſta dictum eſt; idem ab illo alio modo fuiſſe dictum, vt illius rei ſenſus, quæ tractabatur, clarior euaderet: præterea, Spiritum Sanctum interpretum verba, quandoque mutare, vt magis declaretur ſenſus. quemadmodum factum eſt, in libro Græco, qui habet, *Si eum volo manere*, & in latinum conuerſus habet; *Sic eum volo manere*, vt intelligeremus, eo locò particulam, *ſi*, nullam ambiguitatem, dubitationemuè relinquere; ſed exploratum id, & certum eſſe. Verumtamen ita eſtò. fac, vera eſſe, quæ dicis; ſcilicet, in ijs locis, quibus narratur hiſtoria, Chriſti verbis detractum nihil, nihil additum, nihil immutatum: & quamuis ea intelligenda eſſent per figuram; attamen, vt id ad verbum referretur, quod ab ipſo dictum fuerat, relata verba fuiſſe ſine figura: Sed veriſimile ne eſt, vt Paullus, cùm hanc materiam alia occaſione tractaret, vel de hoc myſterio loqueretur; non vt id propriè referret, quod ſuo

ipſius ore Chriſtus protulerat, ſed vt ſponte ſua diceret, quę ſentiebat, ſaltem ſemel figuram ſubeſſe, non ſignificaſſet? profectò, auditores, non ſemper de hoc Sacramento egiſſet, vti verè de corpore, & verè de ſanguine Chriſti, ſi nil aliud, quàm figuram eſſe cognouiſſet. Et tamen ad Corinth. pri. cap. x. ſcribit, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonnè communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* neque dicit, figura ſanguinis Chriſti. Et eodem loco addit; *Et panis, quem frangimus, nonnè participatio corporis domini eſt?* non autem dicit; figura corporis domini eſt. Et capite ſequenti dicit; *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis domini:* non autem dicit, reus figuræ corporis, vel figuræ ſanguinis domini. Et capite eodem dicit, *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus domini:* non autem dicit, non dijudicans figuram corporis domini. in hiſce locis, auditores, loquitur Paullus de Sacramento hoc, & loquitur ſemper, vt de Chriſti vero corpore, & vero ſanguine. cenſetis nè vos, ſi illud eſſet tantummodò figura, vel ſignum, fieri potuiſſe, vt Paullus ſaltem ſemel verum nobis non aperuiſſet; & voce hac ſcilicet, *figura*, vel *ſignum*, vſus non fuiſſet? Sed Paullum omittentes, quid conſultius facere poſſumus, quàm vt Chriſtum nobis iudicem ſumamus? & eo tempore ſumamus, cum ipſe de hac controuerſia iudicium fecit? apud Ioannem cap. ſexto auditores, cùm Chriſtus poſt diuinitatis panem, de Sacramenti huius pane, loqui cæpiſſet, aperteq; diceret, ſe velle ſuam carnem in cibum dare, & ipſum ſuum ſanguinem in potum; dicit Euangeliſta, dubitationem eandem Capharnaitarum animos pupugiſſe, quæ nunc Oecolampadij animo negotium faceſſit. cumq; eis nimis arduum videretur, Chriſtum non per figuram, ſed verè locutum eſſe, ſe carnem ſuam daturum in cibum, rem in quæſtionem vocaſſe. videamus, igitur, an eo loco

Chriſtus

Chriſtus errorem eis adimat, & an declaret, quæ verba dixerat, ſe in figura dixiſſe. *Panis, quem ego dabo caro mea eſt*. hoc primùm proponitur à Chriſto: neque dicit, figura carnis meæ eſt, ſed *caro mea eſt. quomodo poteſt hic carnem ſuam dare ad manducandum?* hæc eſt Capharnaitarum quæſtio: quaſi à Chriſto quærerent, an eius verba ad literam interpretanda eſſent, an per figuram. nunc Chriſtum, ſua ipſius verba declarantem, audite. amen amen, (iuramento addito, quoniam arduum, difficileq; vobis videbitur) *niſi manducaueritis carnem filij hominis*, non figuram filij hominis: *Et niſi biberitis eius ſanguinem*, non figurā; *non habebitis vitam in vobis.* bone Deus, quamuis prius locutus eſſet ex ſenſu ipſius literæ, cum nunc videret, inde dubitationē oriri, non ne exiguæ charitatis indicium dediſſet, niſi quod dubium illis videbatur, hoc loco declaraſſet. Accedit etiam illud, (attendite diligenter,) quòd vt illi non vererentur, ne ſatis clare adhuc non expreſſiſſet, ſe de figura non loqui, ſed de ſuo ipſius corpore, eadem iterat; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem*, non figuras, *habet vitam æternam.* poſtremò illud mirum adeò videtur mihi, vt propemodum obſtupeſcam; illum ipſum, vt omnem figuræ ſuſpicionem euellat, explicatè, & clariſſimè dicere, hæc verba non intelligi *per figuram*, ſed *verè. caro mea verè*, non per figuram, *eſt cibus. & ſanguis meus, vere* (notate illud, *verè*, non per figuram) *eſt potus*. & rurſus dicit, *qui manducat meam carnem*, non figuram, *& bibit meum ſanguinem*, non figuram. *in me manet, & ego in illo*. & paullò poſt: *qui manducat me*, non figuram, *Et ipſe viuet propter me*. animaduertite, quæſo vos, an differens cū Oecolampadio Chriſtus, poſſet in id vnum eſſe intentior, & vehementius id agere, vt veritatem probaret, & figuram excluderet huius Sacramenti, quàm ea diſputatione, qua Capharnaitas edocuit. ò pertinaciā, ò animi duritiem eorum, qui veritatem huius rei ne videant,

oculos auertunt! ſi igitur verba ſemper intelligenda ſunt ad literam, vt iſti cenſent; vicimus: nam litera à me ſtat. *Hoc eſt Corpus meum*, ſin interdum verba accipienda ſunt per figuram, cum tamen ex alijs ſcripturæ locis figura colligitur, vt Caluinus vult; hoc etiam modo ſuperiores diſcedimus. non ſolùm enim in alijs locis, quibus hæc materia tractatur, nullum apparet figuræ veſtigium, ſed etiam, cùm Paullus ſemper ſentit, veram eſſe carnem, & verum ſanguinem; tùm Chriſtus ſeipſum explicat, & verba ſua declarat; diſerteq; docet, hic figuram non eſſe, ſed veram & ſui corporis re ipſa præſentiam. Sed ſanè fallax eſt ea regula, quam Caluinus affert; confugiendum ſcilicet eſſe ad alios ſcripturæ locos, vbi in locum difficilem, & ſubobſcurum incidimus. nam poſſet ſecundo item loco, & tertio oriri controuerſia, & lites ex litibus ſererentur, nullum vnquam finem habituræ. Vera quippe regula eſt, vt Eccleſiam, & Sanctos patres conſulamus, quod ego ſuperioribus diebus manifeſtò probaui, & eo modo interpretemur, quo ipſi tot ſeculis interpretati ſunt. qua in re, quis ignorat Theofilactum, cuius liber ab Oecolampadio ipſo conuerſus eſt, in ſextum cap. Ioannis, dicere? *Attende autem, quod panis, qui à uobis in myſterijs manducatur, non eſt tantùm figuratio quadam carnis domini, ſed ipſa caro domini*. Cyrillus autem dicit eodem loco. *Sanctum Chriſti corpus, ad immortalitatem, & uitam æternam nutriens, cibus eſt*. & paullo poſt; *Verus potus eſt ſanguis Chriſti*. & Chryſoſtomus item eodem loco dicit; *Hic panis, propter aduenientem ei ſpiritum, panis cæleſtis efficitur*. Et Auguſtinus Tractatu 26. in Ioannem de hoc Sacramento loquens, ait; *in hoc vero cibo, & potu, idest corpore, & ſanguine Domini*. Et Caſſiodorus in Pſalmũ 109. loquẽs de Sacerdotio Melchiſedech, dicit; *Cui enim poteſt veraciter, & euidenter aptari; niſi domino Saluatori, qui corpus, & ſanguinem ſuum in panis, & vini erogatione ſalutariter conſecrauit?* Et Am-

broſius

broſius in Quarto de Sacrament. dicit; *Vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit Corpus Chriſti*. Et Hilarius lib. octauo de Trinit. poſtquàm nonnullos attulit locos ex his, quos ego paullo ante attuli vobis, addit, *De veritate*, non de figura, *carnis, & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus*. Et Cyprianus in expoſitione orationis dominicæ dicit; *qui ſeparatus eſt ab Euchareſtia, ſeparatur à Chriſti corpore*. Et Origenes Homil. ſept. in librũ Num. de hoc loquens Sacramento, dicit; *caro verbi Dei eſt verus cibus*. Et Leo Papa Epiſtola ad Conſtantinopolitanos dicit; *In Eccleſia Dei omnium ore tàm conſonum eſt, ut nec ab infantium linguis veritas corporis, & ſanguinis Chriſti inter communis fidei Sacramenta taceatur*. Et Iræneus lib. quinto aduerſus hæreſes dicit; *fit Euchareſtia corporis, & ſanguinis* Chriſti. Et Ignatius Epiſtola ad Romanos dicit; *panem Dei voco panem cœleſtem, panem vitæ; qui eſt caro Ieſu* Chriſti, *filij Dei uiui*. & totum Concilium Epheſinum Epiſtola ad Neſtorium hanc docet veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchareſtia. Et Concilium Vercellenſe, Turonenſe, & Romanum Berengarium compulerunt, vt hunc ipſum Oecolampadij errorem abiuraret. Et Concilium Conſtantienſe huius hæreſis Vuitcleffum condemnauit. Et denique Tridentinum Concilium docet; *in Euchareſtia Sacramento, poſt panis & uini conſecrationem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum, atque hominem vere, realiter, & ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri*. præter alios innumerabiles locos & Conciliorum, & patrum, qui poſſent afferri. ſed iàm id ſatis intelligunt hæretici: & paucis exceptis locis, exiguis ſanè, & maximè detortis, de quibus, paullo poſt dicemus, fatentur, patres omnes, & omnia Concilia noſtram cauſſam tueri. tùm omnem operam dant, vt vos, ò decepti ſecũ potius, quàm cum patribus, & Cõcilijs omnibus ſentiatis. qua ratione, quóue conſilio, cum liqueat vobis, ipſi viderint. Hactenus litera à me

ſtat:

ſtat: Scriptura omnis, mecum conſentit: cuncta Concilia, cunctiq; patres in hoſtia veritatem corporis, & ſanguinis Chriſti, non figuram agnoſcunt. Sed abijciamus hæc arma; & præſidia hæc omnia hæreticis largientes, aliam viam ineamus: & cum regulæ nonnullæ reperiantur, vt Auguſtinus docet libro de Doctrina Chriſtiana, quibus, an Sacræ Scripturæ locutio figurata ſit nec ne, facile dignoſcimus; ijs vtamur. Quatuor in præſentia regulas vobis afferimus, quibus apparet, an in ſermone aliquo figura ſit. primo loco, ſi verborum circunſtantiæ quas vocant, figuram oſtendunt. ſecundo loco, ſi tempus, & occaſio poſtulabant, vt figurata verba vſurparentur. Tertio, ſi locum ad literã intelligendo, aliquid inde oriretur, quod eſſe non poſſet. poſtremò, ſi ſaltem aliquid oriretur, quod eſſet abſurdum, & à ratione alienum. Quæramus nunc, quòd ad hæc verba attinet; *hoc eſt corpus meum*, an ſint in circunſtantijs, dictiones aliquæ, quæ figuram oſtendant. an cùm ea Chriſtus protulit, tempus poſtularet, vt per figuras loqueretur. an huius faciendi myſterij poteſtatem non haberet. an id abſurdũ eſſet: cæterùm clara erunt omnia. ac primo, cum intelligendum eſt, figuram ſubeſſe; neceſſariò oportet addi ſemper aliquid, quod ipſam figuram innuat. quemadmodum clauſulæ illi, *Ecce agnus Dei*, continuò additum eſt, *qui tollit peccata mundi*. & clauſulæ illi, *Ego ſum uitis*, confeſtim additur, *& uos palmites*. & ijs verbis, *Tu es Petrus*, quæ alia lingua leguntur, *Tu es petra*, ſubito additur, *& ſuper hanc petram, ædificabo Eccleſiam meam*, & idem de alijs. Sed hic, cum Chriſtus conſecratam hoſtiam Apoſtolis porrigit, dicitq;, *Hoc eſt corpus meum*, quodnàm verbum adeſt, quo figura ſignificetur, vel quæ circunſtantia, quæ figuram demonſtret? certè, quòd ad circunſtantiam attinet, contrà potius ſentiendum eſt. videtur enim quodammodo vereri Chriſtus, ne verba figurata eſſe exiſtimentur: atque, vt oſtendat, ſe loqui

de

de ſuo vero corpore, & de ſanguine re vera ſuo, addit illa verba, *quod pro vobis tradetur: qui pro vobis effundetur*. quòd verò ad verbum ſpectat, non ſolum non dicit, *ſignat*, vel *figurat*, vel id genus alia: ſed vtitur verbo, *eſt*, maximè proprio, efficaciq; præ alijs omnibus, quæ reperiri poſſint, dicitq;, *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*. quare ego nunc cum Oecolampadio non ſum diſputaturus, auditores, an interdum in diuinis literis hoc verbum, *eſt*, accipiatur pro, *Significat*. ſed illud planè affirmo, quos locos ipſe affert, vt id probet, eorum vtrumque eidem iſti aduerſari. nàm cùm Chriſtus dicit, *Ego ſum uitis vera*, ſine dubitatione non poteſt intelligi, *ſum*, ideſt, *ſignifico*: Chriſtus enim *non ſignificabat vitem*, ſed potius, *ſignificabatur à vite*. quo ſenſu, ſi acciperetur, *hoc eſt corpus meum*, id intelligeretur, *vt panis ille ſignificaretur à Chriſto*: quæ quantum inter ſe conſentiant, ſatis apparet. Et Paullus pri. ad Corinth. cap. 10. cum dicit, *Petra autem erat Chriſtus*; loquitur *de petra ſpirituali, & conſequente eos*: quæ petra ſine dubio *non ſignificabat Chriſtũ*; ſed *erat ipſe Chriſtus*. quocirca verbum, *Erat*, eo loco ſibi vult, *eſſe*, non autem eum explicatum habet, ideſt, *ſignificat*. ſed vti dixi, de his ego diſputare nolo. Demus autem, nonnullis diuinarum literarum locis verbum, *eſt*, interpretari, ideſt *ſignificat*; conſequensné tamen videretur tibi, ò Oecolampadi, vt etiam hic eodem ſenſu accipiendum eſſet? animaduertere oportet, an id patiatur locus: atque vt rectè animaduertere poſſimus, prima regula circunſtantia eſt; quæ à nobis ſtat; quia continuò additur, *quod pro uobis tradetur*, & *qui pro uobis effundetur*. Accipiamus ſecundam regulã; quæramusq; ab Oecolampadio, an tùm, cùm Chriſtus dixit, *Hoc eſt corpus meum*, tempus poſtularet, vt is ſui corporis figuram inſtitueret, nec ne. Et quidem, auditores, res mihi videtur in tanta luce poſita, vt nullus dubitationi locus relinquatur: quęſo vos diligenter attendite. nonné ante

aduen-

aduentum Chriſti *omnia in figura contingebant eis?* nonne, cùm aduenit Chriſtus, *aduenit plenitudo temporis?* & ipſe indies figuras adimplebat, ſic, vt iàm moriturus exclamare poſſet, & iure ſuo dicere, *conſumatum eſt?* hoc certè tàm eſt apertum, vt omnibus pateat. igitur dum vixit Chriſtus, tempus non poſtulabat, vt figuras inſtitueret. & quanto propius aberat à morte, tanto magis eum oportebat figuras adimplere, & eis finem imponere, non nouas facere. quare propè obſtupeſco, quæroq; ò Oecolampadi, quare tu cenſeas, Chriſtum eadem ipſa nocte, quæ mortem ipſius anteceſſit, corporis ſui figuram inſtituere. tùm velim mihi reſpondeas, qua ratione affirment Doctores omnes, poſtremam agni cænam ab eo fuiſſe factam; niſi vt finis fieret figuræ mortis; quam agni immolatio præmonſtrarat? cur igitur in eadem cœna, quam ea præcipua de cauſſa dabat, vt figuras terminaret, cenſes tu fatue, ab eo figuras inſtitui? quòd ſi demum aliquam corporis ſui figuram relinqui Eccleſiæ volebat, non ne iàm in Eccleſia erat, Agnus ſcilicet? & cum vnam haberet Eccleſia, quid opus fuit alia? à malitia ne diſcedas, ſed ad tuas calliditates redeas; dicaſq; voluiſſe quidem Chriſtum Eccleſiæ corporis ſui figuram relinquere, ſed ab ea diuerſam, quam habuiſſet Synagoga. bene quidem. id ego nunc diſputandi cauſſa concedo. Verùm ſi Eccleſia dignitate, nobilitateq; longè Synagogæ antecellit, quod tu ipſe fateris, & agnus, quoniam anima præditus eſt, nobilior eſt pane; cur præſtantiori, digniorię; congregationi ſignum ſui corporis ignobilius reliquiſſet? fugã, Oecolampadi, moliris, fugam adornas. in ſumma, caput eſt, finitas ab eo poſtrema illa nocte figuras; & exhibita, quæ figurata erant. quocirca finem, imponens legali cænæ, qua comedebatur Agnus, initium cæpit Euangelica cæna, qua datur panis *tranſubſtantiatus* in corpus eius: *Et hæc eſt fides Catholica*. quare quã-uis ad comedendum panem Cathecumenorum, qui erat (vt Augu-

Auguſtinus ait. de peccat. merit. & remiſſio.) *ſignum corporis Chriſti*, reciperentur etiam ipſi Cathecumeni; hunc panē, ideſt, hoſtiam conſecratam, ne cernere quidem eis licebat. quòd ſi is fuiſſet tantummodò figura, cur inter vtrumque ſtatuenda fuiſſet, tàm magna differentia? denique vt figuræ ſtatuerentur, tempus illud non poſtulabat: neque circunſtantiæ vllo modo figuras indicant. Quare ergo, ò Sacramentarij, figuras inſtitutas putatis? Ecce tertiam regulam; quoniam ſi ad literam hęc clauſula intelligatur, id conſequi videmus, quod eſſe nullo pacto, quod fieri nunquàm poteſt. quomodo enim poſſit Deus panē illum conuertere in ſubſtantiam corporis Chriſti, vel facere, vt in hoſtia illa inſit corpus Chriſti, neque locum tamen obſideat? ò arrogantiam, ò inſolentiam, ò ſuperbiam, diaboli ſuperbia longe deteriorem! vel ipſi Deo, ò ingrati iniuriam, & contumeliam imponitis? ipſi ne etiam Deo omnipotentiam auferțis? Et tamen *omnia quæcunque voluit fecit*. & *non eſt impoßibile apud Deum omne verbum*. & *omnia tibi poßibilia ſunt*. Et tamen in diuinis literis omnipotentia Dei nihil clarius eſt, nihil illuſtrius, nihil certius. quòd attinet ad ſubſtantiæ conuerſionem, vel Diabolus ipſe agnouit, conceſſitq́; fieri poſſe, cum dixit; *Si filius Dei es, dic vt lapides panes fiant*. quo circa quemadmodum ex his verbis, *Si filius Dei es*, Tertullianus colligit, cùm Diabolus eum filium Dei fateatur, in minori hęreſi Diabolum eſſe, quàm Arrium; ſic ego colligo, Diabolum in minori hæreſi eſſe, quàm vos; cùm vos conuerſionem ſubſtantiæ negetis, ipſe concedat. ſed de *tranſubſtantiatione* ſermonem, in craſtinum differemus. Cæterùm poſſem oſtendere, vel ſi cum ipſis philoſophis diſſererem, aliquid corpus eſſe, neque locum obſidere, inter ſe non repugnare. nàm *omne prius, poteſt ſeparari à poſteriori*. in corpore autem, prius eſt *eſſentia*, quam *actio*. igitur conſequens eſt, prius eſſe corpus, quàm locum obſidere. Præterea, ò docti,

cum

cum omne *abſolutum* diuelli, atque abſtrahi poſsit ab eo, quod cum alio confertur, poteſt manere quantitas cum eo ſitu, qui eſt affectio ipſius, & ſignificat eius partium ordinem inter ſe; nulla habita ratione ſitus, qui eſt categoria collationis; & quomodo partes affectæ ſint ad id quod locans eſt, ſignificat. ſed noſtri conſilij non eſt, vt in hiſce diſceptationibus hoc modo diſſeramus. Vos verò ſimplices, & decepti, non ne creditis, à Deo creata ex nihilo omnia? Deum ſine quantitate locum omnem implere? animam corpori noſtro, quamdiu viuimus, alligatam? pueros in ardenti fornace igne non exuſtos? in Deo vnã eſſentiam in tribus perſonis? in Christo duas naturas in vno, eodemq; *ſuppoſito?* mortuos ad vitam redituros? igne cruciatum iri animas? & ignem eiuſmodi fore, vt exurat, neque conſumat? hæc quidẽ omnia factu difficilia ſunt, non minus, quàm ſi corpus aliquod locum non obſideat. cùm autem Deus ea faciat; quare & hoc non faciet? Præterea, cum hoc ipſum Christi corpus locum non obſideret, è ventre virginis egrediẽs; neque prodiens è ſepulchro, neque ad Apoſtolos ianuis clauſis perueniens, neque in cœlum penetrans, neque ad iudicium veniens locum obſidebit, neque cum facto iudicio, reuertetur ad cœlum; quare non poteſt etiam in illa ineſſe hoſtia, neque locum obſidere? quia id Theodorus Beſa non probat? quærenda ſunt vobis alia perfugia. omnipotens eſt Deus, omnipotens, inquam eſt, auditores. quare ſub panis illius ſpeciebus poſſe corpus ſuum, & ſanguinem dare, id exploratum, & certiſſimum eſt. Neque item dubitandum eſt (quòd ad quartam regulã pertinet,) cùm poſſet, quin vellet. & non ſolùm non fuit abſurdum, verùm etiam, maxime decuit, ſponſæ diſcedentem munus relinquere, tanti pretij, vt theſauris omnibus antecelleret; nempe ſuum ipſius corpus, & ſanguinem. nàm re vera, cùm vellet hoc ſacramento & fidem noſtram experiri, & ſpem erigere, & inflammare

cha-

charitatem; quod nàm maius fidei noſtræ fieri periculum potuit, (vt cras oſtendam,) quàm vt aliud nobis videndum, aliud credendum eſſet? quo maiori pignore ſpes noſtras poterat excitare, quàm ſemetipſum largiendo? qua ratione amore ſui magis inflammare, quàm hoc chariſſimo munere? itaque quàm id aptum, quàm conueniens fuerit, nemo iàm non videt. Eò magis, ſi perpendamus de qua re dominus agebat, & cum quibus loquebatur: & cum eiuſmodi materiam tractaret, & cum ijs hominibus loqueretur, an res poſtularet tropis, & figuris vteretur inſtitutum tunc à domino fuiſſe ſacramentum, ne aduerſarij quidem noſtri inficiantur: atque ijdem æſtimare facile poſſunt, an in tanti momenti, tantique periculi re vtendum eſſet figuratis, aut ambiguis verbis. Geneſ. cap. 17. vbi inſtituitur circumciſio verba ſunt aperta, clariſſimaque: Similiter Exodi cap. 12. vbi de Paſchali agno agitur, & in omni Leuitici parte, in quo agitur de ſacrificijs, & expiationibus. Matthei cap. vlt. Marci cap. vlt. & Ioannis 3. quibus locis inſtituitur baptiſmus, nihil explicatius, nihil clarius. & nos tàm inſani erimus, vt putemus, cum dominus ſacramentum omnium præſtantiſſimum inſtituit, ſe ſe voluiſſe in figuras, metaphoraſque conijcere, vt interpretes de verborum ipſius expoſitione inter ſe ad digladiandum inducerentur? profectò credibile non eſt. præterea his verbis ſuum nouum teſtamentum facit. *hic eſt ſanguis noui teſtamenti. hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine*. & quando, quæſo, magis vtendum eſt verbis proprijs ſimplicibus, perſpicuis, quàm vbi conditur teſtamentum? Exodi cap. 24. vbi ſanguine vetus teſtamentum confirmatur, verba omnia aperta ſunt, maximeque dilucida. Iacob, Dauid, Tobias, Mattathias, cum teſtamenta facerent, non translatis, ſed vſitatis, apertis, proprijs verbis fecerunt. ipſa teſtamenta, quæ quotidie paſſim ab hominibus fiunt, Paullus ad Galath. cap. 3. affirmat, tam

clara

clara eſſe oportere; vt nemo audeat aliquid addere, vel demere. quin etiam ciuiles leges l. non aliter de legatis 3. iubent teſtamēta proprie prorſus explicari, quòd ſi quis agrum teſtamento legaſſet ridiculum eſſet intelligi, figuram agri legatam. quare, ſi dicatur dominum in ſuo teſtamento non ſolùm per allegorias, ſed etiam per ænigmata locutum fuiſſe; nihil erit abſurdius. accedit, quòd in teſtamento domini incertum eſt fœdus, & pactū. nos enim cæli hæredes inſtituit, ſi mandata ſeruauerimus; & cuiuis patet, pactorum conditiones, ſi quæ aliæ, ſimplices, dilucidas, clariſſimasque eſſe oportere. præſertim, cum dominus nō cū turbis, neque cum phariſeis loqueretur: ob quorum vel malitiam vel imperitiam minus apertè, atque in parabolis tantùmmodò loqui vellet. nam ſermo eius erat cum Apoſtolis, *quibus datum erat noſſe myſteria regni dei:* atque de Sacramento illo loquebatur, quod iam, iamque ſumpturi erant. quod, ſi qua dicebar, reuerentia, pietateque erat ſumendum; neceſſe fuit illis ab ipſo clariſſimè explanari, diciique vti factum eſt, illud eſſe ſuum proprium corpus. quare vti decuit apertè, dilucideque locutus eſt. ſic, vt poſſim, & ego quod dixi, iam duobus verbis repetere, Oecolampadi, pugnæ ſcilicer, & concertationis huius communi omnium iudicio, nos adeptos eſſe victoriam. nam pro nobis ſunt, & locus ille clariſſimus verborum Chriſti, & ſcriptura ſacra, & patres, & Concilia, & verborum circunſtantiæ, & temporis ratio, & præterea docuimus, rem fieri, & potuiſſe, & maximè conueniſſe. nunc reſpiremus.

PARS ALTERA.

VUltis ne cognoſcere, auditores, quàm vana, atq; ab omni ratione aliena ſit, hæc opinio Oecolampadij, atque Zuinglij Euchareſtiam, videlicet Sanctiſſimam aliud non eſſe, quàm

ſignum

ſignum corporis Chriſti, vt erat Agnus, & manna? vel ipſum Caluinum pudet eam ſequi, quamuis auidè cupiat. & cum à Lutheri ſententia diſſentit; (nullo enim modo vult hanc veritatem agnoſcere, vt in Euchareſtia inſit corpus Chriſti) nihilominus Oecolampadium reijcit, quòd aſſerens in ea non contineri, niſi ſignum; veritatem corporis ab hoſtia conſecrata pœnitus excludat. De Luthero malè ſentit, & ei aduerſatur: quoniam *corporalem Chriſti præſentiam, talem relinquere videtur, qualem tunc omnes concipiebant*. neque tamen audet, Zuingliũ, & Oecolampadium ſequi, quoniam nimis indignum turpeq́; eſſe videtur, quod ab illis aſſeritur; ſcilicet nihil hic adeſſe, præter ſignũ: & quantum ab eis diſſentiat, his verbis oſtendit; *dum in hoc toti incumbebant, vt aſſererent, panem, & vinum corpus Chriſti uocari, quod ipſorum ſigna ſint; non cogitarunt, ſibi hoc interea ſimul agendum, vt adiungerent, ita ſigna eſſe, vt nihilominus veritas cum eis coniuncta ſit*. animaduertite hoc diligenter. Et paullo poſt dicit, non debuiſſe eos, *veram*, (appellat veram) *communionem obſcurare, quam nobis hoc Sacramento dominus in corpore, & ſanguine ſuo exhibet*. ò miſerum Caluinum, quomodo hùc, illuc impellitur! hinc malitia propria; illinc rei veritate. Denique apertiſſimè conſtat, articulum hunc, quòd in hoſtia inſit re vera corporis Chriſti præſentia, nimis clarum, & exploratum eſſe: cum ei neque Lutherus, neque Caluinus, audeant aduerſari. Lutherus quidem, (ſi memoria tenetis) dicebat, ſe libenter negaturũ: *ſed nimis clara eſſe illa uerba, Hoc eſt corpus meum*. Caluinus verò ex hac parte, aduerſus Lutherum, nollet concedere eã reipſa præſentiam corporis, quam Lutherus concedit: ex altera, pudet eum cum Oecolampadio ſentire, diceréq́; in Euchareſtia tãtùmmodo ſignũ eſſe. hoc .n. modo, mẽdacij argueretur Chriſtus; qui promittit cõmunionẽ re ſui ſanctiſſimi corporis, & ſanguinis. quo circa, dũ Catholicus eſſe non vult; neque ſcit, quam

hæreſim amplectatur; *trahitur in uaria:* crebrò ſentētiā mutat. concedit ſignum, neque adimit veritatem. *ſunt ſigna,* inquit, *ſed veritas coniuncta eſt.* atque vt aliquam rationem ineat, qua veritas, & figura conſentiant; ad illas ineptias confugit, adeò inſulſas, vt omnibus riſum moueant; dicitq́;, *ob eam cauſſam dominū cœnam inſtituiſſe, ut conſcientijs noſtris obſignaret eas promiſſiones, quibus in Euangelio de corporis, et ſanguinis ſui communione. participes nos facturum promiſit: ut tali, tanquam inſigni arrhabone accepto, firmam ſatis fiduciam concipiamus.* ideſt, Euchareſtiam ſumi tantùm, vt ſignum corporis Chriſti: quemadmodum etiam affirmat Oecolampadius: prætereà ēt ſumi, vti arrhabonem certum eodem momēto temporis, quo ſumimus Deum cōmunicare, & paſcere nos vero Chriſti corpore, & ſanguine, vt in Euāgelio promiſit. ita, cum nemine vno conſentit. cum enim negat ineſſe in hoſtia corpus, & ſanguinē; à Luthero diſſentit. cum affirmat in hoſtia ineſſe panem, & vinum, aduerſatur nobis. quamuis autem cum Oecolampadio, Zuinglioq́; ſentire videatur, dum aſſerit, panem, & vinum ſigum eſſe corporis Chriſti; tamen contra eoſdem, vel præter id, quod ipſi dicunt, vult, ibi adeſſe prætereà veritatem communionis. dicit enim cum illud ſignū ſumimus, tunc & eo temporis puncto à Deo communicari nos ore fidei; & effici, vt Chriſti corpus, & ſanguinem ſpiritu comedamus, non quia corpus, & ſanguis in ea hoſtia contineantur; ſed id aliunde fieri à Deo. denique propoſitiones iſtæ omnes Caluini ſunt, ab eodem paſſim ſex centis locis iteratæ. Quòd in terra ſigna tantummodo ſunt corporis Chriſti. Quòd corpus Chriſti tantùmmodo eſt in cœlo. Quòd tantum hoſtia, vel panis tantum abeſt à Chriſto, quantum diſtat à cœlo terra. Quòd nihilominus panis, & corpus Chriſti coniuncta ſunt; non ſolum ratione ſigni, quia vnum ſignet alterum, ſed quia, cum panem ſumimus, verè etiam ſumimus corpus Chriſti.

Quòd,

Quòd,vti ſe ſe res iſta habeat, non poſſe humano intellectu percipi. Quòd in nos tamen non deſcendit Chriſtus, ſed vis eius ſubſtantialis. Quòd huc per Spiritum ſanctum,quaſi per canalem deſcendit. Quòd hæc communio fit per fidem. Quòd hac fide edentes potius nos ad Chriſti corpus aſcēdimus,quàm illud ad nos deſcendat. Quòd, à malis quamuis ſumantur ſigna;corpus tamen Chriſti non ſumi. Quòd item boni, non eo tempore ſumunt corpus Chriſti, ſed teſtimonium, quod iam receperint. miſer homo, confuſus, omnis inops conſilij. quàm vero hæc ſint implicata, perplexa, obſcura, & labyrinthis ſimilia, nemo eſt,auditores,qui non videat. Quod ſi Caluinus ex tot ineptijs hāc vnam eligeret, & ei hæreret,quæ videtur minus rudis; nempe cum ſumimus hoſtiam nos corpus Chriſti ſumere, ſed non in hoſtia: eſſet nihilominus hæc eadem ineptia inſulſa, & planè ridicula. nam ſcimus, cùm Sacramentum ſumimus,dari nobis etiam eodem tēpore rem Sacramenti, quæ in Sacramento ipſo continetur; non autem dari aliunde, aut *ab extra*. quare cum fateatur Caluinus eo temporis puncto, quo Euchareſtiam ſumimus,ſumere nos corpus Chriſti; fateatur etiam neceſſe eſt, in ipſa Euchareſtia ſumi: non autem cum ea datur, communicari nos aliunde, & *ab extra*. Sed leniter agamus, ò Caluiniſtæ, & ſedato animo loquamur. Cum Euchareſtiam ſumitis,credistisné, ſumi à vobis verum corpus,& verum ſanguinem Chriſti? dicetis, credere omnino: ſic enim vos edocuit magiſter veſter. creditis ne ſumi, quia inſit in eodem Sacramento? negabitis: ſed dicetis, dari vobis Sacramentum pro arrhabone, vt certi ſitis, eodem tempore communicari vos aliunde, corpore, & ſanguine Chriſti. falsò quidem. nàm, ſi in Sacramento non eſt corpus, quomodo extra Sacramentum, & vnde vobis datur? affirmat Caluinus, & vos omnes, è, cœlo dari; quoniam ſine dubio ſedet ad dexteram patris: & cùm Sacramentum

ſumitis, eodem temporis puncto, quaſi radium ſolis, ſubſtantiam corporis illius è cœlo deſcendere, ingrediq; per os fidei, & vos ſpiritu communicare. ò, miſeri! expergiſcimini tandem, & ſine animi perturbatione rem perpendentes, quæſo vos, cognoſcite, an, quæ nobis obijcitis, & abſurda eſſe dicitis, quæq; vos inducunt ad negandum, in hoſtia Chriſti corpus ineſſe, ſint etiam cum hac veſtra opinione coniuncta. adeſte animis. quod præcipuum abſurdum eſſe Oecolampadius cenſuit, probante eandem opinionem Caluino, illud eſt, quoniam ſedet ad dexteram patris; neque inde diſceſſurus ſit, quoad ad extremum iudicium veniat; & hac de cauſa Chriſti præſentiam in hoſtia negauit. Sed ſi dicitis, deſcendere omnino corpus illud, & vos communicare, & eſſe vobis eſcam; nonne idem eſt? Quantum attinet ad diſceſſum à dextera patris, quid refert, vtrum deſcendat in hoſtiam, & vobis communicetur; an verò deſcendat quidem, non autem in hoſtiam, ſed aliunde vobis communicetur? cùm Sacramentum ſumitis, & communicatur vobis Chriſtus, quid in vos deſcendit? *accidensne*, aut *effectus*, an ſubſtantia corporis illius? nàm ſi *accidens*, aut *effectus*, igitur *non eſt participatio corporis*. Sed, ſi deſcendit ipſa corporis ſubſtantia, vt fatetur Caluinus, quare non poteſt pariter in hoſtiam conſecratam deſcendere? Ad hæc, cum deſcendit ſubſtantia, totum ne deſcendit corpus, an pars illius? partem dicere non debemus: indignum enim eſſet, & à ratione alienum id vel cogitare. igitur, vbi plures conueniritis ad cœnam, totum corpus in quolibet veſtrum eſt; cur ergo non erit conſequens, vt concedatis, totum corpus poſſe eodem puncto temporis ineſſe in pluribus hoſtijs? Præterea, cũ corpus deſcendit, receditne inde? minimè verò. quare ergo irrideris nos, cùm dicimus, ineſſe in hoſtia corpus Chriſti, neq; tamẽ à patris dextera diſceſſiſſe? cùm dicitis,

San-

Sanctiſſimum hoc corpus deſcendere, & vos communicare, nō ne puncto temporis deſcendit? negare non poteſtis. cur ergo non poteſt in hoſtiam eodem modo deſcēdere? Denique, ò decepti, miſſas, quæſo, metaphoras facite: apertè, ſodes, loquimini, quid nam eſt iſtud os fidei, quo dicitis communicari vos? quid vobis vultis? fide ſumere vos Chriſtum. nempe eatenus ſumere, quoad creditis? hac ratione; etiam ante Sacramentum ſumitis, quia creditis. immò, quia creditis natum, crucifixum, ſepultum eum & aſcendiſſe, & cætera id genus, dici poterit, ſumi Chriſtum à vobis, non ſolum in cœna, ſed etiam in præſepio, in cruce, in ſepulchro, in cœlo. immò, quia Mariam & Petrum, & Paullum creditis; Paullum; Petrum, & Mariam ſumetis. immò, quia creditis eſſe dæmones, & infernum locum; dæmones, & infernum comedetis. quòd ſi dicitis, ſumere vos ore fidei, quoniam creditis; in ſacra cœna corpus illud è cœlo deſcendere, & communicari vobis; non ne hoc ipſum eſt os fidei, quo credimus nos, cùm ſumimus hoſtiam, iàm in illam deſcendiſſe, & nos communicare? videte, miſelli, quem in locum res deducatur. omnis in eo controuerſia eſt, vtrum credamus, Chriſtum in hoſtiam deſcendere, nobis communicari; an verò credamus, non tacta hoſtia, deſcendere tamen in nos è cœlo, & cōmunicari nobis. qua in re, quæ abſurda videntur obiici contra hanc opinionem poſſe; obiici etiam poſſunt aduerſus illam. Sed à noſtra cauſſa ſtant Eccleſia, Concilia, Patres, rem fieri poſſe, & conuenire. præterea ſtat ipſe Chriſtus, qui hoſtiā manibus tenens, non dicit, cùm hoc dabo, *veniet corpus meū*; ſed dicit, hoc ipſum eſt corpus meum. *Hoc eſt corpus meum*. nullus, igitur, dubitationi relinquitur locus. atque eo minus, quòd apertè conſtat, nihil impuliſſe Caluinum in hanc ſententiam, niſi quia inire aliam rationem non poterat, quā vtriq; placeret parti, niſi aſſerendo, Euchareſtiam eſſe ſignum, & tamen

communioni Chriſti corpus intereſſe. Sed attendite diligenter. volo enim ego Caluinum veſtrum ſaluum, atque incolumem. non tàm vrgebo hominem, vt in extremas anguſtias ſe conijciat, vel feratur præceps. Sed aperiam vobis, quo modo veriſſimam enuntiationem ipſius tueri poſſimus; hanc videlicet, *ſigna ſunt, & veritas coniuncta eſt*; ideſt Euchareſtia ſignum eſt, & tamen cum ea coniuncta eſt veritas, & præſentia corporis Chriſti. Et quidem æquum eſt, vos etiam Catholicos attentiſſimè audire. Summa enim rei in hoc vertitur, vt declaretur hic locus. quem, ſi recte intelligetis, aduerſus omnia argumenta, aduerſus omnia teſtimonia, quæ hac tempeſtate contra Euchareſtiam afferuntur, firmiſſimum vobis præſidiũ acquireris. Omni ſtudio, conatuq́; id agunt aduerſarij, vt probent, Euchareſtiam eſſe ſignum corporis Chriſti: &, poſtquàm multos patrum locos citarunt, quibus etiam ſignum appellant; continuò concludunt, ſi ſignum eſt corporis, igitur, non eſt corpus. ſimulac, ergo, docuero ego, fallacem eſſe concluſionem hanc; oſtenderoq́;, non pugnare inter ſe, vt aliquid ſit corpus, & ſimul ſit corporis ſignum; non erit laborandum amplius, quoniã loci omnes pro nobis ſunt, & litem aduerſarij perdiderunt. intelligite ſimplices; vnum hoc conantur omnibus viribus, vt demõſtrent, hoc Sacramentum eſſe figuram, & ſignum corporis Chriſti: & nonnullos auctores habent, qui id affirmant. Sed ſi ego oſtendam, aliqua reperiri ſigna, quæ non excludant præſentiam eius, quod ſignant; hocq́; eſſe huiuſmodi; ideſt Euchareſtiam eſſe ſignum corporis Chriſti, illudq́; in ea contineri; certè argumentis omnibus, & omnibus auctoribus hac vna tantùm diſtinctione poterit reſponderi. Et ſanè, quis ignorat, Sacramentũ, omne, quatenus Sacramentum, eſſe ſignum? eſt enim eius gratiæ ſignũ, quam confert. quo circa, quemadmodum baptiſmus ſignum eſt, me ablui gratia, & chriſma me confirmari, & pœnitentia,

me renouari, & eodem modo de alijs; ita, dum ſumo Sanctum altaris Sacramentum, illa ſpecies panis eſt ſignum gratiæ, & ſumptio illa ſignum eſt ſpiritualis alimenti, quod, quaſi animæ cibus, in me Sanctam gratiam confert: neque tamen ab eo Chriſti corpus excluditur. immò hinc mihi argumentari licet, et dicere; quemadmodum Sacramentum, quia ſit gratiæ ſignū, non prohibetur continere in ſe gratiam, & largiri; ita Euchareſtia, tùm etiam, cum reperiemus eſſe ſignum corporis Chriſti, nihil prohibet, quin ſub ſuis ſpeciebus pretioſiſſimum Chriſti corpus contineat, idq; nobis communicet. Sed nunc ſatis eſt oſtendere, Euchareſtiam eſſe ſignum: ac deinceps oſtendemus, eſſe ſignum corporis Chriſti. hùc accedit, quòd nō ſolùm ſignū eſt gratiæ, vti diximus, ſed etiam eſt ſignum congregationis fidelium, quæ Sācta eſt Eccleſia. immò duplici modo ſignum huius congregationis eſt: &, quantum ad ſpeciem pertinet, quoniam panis ille vniuerſos nos repræſentat, qui veluti tot grana, vnum panem vnitatis fidei efficimus; & quantum ad rem ſpectat, quæ continetur, ideſt ad corpus Chriſti; quoniam vnum Chriſti corpus ſignificari melius non poteſt, quàm ab alio corpore, ideſt corpus myſticum melius repræſentari non poteſt, quam à vero Chriſti corpore, quemadmodum Paullus dicebat ad Corinth. ſcribens, *Quoniam vnus panis, & vnum corpus ſumus*. quare Sacramentum Euchareſtiæ ſignum eſſe & gratiæ, & Eccleſiæ, neque tamen Chriſti præſentiam excludere; iàm puto eſſe clariſſimum. Nunc dico, Sacramentum hoc non ſolum eſſe ſignum; ſed etiam ſignum eſſe corporis Chriſti: neque tamen conſequens eſt, vt dicatur, ergo non eſt corpus Chriſti. quod vt facilius percipiatis, res erit paullo altius repetenda. Theologi igitur, tùm veteres, tùm recentiores, de quouis Sacramento loquentes, verbum hoc, *Sacramentum*, duobus modis accipiunt. videlicet *propriè*: & *minus propriè*. Sacramentum *propriè*, eſt

Sacra rei ſignum: & hac ſignificatione Sacramentum non eſt aliud, niſi ſignum exterius, quod ſub ſenſum cadit; veluti in baptiſmum, aqua; in pœnitentia, pœnitentis actiones; quod item dicitur de alijs. Sacramentum quandoque *minus propriè* accipitur, & per metonymiam; & cum ab eo, quod continet, ſignificatur id, quod continetur, Sacramentum appellatur, id, quod *eſt res Sacramenti*; vt in baptiſmo gratia. In Euchareſtia autem, præter has duas ſignificationes, verbi *Sacramentum*. tertio item modo accipitur, idq; oritur ex huius Sacramenti proprietate. cum enim cætera Sacraméta omnia *ſint tantum in vſu*; ideſt eatenus in baptiſmi aqua gratia eſt, quoad baptizatus ablui tur, neque prius, aut poſt, & idem dicimus de alijs Sacramentis; in Euchareſtia aliter euenit. cum enim Chriſtus ſemper inſit in hoſtia, poſtquàm conſecrata eſt, ſeu ea offeratur Deo, ſeu populo communicetur, ſeu aſſeruetur in pyxide, ſeu ſolenniter de loco ad locum deferatur, ſeu quocunque alio modo; inde fit, vt in Euchareſtia ſingulariter, præter communicationem, conſiderentur etiam actiones, quæ ad eam adhibentur; cuiuſmodi ſunt, *Oblatio, eleuatio, fractio*, & ſimiles: quæ item actiones Sacramentum appellantur. quo circa in Euchareſtia tribus modis verbum hoc, *Sacramentum*, accipitur. ideſt, interdum pro ſpeciebus panis, & vini. quandoque pro corpore, & ſanguine Chriſti. nonnunquam etiam pro ijs actionibus, quas paullo ante diximus. de quibus quidem actionibus dicit Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. *huius ſacrificij, per Sacramentum memoria renouatur*. de re, quæ continetur, cantat Sancta Eccleſia, *Tantum ergo Sacramentum veneremur*. & de ſpecibus panis, & vini paſſim quotidie dicimus, nos vidiſſe Sanctiſſimum Sacramentum. quæ omnia eò ſpectant, & à me dicta ſunt, vt intelligatis, quàm facile reſpondere poſſimus ijs locis, quibus hoc Sacramentum appellatur ſignum corporis Chriſti. nos enim

omni-

omnibus ijs modis, quibus Eucharestiam Sacramentum appellari diximus, facilè concedimus, figuram, vel ſignum eſſe corporis Chriſti: neque tamen dicimus, excludi vnquam corporis Chriſti præſentiam. quid amplius? non ſolùm ſpecies, & actiones eſſe figuras corporis Chriſti concedimus, ſed etiam idipſum Chriſti corpus dicimus, in Eucharestia eſſe ſui ipſius figuram, ſed ſemper præſens ineſſe. Ac quidem ſpecies illas quis inficiari poteſt, eſſe corporis eius figuras, quod ſub eis continetur, cum hoc ipſa Sacramenti diffinitio demonſtret? *Sacramentum eſt Sacra rei ſignum*. in cæteris verò omnibus Sacramentis & aqua, & oleum, & reliquæ res externæ, ſunt omnes illius gratiæ ſigna, quam nobis largiuntur. in alijs Sacramētis ſemper vti diximus, *Sacramentum rem ſacram ſignificat*. neque tamen *ſignificat rem ſacram abſentem*, ſed *præſentem*. ſimiliter hoc loco ſpecies panis, & vini ſigna ſunt corporis Chriſti: non tamen abſentis, ſed præſentis: cùm neceſſarium non ſit, vt à ſigno abſit id, quod ſignificatur. nam & chirotheca ſignum manus eſt, quæ in ea continetur, & ſanguis vitæ: & quamdiu ſpiramus, animam habere nos, indicamus. quod attinet ad ſignificationem, de qua tertio loco diximus, nempe Sacramenta appellari actiones illas, quæ circa hoſtiam conſecratam adhibentur; clarum eſt, ijs actionibus ſignificari præcipuè ea, quæ facta ſunt in corpus Chriſti, dum eſſet in cruce. quo circa hoc ſenſu quandoque vocatur *Sacramentum commemorationis*. nàm cùm hoſtiam offero, ſignū eſt Chriſtum ſemetipſum obtuliſſe patri. cùm extollo, ſignum eſt elatum fuiſſe in cruce. cùm frango, vulneratum; cùm conſumo, mortuum. & pari ratione de alijs huiuſmodi actionibus idem eſt dicendum. quare ſpecies, & actiones in Eucharestia ſine dubio ſigna ſunt; nec tamen corporis Chriſti præſentia excluditur. dico item, (quod maius videbitur,) ipſum Chriſti corpus in hoſtia ſignum eſſe ſui ipſius. Et quidem, vt oſtenderem,

rem, aliquid poſſe ſignum, & figuram eſſe ſui ipſius; citare poſſem Paullum: qui loquens de Chriſto, modo dicit fuiſſe *figuram ſubſtantiæ Dei*, modò *in ſimilitudinem hominum factum*, cum ſimul eſſet Deus, & homo. ſed teſtimonio non indiget, quod vſu omnibus venit, & quiuis experiri in ſeipſo poteſt. quæro, igitur, cum me hac ornatum cæſarie, & his indutum veſtibus conſpicitis; an reuocetur animus veſter ad memoriam, me ſuperiori tempore capillo alio, alioq; veſtitu ſæpenumero conſpectum à vobis. hoſce ipſum cæteris in rebus cõtingit; quæ cum ſtatum, conditionemq; mutauerint, ſeſeq; oculis noſtris obijciant, nos in memoriam prioris ſtatus, & conditionis inducant. quare, cùm Chriſti corpus in cruce fuerit, viſibile, cruentum, & mortale; nunc in hoſtia, inuiſibile, incruentum, & immortale; commemoratio & ſignum ſui ipſius eſt; refertq; tẽporis illius memoriam, quo ab omnibus cruci affixum, & ſanguinem effundens, & moribundum cernebatur. hac ratione conſtat, vera eſſe, quæ diximus, cùm *Sacramentum* in Euchareſtia tribus modis accipimus, nempe pro ſpeciebus, pro actionibus, & pro ipſo corpore, ſemper ſignum eſſe, neque vnquam Chriſti corpus excludi. quoniam ſpecies corpus ſignificãt, quod in eis continetur, actiones, quæ adhibentur ad hoſtiam, actiones ſignificant quæ ad idem corpus adhibebantur, cùm eſſet cruci affixum. & ipſum corpus nunc inuiſibile, incruentum, & immortale, ſignum eſt ſui ipſius, cùm eſſet viſibile, cruentum, & mortale. Exemplo vtamur, & perſpicua erunt omnia. In amicum fortè incido, qui tùm ex improuiſo à ſicario ferro petebatur: cùmq; iam gladius capiti eius immineret, manum (vt tùm erat) nudam extollo, gladio oppono, caput eius, ab ictu prohibeo, in manu vulnus accipio, multo manante ſanguine, tota manus inficitur. poſt dies nonnullos, curato iàm vulnere, eundem amicum procul aſpicio, ac teſtificandi amoris mei cauſſa,

reuo-

reuocandiq́; in memoriam beneficij, quo ipſum affeceram; manum olim ſauciam, chirotheca opertam, extollo eodem modo, quo iàm extuleram, cùm ab eius capite vulnus auerti. hoc loco, auditores, adſunt tria, vt videtis: videlicet chirotheca, quæ manum operit, manus eleuatio, & ipſa manus. hùc accedit, quòd manus eadem, quæ iàm nuda fuit, & ſaucia, & cruenta; nunc quidem tecta eſt chirotheca, ſed incolumis, & ſine cruore. atque ſingula hæc ſignum faciunt. nàm chirotheca ſignum eſt, ineſſe manum in ea. Eleuatio ſignum eſt, me extuliſſe manum, cùm ictum repuli. & manus tecta, incolumis, & munda, ſeipſam repræſentat, cum nuda eſſet, & vulnerata, & cruore infecta. neque tamen hæc ſigna aliquo modo prohibent, quominus ipſa manus ſit præſens. nàm chirotheca ſignum eſt manus, quam continet: actiones ad eandem manum pertinent: & manus ſeipſam non excludit. nunc conferte interſe, quæ diximus, fingiteq́; animis veſtris, manum eſſe corpus Chriſti in Euchareſtia: Chirothecam eſſe ſpecies: & eleuationem eſſe actiones omnes, quæ ad eam adhibentur. iàm perpeſſuri eramus ictum diuinæ iuſtitiæ: ſed gladio illi Chriſtus corpus ſuum nudum oppoſuit, voluitq́; ſibi ipſi vulnus infligi: &, in crucem ſublatus, viſibilis fuit, & cruentus, & mortalis. nunc idem Corpus in ſpeciebus eſt, quaſi manus in chirotheca; & factum eſt immortale, & purum à ſanguine. præterea vult quandoque leuari, & offerri, & id genus alia, vt ea, quæ pro nobis fecit, & tulit, in memoriam noſtram redigamus. itaque in Euchareſtia quicquid eſt, ſignum quidem eſt; ſed nihilominus corpus eſt præſens. nàm ſicut chirotheca ſignum eſt manus; ita ſpecies ſignum ſunt corporis, quod adeſt præſens. ſicut eleuatio manus ſignificabat iàm rurſus eleuatam fuiſſe; ſic actiones, quæ ad corpus in hoſtia adhibentur, figuræ ſunt actionum, quæ ad idem corpus in cruce adhibitæ ſunt. denique ſicut eadem manus, operta, incolumis, &

mun-

munda, ſignum eſt ſui ipſius,cum eſſet nuda,ſaucia,& ſanguine perfuſa; ita idem corpus in hoſtia, inuiſibile, incruentum, & immortale, ſignum eſt ſui ipſius; cum eſſet in cruce, viſibile, cruentum, & moribundum. Intelligitis igitur auditores,quàm parum nobis metuendum ſit ab ijs locis, quibus de Euchareſtia agitur, vti de ſigno, vel figura; & quàm leuiter, & inſulsè ratiocinentur aduerſarij, cùm dicunt, Euchareſtia eſt ſignum, igitur in ea non eſt corpus Chriſti. immò Euchareſtia ſignum eſt pluribus modis. nàm tota ſignum eſt gratiæ, quam accipimus. panis, ideſt ſpecies,ſignum eſt vnitatis fidelium. corpus verum ſignum eſt myſtici corporis. ſpecies ſignum ſunt corporis quod continent. actiones ſunt ſigna earum actionum,quæ ad crucem adhibebantur. idem corpus inuiſibile ſignum eſt ſui ipſius corporis viſibilis. Et tamen, non ſolùm non excluditur veritas, ſed etiam Caluini concluſio (ſi ſomnia, & chimeræ demantur,)erit omnino vera; cum dicit; *ſigna ſunt, & veritas coniuncta eſt.* itaque poſthac pauciſſimis verbis poſſumus reſpondere ad locos omnes, quotquot vnquam ab aduerſarijs in hac materia poſsét afferri. Nàm cùm dicitur, *hoc facite in meam commemorationem,* verum id quidem: dicit enim *facite*, quoniam actiones, figuræ ſunt, & commemorationes earum actionum, quæ domino adhibebantur, cùm eſſet in cruce. *Quoties manducabitis, mortem domini annunciabitis*, item verum; quoniam hoſtiæ cõſumptio ſignum eſt mortis Chriſti. Auguſtinus dicit; *Iudam adhibuit ad conuiuium, vbi figuram ſui corporis tradidit,* verum;quoniam ſpecies dedit, quæ ſignum erant corporis eius præſentis. dicit item Auguſtinus, hoc Sacramentum *eſſe corpus Chriſti ſecundum quendam modum*,verum eſt: quoniam *ſecundum modum,incruentum, inuiſibilem, & immortalem*. Tertullianus dicit, *Hoc eſt corpus meum*, ideſt *corporis mei figura*: verum. quoniam corpus Chriſti in hoſtia figura eſt ſui ipſius,vt erat in cruce. rurſus Au-

guſti-

guſtinus dicit; *niſi manducaueritis carnem*; *facinus videtur iubere, figura ergo eſt:* verum. videretur enim horribile, ſi viſibile corpus comederetur; & iccirco erit ſignum: ideſt corpus inuiſibile. omnium locorum, omnium, inquam, difficultates, duobus verbis explicantur. ille pariter, *caro non prodeſt quicquam:* intelligitur, de aliorum carne, non de carne Chriſti: ideſt, ſi carnis ſenſu hoc myſterium conſideretur, percipi nunquam poterit. accedit, quòd *caro* interdum ſignificat in diuinis literis, id quòd ſub ſenſum oculorum cadit: & *Spiritus* id, quod oculis cerni non poteſt: quo circa, cùm hoc corpus ſumendum à nobis ſit, non viſibile, ſed inuiſibile; *caro non prodeſt quicquam, ſed ſpiritus eſt, qui viuificat.* Præterea, quamuis aliqui patres nonnullis locis Euchareſtiam appellaſſent ſignũ corporis Chriſti, cùm paſſim tot alijs locis eam verum eſſe Chriſti corpus, agnoſcant; nonne peruerſitatis, & improbitatis conuincuntur omnes, qui fateri nolunt, locutos eos de ſigno, quod corpus nõ excludit? ſed ipſi viderint. Vobis, auditores, ſatis perſpectum eſſe arbitror, nos Idololatræ ſimus, nec ne: & an iure, ac merito hoſtiam illam adoremus, cum in ea (re, & eſſentia) inſit ipſum corpus, ſanguis, anima, & diuinitas Chriſti, qui crucem paſſus eſt pro nobis. Atque Hæc aduerſus Oecolampadium. Vtrum panis remaneat, an non cras cum Luthero diſſeremus. Abite felices.

DISCEPTATIO

DISCEPTATIO XVI.

Qua oſtenditur, cum corpore Chriſti in hoſtia, & cum ſanguine, in calice conſecratis, non remanere panem, aut vinum: neque dici poſſe, panem, aut vinum eſſe corpus, uel ſanguinem Chriſti; quamuis panis, & vinum conuerſa ſint in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti.

Aduerſus Uuitcleffum, & Lutherum. & contra ea, quæ Caluinus tractat lib. Quarto Inſtitutio cap. 13. Sectio. 14.

DIXIMVS non ſemel ò Sereniſs. Princeps, in hiſce noſtris diſceptationibus, ſolere hæreticos auidè adhæreſcere extremis: nos autem à medijs nunquam diſcedere. Eorum nonnulli gratiam; nonnulli liberam voluntatem reijciunt: nos autem vtrumque ſimul & liberam voluntatem, & gratiam recipimus. alius ſcripturas improbat, alius traditiones ſpernit: nos verò & ſcripturas, & traditiones probamus. hic iuſtitiam Dei negat; ille miſericordiam non concedit: nos & iuſtitiam, & miſericordiam Dei ſimul agnoſcimus. eodem modo cęteris in rebus aliter multi ſentiunt: & alter extremitatem hanc, alter illam, quæ huic oppoſita eſt, amplectitur: præſertim in hac Euchareſtiæ materia, quam tractamus. cùm enim, vti diximus, omnes hæreticorum opiniones demum ad duos præcipuos, primæq; claſſis auctores redigantur, Oecolampadium ſcilicet, & Lutherum; iſtorum vterque extremum apprehendit, ab altero diuerſum; &, quod in medio poſitum eſt, nobis relinquit. Lutherus enim, extremum illud probans, quod nimis latum eſt, cenſet in Euchareſtia non ſolum ineſſe corpus Chriſti, ſed etiam panem. Oecolampadius autem, illud amplectens, quod nimis arctum eſt, & angu-

anguſtum; in ea ne pretioſum quidem Chriſti corpus eſſe concedit. nos, quaſi in medio locati, poſt verba conſecrationis vnum reijcimus, & alterum amplectimur: ideſt panem reijcimus, & amplectimur corpus. idem contingit in materia Trinitatis: dum enim nonnulli ſentiunt eſſe tres naturas, ſiue eſſentias; alij verò vix vnam perſonam agnoſcunt; medium relinquunt nobis, qui fatemur, in vna tantùm eſſentia tres perſonas. eodem item modo de incarnatione dicimus. nàm cùm aliqui duas perſonas agnoſcant; nonnulli vnam vix naturam concedant; nos, in medio poſiti, in vna perſona, duas eſſe naturas, affirmamus. Quæ verò (malûm,) eſt infelicitas, vt poſtquàm, in vnum extremum quis præceps abijt, præter illud alias inueſtiget præterea rupes, è quibus decidat; reperianturq́; homines adeo vecordes, vel potius ſuæ ipſorum ruinæ, & exitij cupidi, vt vltra extrema ſeſe præcipitent? quòd cùm ſæpe cõtingit;tùm hodie in hac Euchareſtiæ materia vſu venire apertiſſimè videmus. nàm quòd ad extremum Oecolampadij pertinet,qui hoſtiam Sacratam aſſerit eſſe tãtummodo figuram, & ſignum;vidiſtis Caluinum, vltra hunc terminum progredientem, & nouam hæreſim inuenientem,comminiſci ſpiritualem illam communionem, de qua heri locuti ſumus. quòd autem ad alterum extremum ſpectat; dùm in hoſtia panis ineſſe dicitur; illud profecto mirum videtur,vt decidente in hoc extremum Vuitcleffo, poſtquàm is à Conſtantienſi Concilio damnatus eſt, eo, quòd aſſereret in hoſtia conſecrata remanere adhuc panem, & in calice conſecrato vinum; ſuperueniat Lutherus,qui,vt hæreſi Vuitcleffum ſuperet, primo confirmat eius opinionem,ſcilicet ineſſe panem in hoſtia; tùm illud addit; panem illum eſſe corpus, & vinum illud eſſe pretioſum ſanguinem Chriſti. quæ res tàm abſurda eſt, tàm ab omni ratione aliena, vt perinde ſit, atque ſi quis dicat, aquam eſſe ignem, vel hominem equum. Et tamẽ

(ò pa-

(ò patientiam Dei ſigularem :) etiam hæc hæreſis ſuos ſectatores habet . quo circa , quamuis mihi laborandum non putem , vt cum Luthero tantum certamen inſtituam; tamen vtrique eorum aditus præcludam : oſtendamq́; , vti heri in hoſtia corpus Chriſti ineſſe vel ipſorum iudicio , à me plane probatum eſt; ita ſine dubio non remanere in ea neque panem , neque vinũ , quoniam, pronunciatis Sanctiſſimis verbis , continuò panis , & vinum in corporis , & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam conuertuntur. Atque in primis illa fatua Lutheri ratio mirifice me delectat : dicit enim , cùm facilius percipiatur, vna cum Chriſti corpore , ſimul etiam ineſſe panem in hoſtia; quàm intelligere, quomodo conuerſus panis fuerit, in aliam ſubſtantiam ; ideſt cùm facilius ſit credere , in hoſtia ineſſe panem , quàm non ineſſe; inique nos agere, qui difficiliorem opinionem populos doceamus ; ſatiusq́; eſſe , ſi ſuaderemus , ea credenda eſſe, quæ clariora ſunt, quàm, quæ difficilius percipiuntur . quid ineptius ? nam eadem ratione dico ego , quoniam facilius percipitur, vnicuique perſonæ eſſe propriam eſſentiam , quam cum vna eſſentia, tres perſonas ; ſatius erit docere tres eſſe Deos, quàm vnum Deum. quoniam facilius creditur, quempiam, eſſe hominem tantum, quàm eſſe hominem ſimul & Deum , ſatius erit docere, Chriſtum eſſe hominem tantum . & quoniam difficilius creditur, mortuum reuocari ad vitam, quàm ſecus ; ſatius erit docere Chriſtum mortuum ad vitam non rediјſſe; Prò Deus immortalis ! cum quibus ſe putabat loqui , cùm hæc diceret , aut in quorum manus eius ſcripta ventura , cùm hæc conſcriberet ? quid igitur ? falſa doctrina diſſeminanda eſt , & potius edocendi populi , quæ ipſis arrideant, quàm , quæ vera ſint ? hanc iſti ingreſſi ſunt viam : pro libidine quoddam Theologiæ genus inſtituerunt, in quo, verum ſit aliquid nec ne , de eo ſoliciti non ſunt , dummodò populorum auribus ſeruiant . atqui , certum & exploratũ eſt mihi,

in omni diſciplina tradenda, non de doctrinæ obſcuritate difficultateuè, ſed de veritate eſſe laborandum. ſi verò facilitas vel difficultas, nobis aliquod veritatis dare poſſet indicium, iure in Lutherum argumentum retorquerem: diceremq́;, veram eſſe enuntiationem noſtram, id manifeſtò indicare, quòd difficilis ſit. nàm *arcta eſt via quæ ducit ad cælum: & regnum cælorum vim patitur.* & Sacroſanctum Chriſti caput, ſpinis coronatum eſt. Denique, cùm in anima noſtra, duæ ſint vires, quæ iter expediunt ad cœlum; intellectus videlicet, & voluntas; vt Deus ea præcepit, quæ voluntati maxime aduerſantur; ita credenda illa propoſuit, quæ ab intellectu valde ſunt remota, immò ſenſui contraria. & ſicut populos vehementer hortamur, vt inimicos diligant; neque eo deterremur, deſiſtimusuè, quòd res ſit maxime laborioſa, factuq́; difficilis; ita nos ſtulte ageremus, ò Luthere, ſi de veritate exploratiſſima *tranſubſtantiationis*, quòd difficulter percipiatur, nobis loquendum non putaremus. attamen (vnus aliquis iſtorum reſpondet), cùm Chriſtus in Cana Galileæ, miraculo illo inſigni, confirmandæ fidei cauſſa, aquam in vinum conuertit; omnium ſenſibus, apertiſſimum fuit, iàm non aquam eſſe amplius, illudq́; eſſe vinum: quare, ſi rem hanc, tàm admirabilem faceret, ad fidem augendam, vt ſubſtantiam panis & vini, in corporis et ſanguinis ſui ſubſtantiam conuerteret, non credibile eſt, quin & hoc ipſum, pateret ſenſibus omnium, vt illud patuit, quod in Cana Galileæ geſtum eſt; & quin hic etiam cerneretur, non eſſe panem, ſed eum in pretioſum Chriſti Corpùs, eſſe conuerſum. nullius ponderis omnia. nàm ego velim, nos diſtinguere, neque generatim ea dici ad fallendos populos, quæ ſigillatim explanata, clariſſima redduntur. medicus, ardenti febre laborantē curaturus, frigidam aquam ei potandam præbet; quod maxime ad depellendum eum morbū conuenit. igitur idem remedium adhibe-

bir,

bit,illi, qui ſtomachi imbecillitate laboret? nequaquam. nàm medici quidem, ſemper eſt curare, ſed alio, atque alio modo: vt morborum vis & natura, variaq; corporum cõſtitutio poſtulabit. eadem ratione, miraculorum quæ ad fidem proſunt, alia ad iacienda fidei fundamenta pertinẽt, alia ad fidem experiendam ſpectant. In Cana Galileæ, volebat Chriſtus fundare fidem, & Deus haberi, crediq; ab ijs qui aderãt: quo circa, miracula oportuit eiuſmodi eſſe, vt ſenſu perciperentur, cernerẽtq; oẽs qui præſentes erant, aquam conuerſam in vinum. at miraculo ſanctiſſimæ Euchareſtiæ, nõ vult Chriſtus ſuã fundare fidẽ, ſed experiri noſtram. quare, cõtrà neceſſe eſt, miraculũ, ſenſu omnino percipi nõ poſſe. & quò videbitur ſenſibus, minus verum; eo maius erit fidei noſtræ experimẽtum, cùm credendo, intellectũ noſtrũ fidei ipſi, ſubiecerimus. illic cernitur, aquam in vinum conuerſam; & iccirco creditur in Chriſtum. ſed hic nõ cernitur Chriſti corpus; & tamẽ creditur. immo panis cernitur, & nõ creditur panis: ſic, vt nulla maiori experientia, fidem meã docere, & probare poſſim. quare, cùm Sacramentũ hoc inſtitutũ ſit, vt fidei noſtræ periculũ faceremus, non ſolum nõ eſt cur difficultate aliqua deterreamur; ſed ẽt veritatem ipſius intelligere, hac ratione debeamus, quoniam id difficulter percipitur; quoniã oportet credere, ibi eſſe Chriſtum, vbi nõ cernitur; immo non cernetur vnquam; immo, vbi eſſe ſenſus oculorũ nõ ſuadet. quoniam credere oportet, ibi nõ eſſe panem neque vinum, cùm tamẽ (quòd ad ſenſus attinet), propter ſpecies, videre nobis videamur, & panẽ, & vinum. Atque hæ difficultates tamen oẽs auditores, (vt etiã de alijs dicamus,) Verbo Dei expediuntur, & facillimæ redduntur. cum enim, certum nobis exploratumq; ſit, credendum magis eſſe, Dei verbo, quã ipſius ſenſus experientiæ, noſq; ſæpe ſenſu falli, ſed Dei verbo decipi nunquã poſſe, ideoq; dixiſſe eum, *cœlũ & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt,* parũ refert,

videri

videri noſtris ſenſibus,cernere panem,aut vinum; cũ verbo Dei certiſſimi ſimus,poſt ſanctiſſimam conſecrationẽ, in hoſtia vel calice,ſine vlla dubitatione,non remanere amplius,neque panẽ, neque vinum . ſed quærit Lutherus,vbi ſit: cedo enim (inquit) hoc verbum Dei,reſpondere ego poſſem,reperiri in Eccleſia , in traditionibus,in Concilijs,in Decretalibus Summorũ Pontificũ haberi ex cõmuni Sanctorum patrum omnium conſenſu; neq; Luthero relinqueretur euadendi locus, cum præſidia hæc omnia, optime ſuperioribus diſceptationibus,à me,munita ſint. attamen cum iſti ſemper ſe diuinis literis inniti,præ ſe ferant; nos item,hanc veritatẽ in diuinis reperiri literis,affirmamus: & præcipue in ipſis eiſdem domini verbis. *hoc eſt corpus meum*. & *hic eſt ſanguis meus*. cùm enim Lutherus fateatur, nimis eſſe perſpicua,ad demõſtrandum,in Euchareſtia fuiſſe Chriſti corpus ſanctiſſimum,quo tempore,eam ipſe dedit Apoſtolis; dico itẽ ego, non eſſe minus aperta,minus clara,ad probandum;in Sacramẽto ipſo panẽ amplius vinumuè non remanſiſſe. nàm ſi creberrime ipſe Lutherus affirmat,vt heri dicebamus, *Verba Dei accipienda eſſe, iuxtà Grammaticã,nudam intelligentiam*; *ita vt non liceat ei per Angelum,nedum per hominẽ, vim vllam fieri*; *ne detur occaſio aduerſarijs ſcripturas eludendi*: ſiq; ſæpenumero repetit id ipſum,quod ab omnibus hæreticis aſſeritur; videlicet; *nihil eſſe addendum verbo Dei*, cùm Chriſtus dicat, *hoc eſt corpus meum*, quis affirmare poterit *iuxta Grammaticã nudam intelligentiam*, intelligendũ id aliud eſſe,quam corpus eius? & cùm dicat *hic eſt ſanguis meus*, ſi ad literam intelligantur hæc verba, quis poterit dicere,id,aliud eſſe,quã eius ſanguinẽ? cùm enim Chriſtus dicat, hoc,eſt corpus; profectò nõ dicit,hic; eſt panis. & cùm dicat,hic eſt ſanguis,certe nõ dicit,hoc eſt vinũ. Et Lutherus ipſe cùm aduerſus opinionẽ Oecolampadij diſputaret,dicebat Chriſti verbis iniuriam fieri; quandoquidem ſi dixiſſet,hic eſt panis, credidiſ-

ſent oẽs;cùm autẽ dicat,hoc eſt corpus meum, nõnulli ſunt, qui nõ credant. ita ego dico; nimis tu Luthere, Chriſti verbis iniurius es. ſi enim dixiſſet, cum hoc corpore, ſimul eſt panis, crederemus omnes: cum autem nullam niſi de corpore mentionẽ faciat, tu negas, ſolum corpus credendum eſſe,& panem addis. quòd ſi in nuptijs quæ in Cana Galileæ factæ ſunt eò creditum eſt,vinum illud,eſſe merũ, quia architriclinus id affirmauit, dicens *ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc*, quare in nuptijs, quæ factæ ſunt Hieroſolymis,nõn credamus corpus ſine pane & ſanguinem abſq; vino,cum Chriſtus dicat,*Hoc eſt corpus meum*; & *hic eſt ſanguis meus?* Aqua in vinũ conuerſa eſt,neque in vino remanſit aqua. virga in ſerpentem cõuerſa eſt,neq; in ſerpente virga remanſit;cur igitur conuertetur panis in corpus,& in corpore remanebit panis? aut vinũ conuertetur in ſanguinẽ,& in ſanguine remanebit vinum? Denique,quid ais Luthere? *Hoc eſt corpus meum*. dicit ne Chriſtus,in corpore aliud quicquã ineſſe,quã corpus? fit ne vlla,vel minima panis mẽtio? nulla prorſus. Tu autẽ aſſeris *iuxta nudam literam* intelligẽdas eſſe ſcripturas: igitur hic non eſt panis. hæc argumentatio,Lutherũ perpulit auditores,vt à Vuitcleffo diſſentiret; & in nouũ quem dixi, errorẽ laberetur. cùm enim Vuitcleffo diceret,Chriſtũ dixiſſe, hoc eſt corpus: nõ aũt hic eſt panis, reſpõdebat Vuitcleffus,id quidẽ verũ;ſed oportere intelligi, vt ſimul cũ corpore,eſſet etiã panis. Lutherus aũt, cui iàm illud ex ore exciderat; *Verbo Dei nihil eſſe addendũ*; cùm præterea intelligeret Chriſtũ nõ dixiſſe,*hic* i.hòc loco; neq; dixiſſe,*Cum hoc*,animaduertit,vt ſuas partes tueretur,aliquid ſibi conandũ,quò appareret,ijs verbis,panis etiã factã fuiſſe mentionẽ. quo circa expoſuit, *Hoc*, ideſt, *hic panis eſt corpus meũ. Hic*, ideſt *hoc uinũ,eſt ſanguis meus:* et ridiculũ illud inuẽtũ ex arca ſua deprompſit,ſcilicet, in hoſtia panẽ etiam ineſſe,quoniã idẽ panis, eſt corpus Chriſti: & in calice ineſſe etiam vinum,quoniam idẽ

vinum

vinum, eſt ſanguis Chriſti. itaque ineptus ſane,& fatuus homo, illud aſſerere non dubitauit, ſcilicet; *Panis eſt corpus. ſanguis eſt vinum*. quod perinde eſt, ac ſi aſſerat, aquam ipſam in Cana Galileæ, fuiſſe vinum, & virgam fuiſſe ſerpentem; & vti dicebam, hominem, eſſe equum. præterea, quid eo ineptius, quid peius, ad quod miſer confugit; vt dicat, articulis *hoc* & *hic*, ſignificari panem & vinum? nàm ſi tàm diligens obſeruator eſt Grammatices, in exponendis ſacris ſcripturis, quàm ſeſe oſtentat, vt audiſtis; an cenſebit hoc eſſe Grammatice loqui, ſi dicatur, *hoc panis eſt corpus meum, & hic vinum eſt ſanguis meus?* quid ad hæc dicet? verbum *hoc*, ſibi velle, *hæc res, eſt corpus meũ?* quod ſane, ſi daremus, oporteret poſtea probare, *rem illam*, eo tempore fuiſſe panem, & non corpus Chriſti ſolum. quòd ſi vitandi erroris grammatici cauſſa, de corpore loquens, ne dicat *hoc panis*, velit dicere, *hoc ideſt hæc res*; cùm deinde loquetur de calice, voletq; eundem errorem vitare, ne dicat *hic vinum*, quomodo dici poterit, *hic*, ideſt *hæc res?* Profectò videtur conſultò factum à Spiritu ſancto, ne intelligeretur illis articulis, *hoc*, & *hic*, ſignificari panem, & vinum, & ſtudioſe genera ab ipſo cõmutata fuiſſe: neutroq; maris articulum; mari verò, articulum neutri, tributum. de pane enim qui maſculini generis eſt; *panis*; dixit *hoc eſt corpus meum:* & de vino, quod eſt neutri generis, *vinum*; dixit, *hic eſt ſanguis meus*. quare Lutherus, det manus neceſſe eſt, cùm ſeſe amplius tueri non poſſit; niſi hoc nouum, præclatumq; Grammaticæ genus in ſacras literas inducat, vt dicatur, *hoc panis*, & *hic vinum*. neque verò ad codicem Græcum confugiendum eſt. nàm Spiritus ſanctus in ipſis quoque interpretibus loquitur; & certe æquum eſſet, in editione vulgata, hæc etiam, quæ inter ſe nullo modo congruunt, aliqua ratione tueri. præterea, videtur Spiritus ſanctus etiam in ſcripto Græco, eodẽ vſus eſſe conſilio; nàm ne illis articulis ſignaretur panis, & vi-

num, in dictionibus *panis* & *vinum*, alijs generibus vtitur, quã lingua illa patiatur. panis, (vt ſcitis) Græce ἄρτος dicitur; & vinum οἶνος: & vtraque hæc verba, maſculini ſunt generis, amborum autem articuli, (videte an ex Grammaticæ præceptis,) ſunt generis neutri. τοῦτο ἐστι τὸ σῶμα: τοῦτο ἐστι τὸ αἷμα. immo aliud obſeruatum eſt, cùm in exemplari Græco, tùm etiam ab interprete Latino, vt articulus panis, non ſolum ſit diſcors à pane, verum etiam concors ſit cũ corpore. & articulus vini, nõ ſolum ſit diſcors à vino, ſed ẽt cõcors cũ ſanguine. τοῦτο, non põt coniũgi cum ἄρτος, & coniungitur cum τὸ σῶμα. τοῦτο, non poteſt cõiungi cum οἶνος, & coniungitur cum τὸ αἷμα. quemadmodum in Latino, hoc, coniungi non poteſt *cum panis*, & coniungitur cum *corpus*, & hic, coniungi non poteſt cum *vinum*, & cõiungitur cum *ſanguis*: poteratne maiori artificio, à Spiritu ſancto oſtendi, *hoc*; eſſe corpus, non panem: & *hic*; eſſe ſanguinem, non autem vinum? quare, quod ad verbum Dei attinet, (& hauritur id quidem ex puro diuinarum literarum fonte,) nihil eſt pro noſtra cauſa clarius, nihil firmius. ſic, vt oporteat, vel *addere verbo Dei*, reclamantibus omnibus hæreticis, & cum Vuitcleffo intelligere; *hoc eſt corpus meum, ſed adeſt etiam panis*. vel fundamenta omnia Grammatices euertere, & cum Luthero dicere; *hoc panis, & hic vinum*: & ſimul omnem phyſiologiã deſtruere, & intelligere, rem non mutatam eſſe aliam. panem inquam non mutatum in aliam ſubſtantiam, eſſe corpus Chriſti: vinum item non mutatum, eſſe Chriſti ſanguinem: vel veritati adhæreſcere, & quod ipſum Dei verbum ſuadet, libenter credere: ſcilicet poſſe quidem dici, *panis tranſubſtantiatus eſt in carnem, & vinum tranſijt in ſanguinem*; & huiuſmodi: *ſed panis eſt corpus*, vel *vinum eſt ſanguis*, dici nunquam poſſe: ac denique in hoſtia, & in calice exiſtere quidem corpus, & ſanguinem Chriſti; ſed panem, vel vinum nequaquam. Niſi forte Lutherus, cæteriq; *tranſubſtantiationis aduerſarij*, opẽ ab ijs

locis

locis petant, quos ipſi moleſtè ſane, & odiosè cōgeſſerunt: quibus in ſacra ſcriptura, dum de hoc Sacramento agitur, aliquando panis, etiam poſt ipſam cōſecrationem, appellatur. vt Act. cap. 20. *cùm conueniſſemus ad frangendū panem*. & 1. ad Corint. ca. x. *panis quem frangimus*. & 1. ad eoſdem cap. xj. *quotieſcūq; manducabitis panem hunc*. & id genus alia. Et præterea in ipſa etiam cœna fit panis mentio, cùm dicitur, modò, *accepit panē*; modò, *accepto pane*; quo circa, (dicunt iſti) cùm à pura ſacræ Scripturæ litera non ſit diſcedendum, cùmq; ipſa, etiam poſt conſecrationem, dicat panem eſſe, panem eum appellans, ſine dubio credēdum eſt nobis, vel ſimul cum Chriſti corpore panem eſſe: vel eundem panem eſſe corpus Chriſti. leuiſſimè ſanè. quæſo enim, nos audite. Ecquis eſt qui neget, illum quem Chriſtus in manibus accepit, quo tempore accepit, verum panem fuiſſe? caput eſt, vt probetur, tunc fuiſſe panē, cùm Apoſtolis dedit. Sed hoc probari vnquā non poterit: immò opto ego, precorq;, vt quilibet attentè locum illum perpendat. cognoſcet enim, quàm diligenter, quoad panis eſt, appelletur panis; confeſtimq;, ſimulac conuerſus eſt in corporis Chriſti ſubſtantiam, nunquam amplius panis appelletur. Ecce Matthæus; *accepit panem:* deinde cum Apoſtolis dedit, *Hoc eſt corpus meū*. Ecce Marcus; *Manducantibus illu, Ieſus accepit panem:* poſtea, *ſumite, hoc eſt corpus meum:* Ecce Lucas; *et accepto pane:* deinceps, *accipite & manducate, hoc eſt corpus meum*. cùm Chriſtus accipit, ſemper appellatur *panis:* ſed cùm dat, *corpus* appellatur. quare, ò Luthere, cùm ego credam, panem eſſe, quo tempore eum accipit Chriſtus, quia panis dicitur; quare & tu, quo tempore Chriſtus dat, non deſinis credere, panem eſſe, quia panis non dicitur? Cæterùm, quod ad eos ſcripturæ locos attinet, quibus, poſt conſecrationem appellatus eſt panis, præclare duobus modis reſpondere poſſum, quibus res omnis fiet maxime perſpicua.

ſpicua. primo quidem ſic: conſtat, *omne comeſtibile quoquo modo*, ideſt quicquid, quocunque modo comedi poteſt, creberrime in diuinis literis, panem appellari. Eccleſiaſtic. cap. 29. *Initium uitæ hominis, aqua & panis:* ideſt eſca, & potus. Pſal. 77. *panem cæli dedit eis*. & de manna loquitur, quæ certe non erat panis. Ioann. 6. ipſa Chriſti diuinitas, quoniam cibus eſt animæ, panis appellatur; *panis qui de cælo deſcendit*; & alijs locis. quare, ſicut omnia quæ aliquo modo comeduntur, quamuis non ſint panis, tamen panis appellantur, ita poſſum ego Sacræ ſcripturæ morem imitari, dicereq; ijs locis, tametſi Sacramentum Euchareſtiæ, non eſt panis, attamen, quia *manducatur*, panem appellari. Altero modo, & melius quidem, dici poteſt; ſæpenumero appellari res, vt olim fuerunt; non vt ſunt. Veluti, ſi donaſti vinum, quod poſtea in acetum degenerauit, non abſurde dicam; hoc vinum donaſti: non quia vinum ſit, ſed quia fuit. Exemplum habemus in ſacra ſcriptura clariſſimum. Exod. 7. cùm enim conuerſa eſſet virga in ſerpentem, ſerpens nomine virgæ appellatur, non quia ſit, ſed quia fuit: habetur enim *deuorauit virga Aaron, virgas magorum*. certe virga nō erat, & vocatur virga, quoniam tunc virga erat, cùm in ſerpentem conuerſa eſt. Et Euchareſtia Sanctiſſima, quamuis panis non ſit, quandoque tamen panis dicitur; quia panis erat, cùm in corpus Chriſti conuerſus eſt: præſertim cum adhuc externā figuram panis retineat, & effectus, qui panis ſunt videamus. duobus igitur modis reſponderi poteſt, ad eos locos quos afferunt iſti. ſed cùm omnes alij, præſertim ſcriptura ipſa, quæ fons & caput eſt inſtitutionis Euchareſtiæ, à noſtra cauſſa tam conſtanter & firmè ſtet, vt in aliam partem flecti non poſſit, quid opus erat, ad fallendos populos, mendicare, detorquereq; tam leues locos? ſumma eſt: vel ipſum Diabolū faſſum fuiſſe, *Trāſubſtantiationem* fieri poſſe: cùm dixit, *Si filius Dei es, dic vt*

lapi-

lapides, panes fiant. præterea fit ab eo, qui cælum fecit; qui toties virgam in ſerpentem, & ſerpentem in virgam conuertit; & aquam in vinum, & aquam in ſanguinem commutauit. ipſe ſeipſum *transfigurauit*, & eandem ſubſtantiam reliquit ſine *accidentibus*: quare, nunc pariter eadem *accidentia* relinquere non poſſit, ſine ſubſtãtia panis? id autem feciſſe facereq; ; ipſum Dei verbum in diuinis literis teſtatur, in quibus omnibus, nihil eſt, quod contra nos faciat. immo pro nobis alius eſt ſcripturæ locus, clarus firmiſſimuſq;, ſed de hoc in altera parte dicemus. Interim, quoniam Lutherus dicit, *Tranſubſtantiationem*, eſſe *inuentum trecentenarium*, ideſt trecentis adhinc annis, nemini cognitam fuiſſe huiuſmodi conuerſionem, rogo vos auditores, (præter ſcripturam cui innitimur,) quàm hoc præterea ſit apertum, quàm impudens mendacium, diligenter attendite. Et quidem, ſi difficultas in verbi controuerſia poſita ſit, quæraturq; quàm vetuſta ſit hæc vox *Tranſubſtantiatio*, diſputationem hãc Calepinis & Sipontinis relinquemus. Sed ſi agimus de re ipſa; ſcilicet, an panis ille vel conuertatur, vel commutetur, vel tranſeat, vel fiat, vel *tranſubſtantietur* in Chriſti corpus, mox intelligetis, an trecentis abhinc annis tantummodo, notum id fuerit. atque initium ab Anſelmo faciamus: in primam enim ad Corinth. dicit; *Nec mirum, quod de pane & vino, carnem & ſanguinem ſuum fecit. nam & in quolibet homine, carnem & ſanguinem de pane & vino facit*. Haymon in eandem Epiſtolam *iſte panis tranſit in corpus Chriſti: nec ſunt duo corpora, ſed vnum corpus*. Theophilactus in Ioann cap. 6. *transformatur enim arcanis verbis, panis ille per myſticam benedictionem, & acceſſionem Sancti Spiritus in carnem domini*. Iſidorus lib. pri. de eccleſiaſt. offi. cap. 18. *panis & vinum, ſanctificata per Spiritum Sanctum, in Sacramentum diuini corporis tranſeunt*. Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 14. *panis & vinum, tranſmutatur, in corpus & ſanguinem*

nem Dei. Auguſtinus ſermone octauo de verbis Domini. *antequam conſecretur, panis eſt, vbi autem verba Chriſti acceſſerunt, corpus eſt Chriſti.* Ambroſius libro Quarto de Sacrament. cap. 5. *Vbi verba Chriſti operata fuerint, ille ſanguis efficitur, qui plebem redemit.* & paullo poſt, *licet figura panis & vini videatur, nihil tamen aliud, quam caro Chriſti & ſanguis credenda ſunt.* Baſilius lib. de ritu miſſæ: *faciat Spiritus Sanctus hūc panē, pretioſum corpus: & vinum, pretioſum ſanguinem, domini Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Gregorius Niſſenus de myſtica vita Moyſis: *cum ſit panis, in carnem vertitur.* Euſebius Emiſſenus in ſermone de Vita Domini, *Viſibiles creaturas, in ſubſtantiam ſui corporis & ſui ſanguinis conuertit.* Ciprianus in ſermone de Cœna Domini, *panis non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro.* Pontianus Papa Epiſtola prima ad Felicem: *Sacerdotes proprio ore, corpus Domini conficiunt.* Teleſphorus, in Decretali: *Sacerdotes proprio ore, corpus Chriſti conficiunt.* atque hic vixit Antonini Pij temporibus. an vero doctrina hæc, quam affero ego, vobis videbitur noua? ſed oporteret non excludi tēporis anguſtijs, vt ſexcentos alios locos afferre poſſem. interim concedo quidem, ſicuti nomen hoc, Chriſtianus, ortū eſt Antiochiæ: & Omouſion in Nicæno Cōcilio: & Deipara in Epheſino: & alia huiuſmodi aliter; ita hoc verbum *Tranſubſtantiatio*, quod maximè proprium eſt, maximamq; vim habet, in Lateranenſi Concilio ortum habuiſſe. ſed rem ipſam, nemo eſt, ex vetuſtis, & Sanctis Patribus, quin crediderit, docuerit, ſcripſerit. Et vos, ò decepti, magis Luthero, quàm vniuerſi his Patribus, & ipſi Scripturæ ſacræ, credetis? ſed nō eſt, cur vtar amplius tanta manſuetudine, impediriùe patiar, quominus tela capiam, & armatus in aciem prodeam. iam probaui quicquid à Concilijs ſtatuitur, id eſſe verbū Dei. Ecce igitur Dei verbum clariſſimum: *ſubſtantiam panis, & vini materialis, manere in*

Sacra-

Sacramento, anathema. decretum eſt Concilij Conſtanrienſis ſeſſione octaua. *corpus & ſanguis Chriſti, in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini, veraciter continetur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguine*. Et hoc in Lateranenſi Concilio declaratum eſt. *Sancta Synodus declarat, per conſecrationē panis & vini fieri conuerſionem totius ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri; & totius ſubſtantiæ vini, in ſubſtantiam ſanguinis eius; quæ conuerſio conuenienter, & propriè à Sancta Catholica Eccleſia tranſubſtantiatio eſt appellata*. hæc item decreuit Tridentinum Concilium: immò & hæc addidit, *ſi quis dixerit, in Sacroſancta Euchareſtiæ Sacramento, remanere ſubſtantiam panis & vini, Anathema ſit*. reſpiremus.

PARS ALTERA.

QVòd ad me attinet, dici poteſt, me diſceptationem hodiernam abſoluiſſe, immò abſoluiſſe, hanc Sanctæ Euchareſtiæ materiam; quatenus tamen eſt Sacramentum. nàm quatenus eſt ſacrificium, alio loco dicemus. quòd enim ad ipſam ſpectat, vti conſecratur, & communicatur; contra Oecolampadium, oſtendi; non eſſe tantummodo ſignum corporis Chriſti. contra Caluinum, docui; cùm ipſa ſumitur, non ſolum ſumi corpus Chriſti, ſed etiam corpus, re ineſſe, ſub ſpeciebus ipſius. contra Vuitcleffum, probaui, cum Chriſti corpore, non eſſe panem. & denique contra Lutherum, demonſtraui, panem non eſſe corpus: ſed panem, per *Tranſubſtantiationem* conuerti in corpus. itaque iure affirmare poſſem, abſolutam, vt dixi eſſe materiam hanc, & de alijs loquendum eſſe. ne tamen ego mihi ipſi, ſim cônſcius, prætermiſſum à me aliquid, quod animarum veſtrarum ſaluti prodeſſe poſſet; cum præſertim ea quæ dicturus ſum, aliquando alijs etiam nonnullam vtilitatem attule-

tulerint, vnũ tantũ afferam locum, cùm ſcilicet, quẽ dixi differri à me in hoc tempus: atque hunc, ſi æquo animo, ab omniq; perturbatione alieno, perpendetis, apertè cognoſcetis, & in hoſtia ineſſe corpus Chriſti, & in calice ſanguinẽ: neque in hoc, aut in illo, remanere vinũ aut panem. id vnum vos rogatos velim, ne ante iudicetis, quam cauſſam cognoſcatis. ac ſi quãdo longius à cauſſa digredi videbor, ne cõmoueamini, quòad finem dicendi faciam. intelligetis enim, vt ſpero, digreſſiones eas, non eſſe vere digreſſiones; neque à me dici quicquã, quod ad rem maxime nõ pertineat. Locus igitur, & verba omnia, de quibus, præcipuè mihi agendum eſt, hæc ſunt, quæ ſcribit Lucas cap. 22. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. dico enim vobis, quia ex hoc, non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei: Et accepto calice gratias egit, & dixit: accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* & quæ ſequuntur. ſed de ijs verbis, & illis, quæ Matthæus & Marcus ſcribunt ſimillimi quidem inter ſe, quæ ego dicam, paullo fortaſſe remotiora videbuntur, præſertim verò prima quæſtio. Cum enim exploratum ſit nobis, Chriſtum legalem agni cœnam feciſſe: feciſſe item Euangelicam corporis & ſanguinis ſui cœnã: & Apoſtolorum lauaſſe pedes; quæro ego, vtrum lauerit pedes, antequam vllam cœnam inciperet: an abſoluta vtraque cœna: an vero primum legalem fecerit, tum è menſa ſurrexerit, & lauerit; & ad menſam rediens, cœnam item Euangelicam fecerit. atque hæc parum referre videntur, ſed magni momenti ſunt. Chriſtũ, Luna decimaquarta, quæ fuit pridie eius diei quo mortuus eſt, & agnum occidiſſe, & azimos panes comediſſe, & agnum fuiſſe abſumptum, & factam ab eo legalem cœnam, & Paſcha Iudæorum, plane conſtat; & ab omnibus Euangeliſtis affirmatur. Matthæus enim ait: *Acceſſerunt diſcipuli dicentes, vbi vis pa-*

remus

remus tibi Paſcha? Apud te facio Paſcha. Parauerunt Paſca. Diſcumbebat cum duodecim. edentibus illis. Qui intingit mecum manum in paropſide. & pluribus locis. Marcus: *Quò vis eamus & paremus tibi vt manducemus Paſcha? Vbi eſt refectio mea, vbi Paſcha cum diſcipulis manducem? & parauerunt Paſcha. & diſcumbentibus eis, & manducantibus. Qui intingit mecum manum in catino.* & Lucas: *Miſit Petrum & Ioannem dicens parate nobis Paſcha. Vbi eſt diuerſorium, vbi Paſcha cum diſcipulis meis mãducem? & cum facta eſſet hora diſcubuit.* & Ioannes, *Et cœna facta, ſurgit à cœna.* Præter Paullum pluribus locis, & præter myſterium, de quo conſtat; vt poſtremam illam typicam cœnam faceret, quò inſtitueret, (vt fecit,) Euangelicam, & figuræ finem imponens, figuratum inchoaret. Conſtat item, factam eadem nocte, ab eo cœnam Euangelicam, & inſtitutam Sanctã Euchareſtiam: quod quidem & ſuadetur à myſterio quod diximus, & ab omnibus Euangeliſtis dilucide explicatur, vno excepto Ioanne. is enim rem ſilentio præterit: vel quòd eam narrauerant alij. vel quia arcano fortaſſe Spiritus Sancti monitu, deſcriptionem huius myſterij Paullo Apoſtolo reliquit, qui poſtea, quaſi quintus Euangeliſta, rem omnem diligentiſſime Corinthijs, enarrauit. Ioannes autem vnum tantum, quod ab alijs prætermiſſum fuerat, expoſuit. videlicet, Dominum eodem tempore, diſcipulorum pedes abluiſſe. itaque Chriſtum, feciſſe legalem cœnam: feciſſe item Euangelicam: & abluiſſe diſcipulorum pedes, nemo eſt qui ambigat. immò & quod pertinet ad duarum cœnarum ordinem, clarum eſt, prius legalem feciſſe, vti figuræ finem; poſtea verò Euangelicam, vti figurati principium. quo verò tempore pedes abluerit, difficultatem habet; videlicet, an antequam vlla fieret cœna; an poſt ambas: an medio, inter vtramque, tempore. Et quamuis horum trium ſingulorum, ſingulæ opiniones per animos multorum

rum peruaſerint, poſtrema tamen percrebuit magis, latiusq; diffuſa eſt: ita vt publicæ nomen ſibi vendicarit. Et certe, ijs qui affirmant, abluiſſe ante vtramque cœnam, nimis apertè Ioannes aduerſatur: dicit enim, *Et cœna facta*. quod ſi nonnulli nouo commento exponant, *cœna facta, ideſt parata*, in primis videtur detorta expoſitio, & vis facta verbis. tùm, paullo poſt, reperitur alius Ioannis eiuſdem locus, longe clarior: narratur enim, cùm Dominus vellet diſcipulis lauare pedes, *ſurrexiſſe à cœna, & poſuiſſe veſtimenta ſua*. ſunt item qui cenſeant, poſt vtramque cœnam, atque etiam poſt Euchareſtiæ inſtitutionem, ablutos fuiſſe pedes. & vt ita credant, eos illa ratio inducit; quoniam Ioannes recenſens, quæ Chriſtus de proditore prædixerat, affirmat, poſtquam Chriſtus illa prædixerat, *Exiſſe continuo Iudam*. præſentem autem affuiſſe Iudam inſtitutioni Euchareſtiæ, & ex Luca elicitur, & eſt communis ſententia. igitur cum Ioannes narret, habitum à Chriſto ſermonem illum de proditore, poſtquam pedes diſcipulis abluerat, dicatq; perfecto ſermone, continuo Iudam diſceſſiſſe, conſequens illis videtur, inſtitutum fuiſſe, Euchareſtiæ Sacramentum; antequam pedes abluerentur. ſed ij non diligenter rem conſiderant. quãuis enim Ioannes, poſt narrationem lauationis, ſtatim narret, quæ Chriſtus de proditore dixerat, non tamen ſequitur, nihil temporis inter lauationem, & eum Chriſti ſermonem interceſſiſſe; neque ſequitur, eo medio tẽpore nihil actũ fuiſſe. immo cùm Ioannes inſtitutionem Euchareſtiæ prętereat, ſi quæramus quo loco eam collocaſſet, vbi de illa ſibi ſcribendum putaſſet, ſatis apertè colligitur, ijs rationibus quas paullo poſt afferemus, de Euchareſtia dicturum fuiſſe, inter narrationem lauationis, & proditionis. quare apparet, hoc argumentum eſſe leue. neq; multo grauius illud eſt, quo probare volunt, iàm inſtitutionem Euchareſtiæ fuiſſe factam, quoniam Ioannes dicit, *cœna erat facta*.

ſta. & *ſurrexit à cœna*. nàm ſi diligenter attendent, cognoſcent, Ioannem item dicere, dominum poſtquam diſcipulorum pedes lauerat, *recubuiſſe iterum*. ideſt redijſſe ad menſam; & menſæ quidem accumbebat, cùm Ioannes ipſe *recubuit in ſinu eius*. Quare confirmatur potius tertia opinio, quam dixi magis probari, communiter, & patere latius; videlicet, poſt lauationem pedum, factam fuiſſe Euangelicam cænam. quid enim opus fuit, niſi hac de cauſſa, reuerti ad menſam, & iterum accumbere? Ioannes dicit quidem, *cœna facta*, ſurrexiſſe dominum, vt pedes diſcipulorum ablûeret: ſed cùm idem dicat ſediſſe rurſus, atque vt ita dicam conuiuium continuaſſe; indicatur, non intelligere eum, *cœna facta*; ideſt *finita*: ſed *cœna facta*; ideſt *inchoata*. vel *facta cœna*, non *Euangelica*, ſed *cœna legali*: quæ poſterior declaratio, magis etiam placet. Atque magnum hoc fuiſſe myſterium, Doctores affirmant; vt finita legali cœna, diſcipuli non continuò ad Euangelicam cœnam admitterentur, ſed lauarentur prius eorum pedes; nempe vt intelligerent, quanto mundiores purioreſq; accedere ad Euangelicam, quàm ad legalem cœnam, eos oporteret. & quamuis dominus, in cœna legali, à diſcipulis, aliam munditiam adhiberi nō poſtulet, quàm illam, de qua ipſe dicit; *Vos eſtis mundi, ſed non omnes*: venturis tamen ad Euangelicam cœnam, *ſurgit à cœna*, & etiam lauat pedes, antequam rurſus menſæ accumbat; & pro Euangelica cœna, dicat ipſis; *accipite & manducate: Hoc eſt corpus meum*. quare, quòd ad hanc primam quæſtionem attinet, arbitror ego, ex Euangelicis verbis; ſatis apertè colligi, hunc obſeruatum ordinem fuiſſe: ideſt, dominum cum ſuis Apoſtolis agnum comediſſe. tûm eorum lauaſſe pedes. poſtremo, reuerſum ad mēſam, rurſuſq; diſcumbentem, Sanctam Euchareſtiam inſtituiſſe, quæ cœna Euangelica eſt. quorſum autem hic ordo, & tota quæſtio hæc pertineat, paullo poſt intelligetis. Interim de alio

capite

capite mihi quærendum eſt: ac deinde, ad id quod mihi propoſui, propius accedam. Cum enim Lucas, & Matthæus, & Marcus, & omnes affirment, dixiſſe Chriſtum, ſe non eſurum fuiſſe, neque bibiturum amplius, vſque ad certum tempus, quod etiàm terminarit; quæro, quid ſibi velint verba illa terminum notantia? videlicet apud Matthæum, *cùm illud bibam vobiſcũ, in regno patris mei*. apud Ma~~teum~~ (th: 26), *cùm illud bibam nouum in regno Dei*. & apud Lucam. *Donec impleatur in regno Dei*. rurſusq́;, *Donec regnum Dei veniat*. perdifficilis ſanè eſt auditores, & perobſcura, hæc quæſtio; ſic vt erudita Elbidia, cum proponeret doctiſſimo magiſtro ſuo Hieronymo Sacræ paginæ quæſtiones, hanc etiam inſereret, cuperetq́; verba illa, ab eo declarari. Et Eucherius Epiſcopus, in difficilibus, literarum diuinarum locis, hunc etiam annumerat. neque verò ego id mihi ſumo, vt meipſum eorum iudicem conſtituam, qui de hac re, & inter ſe diſſentiunt: ſed tantummodo, eorum ſententias, & in quam partem ego ſim propenſior, vobis exponam. Tres, de ijs verbis, ſunt præcipuæ opiniones; Hieronymi, Auguſtini, & Chryſoſtomi. moralem interpretationẽ Hieronymus probat; dicitq́; fore, vt tunc Chriſtus *vinum nouum in regno Dei bibat*; cùm Iudæi, relicto vetuſtatis errore, conuertentur, ſeſeq́; transferent, ad Eccleſiam Dei. ſed nonnulli reſpondenr, interpretationem hanc ad germen vitis, non pertinere: dicuntq́;, ſi intelligatur de potu myſtico, affirmari poſſe, longe ante, eo modo, ideſt myſtice bibiſſe Chriſtum; quoniam *bibit calicem quem dedit ei pater*. præterea cùm dicat Chriſtus, apud Matthæum & Marcum, *de hoc genimine*, articulus, *hoc*, ſignificare videtur, vinum de quo loquebatur, naturale eſſe, vt illud ipſum, quod appoſitum erat in cœna. atque difficultas hæc, tanti ponderis fuit, vt plures ab Auguſtini ſententia auerterit: cenſet enim Auguſtinus lib. pri. Quæſtio. Euangelic. cap. 43. regnum Dei, eſſe glo-

gloriam: Chriſtumq́; voluiſſe dicere; non bibam amplius, donec omnes ſimul bibamus vinum longe iucundius; ideſt gloriā æternam. quoniam articulus hoc, oſtendit, loqui Chriſtum de vino non quidem myſtico, ſed generis eiuſdem, quod tum erat appoſitum. atque illud profectò bibit, (ſi de conſecrato loquamur,) in Emmaunte, cum diſcipulis: bibitq; item, (ſi de non conſecrato intelligamus,) poſt reſurrectionem: vt Petrus ait Act. cap. 2. *Qui manducauimus, & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis*. quare, multo plures, præclaram ſane Chryſoſtomi ſententiam ſequuntur, in quā ego ēt, propendeo. cenſet enim Chryſoſtomus, regnū Dei, nil eſſe aliud, niſi tempus illud, quo in terris cōmoratus eſt, poſtquā è, mortuis redijt ad vitam: tùm inquam, cùm *data eſt illi omnis poteſtas*. Et bibiſſe quidē eū vere, hoc tēpore affirmat; ſed *nouum*. ideſt *nouo modo*; cùm enim, antequam moreretur, biberet, vt ſuſtentaret corpus, tunc cùm à morte redierat ad vitā, bibebat, vt fidē ſuſtentaret. hæ tamē tres opiniones, oēs pulcherrimæ ſunt. Et mihi quidem, ad ea quæ molior, ſatis eſt dicere; Chriſtū affirmaſſe, ſe non eſurum, neque bibiturum amplius, ante reſurrectionē: ſiue intelligatur potus ille, de gloria æterna; ſiue de Iudæorū conuerſione, ſiue de quouis alio. ſatis inquam habeo, oēs opiniones in hoc concordes eſſe; vt Chriſtus prædixerit, ſe non eſurū fuiſſe, neque bibiturū, *de hoc genimine vitis*, ſiue id cōſecratum eſſet, ſiue ſecus; vſque ad mortem. illud etiam vobis excidere nolim auditores, (& ad rem redeo) verbum *Donec*, aliquando ſignificare, *nunquam*: vt eo loco; *Donec ponam inimicos tuos*. & illo; *Donec peperit*. & alijs multis. Cùm autē ea dixerimus, quæ vos præmonitos eſſe volebamus: videlicet ablutos fuiſſe pedes medio tempore, quod inter cœnā legalem, & Euangelicam interceſſit. & verba, *Donec regnum Dei veniat*, intelligi *Dum vixero*. nunc ad Euangelica veniamus: & in primis ad Euangelium Lucæ. is auditores in tota narratione

cœnæ,ſiue cœnarũ; quatuor,ordine exponit. primo loco ; Chriſtũ, *cùm facta eßet hora,diſcubuiße,& duodecim Apoſtolos cũ eo :* dixiſſeq; illis; *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare uobiſcum, antequã patiar. Dico enim uobis,quia ex hoc nõ manducabo illud,donec impleatur in regno Dei.* ſecũdo loco dicit, *accepto calice gratias egiſſe,& dixiſſe: accipite & diuidite inter vos;dico enim uobis,quod nõ bibam de generatione vitis, donec regnũ Dei ueniat*. tertio loco hæc addit; *accepto pane gratias egit,& fregit,& dedit eis dicẽs, Hoc eſt corpus meũ quod pro uobis tradetur: hoc facite in meã commemorationẽ.* poſtremò; accepiſſe,dediſſeq;, *ſimiliter et calicem poſtquã cœnauit,dicens: hic eſt calix,nouũ teſtamentum in ſanguine meo,qui pro uobis fundetur*. ideſt, primo loco, dixiſſe; deſideraui facere hoc Paſcha vobiſcum : & horum nihil comedam amplius, antequam moriar. ſecundo,dediſſe eis calicem vt biberent, dixiſſeq; vinum non bibã amplius,ante mortẽ meã. Tertio, dediſſe eis panem,& dixiſſe; *hoc eſt corpus meum*. quarto,cùm eis calicẽ daret,dixiſſe; *hic eſt ſanguis meus*. quo circa,ſemel locutus eſt de cibo,non facta corporis ſui,mentione: & ſemel de potu,nõ facta mentione ſanguinis. tùm rurſus de cibo locutus eſt, dicens; *hoc eſt corpus meum:* & rurſus itẽ calicẽ dedit eis,dicens; *hic eſt ſanguis meus*. qua in re,cũ facti ſeriẽ & ordinẽ quærimus,in magnã difficultatem incurrimus. cùm enim duas cœnas fuiſſe factas oſtenderimus: alteram legalem ; Euangelicã alteram : medioq; inter vtramque tẽpore,abluiſſe dominũ diſcipulorũ pedes; ex ijs quatuor,quæ Lucas narrat à Chriſto fuiſſe dicta,quærimus,quo tempore,vnumquodque dictũ ſit: ideſt in priori ne, an in altera cœna. immò re vera,prima duo quæ dixit,ea tantum difficultatem habent. nàm quòd attinet,ad alia duo,quæ dixit poſterius,videlicet ; *hoc eſt corpus,& hic eſt ſanguis*; plane conſtat, dicta fuiſſe in Euangelica cœna ; poſtquam lauerat diſcipulorũ pedes; & cùm inſtituit,communicauitq; ſanctiſſimam Euchareſtiam. Sed de

Luc. 22

duo-

duobus quæ dixit prius: ſcilicet; *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum:* & illud, *Diuidite inter vos: nō bibam amodo,* quæſtio eſt,quo tempore dixerit ea Chriſtus: antequā lauaret pedes; an poſtea. Vtrum in cœna legali, an in Euangelica, & in ſum ma, *Paſcha illud quod deſiderauerat manducare,* & quod non erat eſurus amplius,fuerit ne legale, an Euangelicum. & vinū id, de quo dixit, *diuidite inter vos,& non bibā amodo,* fuerit ne illud quod erat conſecratū;an illud quod conſecratum nō erat. ordine dicamus. Atque in primis,nonnulli ſunt, pauci tamen,& inter illos Ruffenſis vltimo loco aduerſus Oecolampadium, qui cenſent verba illa,*Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcū,* dicta fuiſſe, poſtquā Chriſtus lauerat diſcipulorum pedes, eūq; locutum de ſanctiſſima Euchareſtia;quam deſiderauerat comedere cum ipſis: & quam non eſurus eſſet amplius,niſi poſt reſurrectionē,quo tempore comedit eam, cum diſcipulis in Emmaunte: rationes autem præcipuæ,immò ſolæ, quas afferunt; tres ſunt. prima,quoniam Chriſtus loquitur, (vt patet) de Paſcha, quod rurſus poſt reſurrectionē eſurus erat, *cùm regnū Dei ueniat:* at Paſcha legale,nunquam comedit amplius,ſed comedit quidē Euangelicum in Emmaunte: igitur de Euangelico, nō delegali,locutus eſt. altera: quia loquitur de Paſcha, quod vehementer deſiderabat: *Deſiderio deſideraui*. legale autē Paſcha non deſiderabat quidem, immo ab eo ēt abhorrere volebat: ergo locutus eſt de Euangelico. poſtrema; quoniam tres Doctores, in ea ſunt ſententia,vt hoc Paſcha adeò deſideratum à Chriſto,ſit Euangelicum nō legale. & hi ſunt,Euſebius quem refert Catena; Hieronymus in Matthæum cap. 26. & Tertullianus lib. quarto cōtra Martionē. Et quidem quæ ab his dicuntur,negari non pōt quin pulcherrima ſint,& ſpeciē habeant. Sed tamen ſi rectè ea diſtinguemus,diligenterq; perpendemus,mihi credite,rationes illæ nō vrgebunt: quin potius earū aliqua,atque oēs fortaſſe,contrarium oſtendent. nàm,quòd ad primam attinet; qua dicunt, Chriſtū

 locu-

locutum eſſe de Paſcha,quod rurſus eſurus eſſet,cùm à morte redijſſet ad vitam,poſſumus tribus modis reſpondere: vel eo loco intelligi Paſcha,ex ſententia Hieronymi, conuerſionem Iudæorum. vel ex Auguſtini ſententia,intelligi cœleſtem gloriam, nõ autem,vt ipſi cenſent,Paſcha Euangelicum. vel denique negare poſſum,Chriſtum poſt reſurrectionem Paſcha illud eſurũ fuiſſe, de quo tunc loquebatur. nàm quamuis cum Chryſoſtomo concedam,tempus illud,quo Chriſtus poſt reſurrectionem moratus eſt in terris,accipi pro regno Dei; dico tamẽ,verbũ *Donec*, nõ ſignificare finitum,& terminatum tempus; Et quemadmodum Chriſtus ſedebit à dextris, *Donec ponantur inimici*, neq; tamen cùm poſiti fuerint, tunc ſedere deſinet, ſed perpetuo ſedebit: ac ſicuti Ioſeph Mariam non cognouit, *Donec peperit*, nec iccirco,cum Maria peperit,deinde virginitatem amiſit,ſed ſemper intacta permanſit; ita Chriſtum dixiſſe,ſe non eſurum legale Paſcha, *Donec* reſurgeret; neque tamẽ poſt reſurrectionẽ,aliaſuè vnquam, illud ediſſe. cùm igitur aſſerunt, loqui Chriſtũ de Paſcha, quod eſurus eſſet,poſtquam ſurrexiſſet à mortuis,negare id poſſum: & dictionem *Donec*, eo modo interpretari quo audiſtis. Verumtamen demus,locutum fuiſſe Chriſtum, de re, quam eſurus eſſet,poſt reſurrectionem; Sed animaduertendum eſt,cum dicit, *Ex hoc non manducabo illud:* non intelligi, *Ex hoc tempore, non manducabo illud Paſcha:* ideſt Paſchalem Agnum tantummodo. ſed vel omnia, quæ apponebantur cum ſolenne Paſcha celebraretur: in quibus erat etiam panis: vt præclarè Innocentius dicit, de offitio Miſſæ. vel verbum *illud*, perinde eſſe,ac ſi diceret, *quicquam*. & generaliter dicere,ſe non eſurum quicquam amplius,quoad à mortuis reſurgat. quare affirmo,nõ oportere intelligi de cœna Euangelica,cum Chriſtus dicit, non manducabo quicquã amplius: vel non manducabo aliquid horũ quæ ſunt appoſita,quoàd reſurgam. cùm enim poſt reſurrectionẽ comederit,vt habent Apoſtolorũ Acta: & veriſimile ſit,

ediſſe

ediſſe eius generis cibos, cuius fuerant, cœnæ legalis cibi, nihil videtur laborandum amplius, ſed rectè intelligi poſſe, locutum eſſe Chriſtũ de cœna legali, cùm dixit *Deſiderio deſideraui manducare hoc Paſcha vobiſcum*. immò argumentum retorqueo, dicoq; , Chriſtus de cibo loquitur, quem eſurus erat poſt reſurrectionem. ſed *nouo modo: nouum in Regno Dei*: at cibum conſecratum, non comedit Chriſtus *nouo modo*; quoniam ante, & poſtquam paſſus eſſet, ſemper comedit *ſacramentaliter*: cibum autem non conſecratum, comedit *nouo modo*, ideſt non propter corporis alimentum. igitur cùm dicit, *Ex hoc non manducabo illud*; de non conſecrato loquitur; non autem de conſecrato. quo circa, prima eorum ratio, potius à mea ſtat, quàm ab illorum cauſſa. ſecunda item ratio qua dicunt, non eſſe veriſimile deſideratum à Chriſto fuiſſe legale illud Paſcha, quod deinceps tollere volebat, & abolere; paruo negocio refellitur. nàm duobus modis quid deſiderari poteſt: vel vt vltimus deſiderij finis: vel vt medium, per quod ad vltimum finẽ perueniatur. Exempli cauſſa. quis in carcerem coniectus eſt, vt eo decem annis contineatur incluſus. adueniente poſtremò decem annorũ die, dicit lætari ſe, quòd dies ille tandiu deſideratus illuxerit, quid igitur? deſiderauit ne diem vnum, quo adhuc carcere teneretur? cur potius ſequentem diem non optauit, quo ſolutus & liber emitteretur? dicimus, conſiderandũ eſſe ordinem. optaſſe enim præcipue ſequentem diem, vti libertatis initium; & item antecedentem optaſſe, vti ſeruitutis finem. ſimili ordine, Chriſtus deſiderauit præcipue, inſtitutionem cœnæ Euangelicæ: ſed ordinis ratione, deſiderauit etiam, poſtremam legalem cœnã, vti figuræ omnis terminum, & finem. idq; verum eſſe, inde apparet: quoniam non dicit, (vt videtis) ſe deſiderare legale Paſcha generaliter, ſed ſigillatim, illud Paſcha: quoniam poſtremum erat. neque enim dicit *Deſiderio deſideraui Paſcha*

manducare vobiſcum: ſed *hoc Paſcha:* hoc vltimum; quoniam proxime, illud antecedit, tantopere à me deſideratum, quod eſt Euangelicum Paſcha. Ex his autem quæ diximus, apparet etiam, quam parum vrgeat tertia ratio, quæ trium illorum Patrum, Euſebij, Hieronymi, & Tertulliani, auctoritati innititur. nàm ſi accedatis ad fontes locorum, quibus ij, de hac materia diſſerunt, quoſque vobis afferre, temporis anguſtijs prohibeor, comperietis profecto, patres illos, non negare, quin Chriſtus hoc poſtremum Paſcha deſiderauerit. negant quidem, deſideratum ab eo, vti Paſcha legale generaliter: & iure negãt. non enim deſiderauit illud vti Paſcha legale: ſed vti finē ipſius, & proxime antecedens Euangelico Paſchæ. Præterea, quamuis hi tres aliter ſentirent, cum aliqui doctores præter eos non citentur, id argumento eſt, reliquos omnes, mecum ſentire; & à me communem opinionem ſtare. vſque eò, auditores, vt Auguſtinus ipſe, (vt paullo poſt audietis) qui verba, *non bibam, & calicem*, cenſet Euangelicum eſſe, non tamen aduerſetur, quin hoc Paſcha, deſideratum à Chriſto, legale eſſe, intelligatur. duæ item aliæ rationes, ſuccurrunt. altera eſt, quòd Lucas ſcribit, verba illa à Chriſto dicta fuiſſe, continuò, poſtquam *diſcubuit, & duodecim cum eo*. tantùm autem accubuerant, cùm incœpta eſt legalis cœna, non Euangelica: ergo non dicta ſunt, de Euangelica, ſed de legali. nec refert dicere: poſt ablutos pedes, eos mēſæ iterum accubuiſſe: id enim ad ſolum Chriſtum pertineret, *qui recubuit iterum:* non autem ad duodecim Apoſtolos; quos non legitur mouiſſe ſe veſtigio, nedum rurſus *diſcubuiſſe cum eo.* altera eſt ratio; cùm Lucas eadem pagina, quater vſus ſit, hoc verbo, *Paſcha*; pro legali Paſcha: ſcilicet, *in qua neceſſe erat occidi Paſcha. Euntes parate nobis Paſcha. Vbi eſt diuerſorium, vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? & parauerunt Paſcha:* quare credamus Lucã, cuius narrationes, diſtinctæ, apertæ,

tæ, dilucidæq; ſunt, miſcuiſſe omnia; & poſt duo verba, eandem variato ſenſu vocem vſurpaſſe? denique, qui hæc diligenter perpendet, comperiet omnino; à ſcopo, me non aberrare. non videtur ergo dubitandum, quin Chriſtus dominus noſter, verba illa dixerit de Paſcha legali; & quin menſæ accumbens, cū ſuis Apoſtolis, dixerit, vehementer deſideraui, hoc poſtremum Paſcha comedere vobiſcum; ideſt Agnum hunc, has lactucas, hos azimos panes, ac demum quæcunque ſolebant apponi, cùm Paſcha celebraretur: quoniam de hoc Paſcha, & de his omnibus, non comedam amplius, donec à mortuis reſurgam. præcipuè autem, dicit Chriſtus: (diligenter id animaduertite, nàm ad rem meam maxime pertinet,) panem illum azimum, qui verbo Paſchæ comprehenditur, ſe non eſurum amplius antequam moriatur. Veniamus nunc ad ea quæ ſecundo loco ſcribit Lucas: ideſt, Dominū accepto calice *gratias egiſſe*, dediſſeq; Apoſtolis & dixiſſe *Diuidite inter vos*: addidiſſeq; *non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*: nàm de his etiam verbis eſt quæſtio; an dicta ſint ante pedum ablutionem, an verò poſt. in Euangelica cœna, an in legali. & an Calix quē Chriſtus dat, dicitq;, ſe non bibiturum amplius, conſecratus ſit, an vero, non conſecratus. Atque in primis, non poſſum non mirari quòd diuus Auguſtinus: qui concedens quicquid dixerat Lucas, intelligendum eſſe de cibo legali; vbi poſtea de calice agitur, affirmat exponendum eſſe de calice Euangelico. cùm enim Lucas bis locutus ſit de cibo, aſſeratq; Auguſtinus, ſemel locutum eſſe de legali, & ſemel de Euangelico: cùmq; bis etiam loquatur de calice; non video, quare in eam opinionem venerit Auguſtinus, vt potius diceret, eum vtroque loco, idem repetijſſe; quàm, pulcherrima diſtinctione vt ſolet Lucas, in ſuis dilucidis apertiſſimiſq; narrationibus, concedere; Lucam, ſemel de calice legali, ſemelq; de Euangelico locutum eſſe. nàm in ea

eſt ſententia Auguſtinus, & pauci alij, duabus tantum de cauſſis, quæ non admodum firmæ, magniuè ponderis eſſe videtur. primum enim dicunt, Chriſtum, cùm calicem diſtribuit *gratias egiſſe*. quæ actio, ad conſecrationem pertinet. deinde aſſerunt, Matthæum & Marcum in narratione cōmunionis Euangelicæ, verbis eiſdem, & circunſtantijs vſos eſſe, quibus hic vtitur Lucas, loquens de primo hoc calice. reſpondetur enim, verum eſſe, vbi conſecratur, agi gratias; ſed non eſſe verum, quoties aguntur gratiæ, conſecrari. nàm ad Lazari quoque monumentum, dictum eſt, *Pater gratias ago tibi:* neque tamen eſt conſecratum. immò dicitur, eſſe locum Ioannis cap. 6. in eadē materia panis & diſtributionis, qui habet, Chriſtum, *accepiſſe panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuiſſe diſcumbentibus*, eodem prorſus modo, quo dicitur hic, *accepto calice gratias egiſſe:* & tamen plane conſtare, tunc conſecratum non fuiſſe. Et in libris ritualibus hebræorum expreſſe habetur, etiam in cœna legali, & factas benedictiones, & actas gratias. altera eorum ratio eſt; à Matthæo, & Marco, narrari de calice Euangelico, eiſdem circunſtantijs, quibus, de hoc primo Lucæ calice narratur: & iccirco hunc ipſum pariter accipiendum eſſe pro calice Euangelico. Sed pace eorum dixerim, non eſſe circunſtantias eaſdem: immo nonnullas eſſe quæ ab ijs differant, ac præſertim duas, quæ notandæ ſunt. altera, quòd Matthæus, & Marcus narrantes de calice Euangelico, dicunt quidem, à Chriſto dictum fuiſſe *Bibite:* ſed non dicunt, quod hoc loco Lucas affirmat, ſcilicet à Chriſto dictum, *diuidite inter vos*. altera, quæ magis etiam animaduertenda eſt, quòd vbi de calice Euangelico agitur, Matthæus, & Marcus, addunt, *qui pro vobis fundetur:* Lucas autem hic, nihil addit. immo Lucas, bis de calice loquitur, & videtur ipſe optime diſtinguere. nàm primo loco dicit, *diuidite*, quod pertinet ad calicem legalem: ſecundo loco non id dicit. tùm.

ſe-

ſecundo loco, dicit, *qui pro vobis fundetur:* quod pertinet ad calicem Euangelicum, cùm illud primo loco non dixerit. quare rationes hæ, non admodum me mouent. moueor quidem Auguſtini auctoritate, cui, vt debeo plurimum tribuo: ſed ei Hieronymum oppono. eruditiſſimum virum, qui in ſtudijs Euangelicæ ſcripturæ, maxime diutiſſimeq; verſatus eſt. is enim in Matthæi cap. 26. de Luca loquẽs, ait *ponere eum calices duos,* non vnum tantum. magni item, inter recentiores auctores, æſtimo Cardinalem Caietanum, præſertim in exponendo ſenſu literæ, qui pro mea eſt ſententia: & legali cœnæ, proprium calicem aſſignat. præterea cùm ſoleat Lucas narrare diſtinctè, dilucideq;: cùmq; poſtremus Euangeliſtarum, cœnam narrarit, non veriſimile videtur, hoc loco, rem implicuiſſe & confudiſſe, vt cùm de duplici cibi genere bis locutus eſſet; bis item, ſed de vno tantum potus genere loqueretur. immò cùm animaduerteret, à Matthæo & Marco, explicatam plane, tantummodo cœnam Euangelicam fuiſſe, credendum eſt Lucam, rem ordine narrare voluiſſe, dixiſſeq; prius de cœna illa legali: qua Christus Apoſtolis ſuis calicem non conſecratum dedit, & de quo dixit; *non bibam de generatione vitis:* & quæ ſequuntur. quare poſt litem paullo fortaſſe longiorem à primo ad poſtremum, clare apparet, ordinem hunc adhibitum fuiſſe. vt accumbens Chriſtus, legalem cœnam fecerit; in qua dixit, ſe non eſurum amplius, de ijs quæ appoſita erant, neque bibiturum germen vitis amplius, antequam pateretur: tùm ſurrexerit, & diſcipulorũ pedes abluerit. demumq; rurſus accumbens, fecerit Euangelicam cœnam, eiſq; panem & vinum conſecratum dederit. quibus, ſic ſe habẽtibus, vt ſatis aperte mihi videor demonſtraſſe, tempus eſt, tandem, vt ad id reuertar, vnde digreſſus ſum. cùmq; contra Vuitcleffum, & contra Lutherum hac diſceptatione probauerim, in Euchareſtia nõ ineſſe panem, neque vinum, cùm hæc iàm *tranſubſtantiata* ſint; igitur aduerſus Caluinum, & aduerſus Oeco-

ſub-

lampadium, ſub illis ſpeciebus, eſt corpus,& ſanguis, & anima, & diuinitas Chriſti. Et ecce me redeuntem ad rem; atque ex ijs quæ dicta ſunt, argumentationem illam colligentem, quam cũ ipſis Euangelij verbis coniunctam, vbi quiuis audierit, obmuteſcat illicò, neceſſe eſt. Audite Caluiniſtæ; Lutherani audite. Chriſtus igitur, priuſquam diſcipulorum pedes lauaret, iàm dixerat, ſe non eſurum fuiſſe amplius Paſchales cibos: vnde conſequens eſt, vt non eſſet eſurus panem: & item dixerat ſe non bibiturum amplius vinum. nonne id verum eſt? maximè. iàm enim aperte probatum eſt. is abluit diſcipulorum pedes & cœnam inſtituit: non ne & hoc eſt verum? negari non poteſt. præterea reſpondete; cùm in Euangelica cœna, Euchareſtiam Apoſtolis ſuis dedit, nonne etiam ipſe comedit; & cùm dedit calicem, non ne ex eodem, & ipſe bibit? doctores affirmant: nemo ne hæreticus quidem, id negauit vnquam. atque in veſtris cœnis, miniſtri veſtri edunt, & bibunt, vt ſignificent, Chriſtũ in Euangelica cœna feciſſe vtrumque: quod item vos negare non poteſtis. audite igitur nunc argumentationem, totam ex enuntiationibus conſtantem, quas vel ex ſcripturis colligimus, vel vos ipſi fatemini. Chriſtus, primum dicit, ſe amplius non eſurum panem: poſtea comedit panem conſecràtum: igitur vel panis conſecratus, non eſt amplius panis; vel mendax eſt Chriſtus. Et de calice clarius; primum dicit, ſe vinum non bibiturum amplius: deinde bibit de calice conſecrato, igitur in calice conſecrato, vel non ineſt amplius vinum; vel Chriſtus mendax eſt. ſed fieri nullo modo poteſt, vt veritas mentiatur: Ergo conſecrata hoſtia, & conſecrato calice, eſt quidem ſub ſpeciebus illis Chriſti corpus; ò, Oecolampadi, & Caluine: ſed non ineſt neque panis, neque vinum, ò Vuitcleffe, & Luthere. perpédite nunc vos diligenter argumentationem auditores: & an vrgeat firmiſſimaq; ſit, iudicate. Vnum adhuc reſtat, quod inijcere ſcrupulum videtur: quod quidem, ego vobis euellam, de-

inde

inde huic diſceptationi finem imponam. cùm enim Matthæus & Marcus cœnam Euangelicam narrant, affirmant, illa eadem verba *non bibam amodò*, Chriſtum dixiſſe etiam, poſtquam calicem conſecrarat, quæ Lucas ſcribit in cœna legali fuiſſe dicta. ſed ego duobus modis reſpondeo. primo, fieri poſſe, (quemadmodum Auguſtinus pluribus locis aſſerit,) vt Matthæus, & Marcus hic, *ordinem rei factæ non ſeruarint*. & ſcripſerint quidē illi, eadem verba quæ dixerat Chriſtus, ſed non eodem loco, ordineq; quo Chriſtus dixerat, collocarint: immo cum Chriſtus illa dixiſſet in cœna legali, quam vterque ſilentio prætèrijt, in Euangelicam cœnam tranſtulerint. quòd ſi quis obijciat, eodē modo poſſe de Luca dubitari, videlicet, quæ Chriſtus dixerat in cœna Euangelica, fuiſſe à Luca, in legali cœna relata, dicimus, ſi quærere rei geſtæ ordinem velimus, ab eo nobis petendum eſſe, qui ſolet in eo ſeruando eſſe diligentior, quiq; poſterior in ſcribendo fuit, ſcripſitq; fuſius. quare, cum Lucas ſemper ſoleat, explicate dilucideq; res narrare, cùmq; poſt Matthæum, & Marcum, cœnam deſcribat, narretq; eam latius quàm cæteri, addens item narrationem cœnæ legalis ab illis omiſſam; certe ab eo potius, quàm à quoquam alio, ſeries, ordoq; rei geſtæ, colligendus eſt. quòd ſi Chriſtus, ſemel tantum dixit, *non bibam*, magis credere debemus, Lucam auctorem ſequentes, dictum eſſe in legali cœna, quam in Euangelica, Matthæo & Marco adhærentes. altero modo reſpondeo: quamuis cum multis ego concederem, idem à Chriſto bis dictum fuiſſe, ſcilicet in vtraque cœna, & legali, & Euangelica; non tamen de cibo de quo in legali tantum, locutus eſt, ſed de potu; ideſt ſicuti Chriſtus bibens vinum in cœna legali, non conſecratum, vt Lucas ait, dixit, non bibam amplius vinum; ita concedam, bibentem vinum conſecratum in cœna Euangelica, vt Matthæus & Marcus affirmāt, dixiſſe, *non bibam amodo de hoc genimine vitis:* pro me ſunt tamen, hæc omnia. nàm verum eſſe apparet, poſt legalem

galem cœnam,& ante Euangelicam, dixiſſe Chriſtum, ſe vinũ, non bibiturum fuiſſe amplius. item conſtat verum eſſe, immo probatur, bibiſſe Chriſtum,vinum conſecratum: quoniam non dixiſſet etiam de conſecrato, *non bibam amodò*; niſi illud antea bibiſſet. igitur pater, veriſſimum eſſe totum argumentum, ſcilicet quicquid bibit Chriſtus in calice conſecrato, omnino non fuiſſe vinum. quòd ſi obijceres, quare igitur illud, iterum vinũ appellat; dicens rurſus, *non bibam?* poſſem eo modo reſpondere, quo in altera diſceptationis huius parte,reſpondi; ſcilicet,nõ appellare vinum, quia vinum ſit, ſed quia fuerit prius: eo modo quo ſerpens,appellabatur virga, quia antea fuerat virga. Sed ad hæc, animaduertendum eſt, non appellari amplius ab eo ſimpliciter vinum, ſed articulum addi; qui quodam modo verbo illi moderetur. quaſi dicat,de hoc huiuſmodi vino;quod vinum videtur. Et cùm Lucas ſimpliciter dicat, *de generatione vitis*; non tamen Matthæus,neque Marcus dicunt *de genimine vitis*; ſed *de hoc*; *de hoc genimine vitis*. ideſt ſicuti primum dixi,me non bibiturum amplius vinum, & non bibi; hoc enim iàm non eſt, ſed videtur vinum; ita nunc dico, ne hoc quidem ipſum,quod ſpecie videtur vinum,bibiturum amplius,antequã moriar. itaque maxime conſiſtit,vigetq; firmiſſimum illud argumentum; quod vt vobis bene explicarem, præſcriptum alteri huius diſceptationis parti tempus, conſumpſi. ſed qui rectè Lucæ verba perpenderit, clariſſime cognoſcet, Chriſtum, cùm panem conſecratum comedit,& bibit conſecratum vinum, vel non manducaſſe panem,neque vinum bibiſſe; vel quod omnino fieri,eſſeuè nunquam poterit, eum, duo inſignia mendacia dixiſſe. Reſtat igitur, vt vos intelligatis, me non ineptè feciſſe, cùm paullo longius digreſſus ſum: atque ſicut heſterna diſceptatione probatum eſt, in Euchareſtia ineſſe corpus Chriſti;ita hodierna, probari; non ineſſe panem, neque vinum in ea. Abite felices.

DISCE-

DISCEPTATIO XVII.

Qua docetur, quàm verum, quàmq; neceſſarium ſit Sanctiſſimum altaris ſacrificium. oſtenditur, poſt figuras, & prophetarum oracula quæ ipſum ſignificabant & prædicebant, à Chriſto demũ inſtitutum fuiſſe: Et Chriſti exemplo, Apoſtolos ipſos, & vetuſtiores patres, miſſam celebraſſe.

Contra Caluinum libro Quarto Inſtitutio. cap. 18.

MALE omninò agi videtur hodie, cùm Suſanna noſtra, Sereniſs. Princeps: quoniam ij teſtes, qui primò diſſidebant inter ſe, nũc conſentire; & ſenes duo, qui tantopere diſcrepabant, videntur eſſe concordes. Suſanna, ſi meminiſtis, auditores, erat Eccleſia Romana. duo ſenes, Caluinus & Lutherus. accuſabant eam adulterij, quoniam Deo ſubtrahens quod erat Dei, modò ſimulachra, & imagines adorabat; aliquando homines meros: interdum ipſum panem. atque, quod etiam deterius videbatur ex eo pane ſacrificium faciebat. Verum quidem eſt, cùm ſenes ſeorſum interrogaremus, quæreremusq; qua ſub arbore commiſſum adulterium eſſet, inter ſe diſſentientes, maximeq; diſcordes ſemper inueniſſe. Caluinus ſimulachra & imagines exterminauit; Lutherus non reiecit. Caluinus inuocationem excluſit, quoniam Chriſto fieret iniuria: Lutherus, quoniã Deus vti non capax argueretur. Caluinus in Euchareſtia ſanctiſſima non ineſſe Chriſti corpus affirmauit: Lutherus ineſſe quidẽ dixit, ſed ineſſe etiam panem. Verum hodie aliter ſe habet. nàm aduerſus Suſannam, conuenit inter ſenes: neque ſolum cõuenit, vt in eam, de miſſæ ſacrificio, quod offert Deo, teſtimonium,

nium dicant; ſed etiam conſpirantes contra Romanam Eccleſiam, & contra miſſam ipſam, omnia turpiſſima maledicta, congerunt, eamq; horrendis conuitijs conſectantur. nàm Lutherus in libris de abroganda miſſa, & de Captiuitate Babilonica, hæc ait: *Miſſæ ſunt ſumma idololatria, & impietas: & miſſam tenere, eſt negare Chriſtum, quoniam miſſa eſt ſumma peruerſitas*. Et Caluinus lib. Quar. Inſtitut. cap. 18. hæc inquit; *Romanus Antichriſtus, ac eius propheta, hac opinione totum orbem imbuerunt; nempe miſſam eſſe opus, quo Sacerdos qui Chriſtum offert, & alij qui in oblatione participant, Deum promerentur*. alia item maledicta & innumerabiles blaſphemias & execrationes accumulant. quibus refellendis, cùm recenſere eas neceſſe ſit, maxima ſanè moleſtia afficimur, vt merito, quod ſingulas enumerare nolimus, excuſandi eſſe videamur. ſed æquum erat, (ait Alfonſus de Caſtro, & præclare quidem) quemadmodum Antiochus volens tollere, & funditus euertere Hebræorum legem, in primis ſacrificium ſuſtulit; ita iſtos, qui ſpecie pretioſum Chriſtianorum nomen oſtentant, re, Chriſti legem ita oderunt, vt nihil magis; delere eam conantes, à ſacrificij oppugnatione, maleficiorum ſuorum initium ſumere. ſed illud ſacræ Paginæ fallax eſſe, mentiriuè non poteſt: *non eſt pax impijs*. quare, in ijs etiam quæ ad miſſam pertinent, ſi diligenter inquiramus controuerſias inter illos eſſe comperiemus: quas tamen eorū cauſſæ nocere, detrimentumuè afferre nolumus, ſed eas remittimus, facileq; condonamus. Ea tamen lege conditioneq;, vt vos, ò decepti attentè audiatis: neque credatis mihi, niſi apertiſſimè demonſtrauero, neceſſe omnino eſſe, vt in Chriſti lege ſit ſacrificium: atque hoc, non eſſe vetus Hebraicum. non eſſe item ſacrificium laudis. neque ſacrificium Crucis; ſed eſſe miſſam. repeririq; miſſam ipſam manifeſtò, in figuris, in prophetarum oraculis, in Pſalmis, in veteri teſtamento, in Euangelio, in Apo-

ſtolorum

ſtolorum actis, in Eccleſiaſticis hiſtorijs, in ſcriptis Sanctiorum Doctorum, & vetuſtiorum patrum. Atque in primis, neminem eſſe arbitror, qui illud neget, quod notiſſimum eſt omnibus: ſcilicet, nullum populum tam efferatum, nationem nullã adeo barbaram, adeoq; immanem eſſe, quæ legibus non viuat, & religionem aliquam nõ colat. itemq́;, legem nullam, & nullam religionem reperiri, quæ proprium peculiareq; ſacrificium, & Sacerdotium non habeat. nectitur enim quodammodo pulchra egregiaq; catena, ex quatuor his; quaſi quatuor annulis mutuo connexis, homo, ſacrificium, religio, ſacerdos. nam vbi homo eſt, ibi eſt religio. & vbi religio eſt, ibi eſt ſacrificium. & vbi ſacrificium, ibi ſacerdos. Sacrificij enim cauſſa, conſtituitur ſacerdos: & ſacrificium gratia religionis: & religio gratia hominis. denique nemo eſt, qui religionem aliquam infixam animo non habeat: eamq; cùm aperire & teſtificari vult, vel ipſum, vel pro eo alium, fungi ſacerdotis officio, neceſſe eſt. Duplex eſſe ſacrificij genus, Auguſtinus affirmat, alterum intimũ; externum alterum. intimo quidem, aliquid, vti ſummum bonum agnoſcimus, ſupremum, à nemine pendens, ſemperq; beneficentiſſimum. cum autem ijs honoribus, quibus alios afficimus, veluti, cùm caput aperimus, aut demittimus; vel cùm genua flectimus, & id genus alijs, ſatis declarare ac teſtificari nequeamus, animorum noſtrorum ſenſus; & quomodo erga ipſum bonum affectiſſimus; neceſſe eſt, aliquid aliud à nobis agi, peculiare & proprium; quo, vni illi ſummo bono, cultũ qui ei debetur adhibeamus, præterea nemini: atque hoc ipſum, ſacrificium eſt. quare videmus iam inde ab ipſius vſque Adami tempore, Abel & Caim ſacrificaſſe, eo ritu, quem à patre, ſine dubio didicerant. poſtea, & tempore legis naturalis, obtuliſſe Iob holocauſta, *per ſingulos dies*; & legem ſcriptam fuiſſe ſacrificijs refertam: & ipſas gentes nuſquam tam barbaras & imma-

nes

nes fuiſſe, quin ſacrificijs vterentur. natura enim ita comparatum eſt, vt cogamur aliquam primam cauſſam adorare, & externo ſacrificio noſtram adorationem ſignificare. quæro igitur ex Caluino, & Luthero, & ex alijs, quotquot ſunt, qui miſſam improbant, cùm vnaquæque lex, habeat ſuum peculiare ſacrificium, æquum ne ſit, legem Chriſti, quæ legum omnium clariſſima & perfectiſſima eſt, proprio carere ſacrificio, proprioq; Sacerdote. neutrum eos nobis adempturos, certo ſcio: alioquin auferri etiam, ipſam legem neceſſe eſſet; cum ſocietate tanta, tantoq; vinculo lex cum ſacerdotio coniungatur, ſitq; eorum tam magna proportio, atque conuenientia. quemadmodum enim *Translato ſacerdotio*, vt Paullus affirmat, *neceſſe eſt vt legis translatio fiat, ita ablato Sacerdote, neceſſe eſſet, vt ablatio legis fieret*. quare hactenus conuenit inter omnes, vti noſtra lex peculiaris eſt & propria, ita habere eam, peculiare ſacrificium, propriumq; ſacerdotem neceſſarium eſſe; ſed quodnam ſit proprium legis Euangelicæ ſacrificium, non exiguæ difficultatis eſt quæſtio. Sunt qui cenſeant, (vt primum, de hac opinione dicamus,) à nobis in Chriſti lege eadem adhibenda eſſe ſacrificia, quibus Hebræi in ſua ipſorum Synagoga, ante Chriſti aduentum vtebantur: & ratione ducuntur, conuenientiæ & proportionis illius, de qua, modo dicebamus. nàm (aiunt ipſi), ſi verum eſt, inter vtramque legem tantam eſſe proportionem, & vbi lex mutatur, ibi mutari ſacrificium; vbi verò non fiat legis immutatio, nullam pariter fieri ſacrificij immutationem, quis ignorat legem noſtram, non eſſe Hebræorum legi contrariam, neque ei aduerſari, atque iccirco conſequens eſſe, vt ſacrificia noſtra, non ſint ab Hebræorum ſacrificijs diuerſa? *non veni ſoluere legem ſed adimplere* dicebat Chriſtus, & idem dicebat, *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege*, vt vinculum ſimilitudinemq; vtriuſque legis oſtenderet, noſq; erudiret, ne

diſſi-

diſſimilibus diuerſiſq; ſacrificijs vteremur. quibus ego reſpondeo, omnia quæ dicunt, à me facile concedi. nam & admittere me, proportionem inter legem & ſacrificium. & hoc item, vbi non ſint contrariæ vel diuerſæ leges, non eſſe contrarijs diuerſiſue ſacrificijs vtendum. immò & illud concedo; Hebraicæ legi, non eſſe contrariam, Euangelicam noſtram, nec ab ea diuerſam. quinetiam quod maioris momenti eſt, ipſorum concluſionem probo: ſcilicet, non debere eſſe contraria diuerſaue ab Hebræorũ ſacrificijs, ſacrificia noſtra. at, cùm hæc addunt; vbi igitur eſt iuge ſacrificium? vbi hoſtiæ pacificæ? vbi holocauſta? & hirci? & arietes? & vituli? & oleum? & ſal? & tot tantiq; eorum ritus? reſpondeo ego, hæc omnia, *virtute & eminentia*, eſſe in noſtro altaris ſacrificio. tùm repetens eandem proportionis argumentationem, dico; Euangelicam legem, non eſſe Hebraicæ legi cõtrariam, vel ab ea diuerſam: ſed eſſe ipſius perfectionẽ: *non veni legem ſoluere, ſed implere*. & cũ lex noſtra ſit corpus, ceſſauit Vmbra: vel ſaltem, cùm ſit res ſignificata, continet in ſe, virtute, cerimonias omnes; quæ figuræ erant. igitur rationem proportionis probantes, dicimus. legis noſtræ ſacrificium, eſſe omniũ antiquorum ſacrificiorum, perfectionem: quæ quidem non eò ceſſant, quia ſint contraria vel diuerſa, ſed quia in noſtro ſacrificio continentur, in eoq; abſolutionem & perfectionem habuerunt. atque in alijs rebus etiam hic ordo reperitur; vt virtutes omnes inferiores, diuiſæ; in vna ſuperiore virtute colligantur: vt in Sole lumina omnia; & motus omnes, in decimo orbe, quod primum mobile appellant. ſimili ratione, omnia quæ tot tantiſq; cerimonijs & figuris, in legalibus ſacrificijs ſignificabantur, omnia inquã; hoc noſtrum ſacrificium terminat, omnia continet. ac ſicut Euangelium noſtrũ obſeruantes, ſimul legem obſeruamus, quæ in noſtro Euangelio perfectionẽ habuit: ſic in noſtro ſacrificio legalia etiã ſacrificia obſeruamus, iàm in eo abſoluta perfectaq;.

Et in nouo ſacrificio noua facimus omnia; Paſchalem Agnum, manna deſerti, panem cœli, Vitulos, turtures, columbas, vinum libamina, & quæ ſequuntur. ex multis locis colligitur quidẽ, grata Deo fuiſſe vetuſta ſacrificia: & ex multis itẽ alijs, nõ fuiſſe grata. hinc enim dicitur; *offeras caprum immaculatũ:* inde vero *Holocauſtomata veſtra, nõ ſunt accepta: Victima veſtra nõ placuerunt mihi.* ex hac parte, dicitur, *Sanguis taurorum inquinatos ſanctificat:* ex illa, dicitur; *miſericordiam volo nõ ſacrificium.* & dicitur; *holocauſtis, non delectaberis;* & item *non accipiam de domo tua vitulos.* & illud; *impoßibile ſanguine taurorũ, aut vitulorum, auferri peccata.* huius autẽ varietatis, & repugnantiæ, cùm multas rationes docto res afferunt, tùm illam præſertim, quoniã ſacrificia illa, per ſe ipſa Deo nõ placebant: ſed tanquã figuræ noſtri ſacrificij Euangelici, & illud terminãtia, grata erant. quare, vbi hoc noſtrum aduenit; priora illa deſierũt. nos autẽ Euangelico ſacrificio ita perficimus ſacrificia legalia, ſicut Euangelio legem perficimus, & ab illa proportione quam paullo ante dicebamus nõ diſcedentes, rurſus affirmamus, cùm peculiarem legem habeamus, Sacrificium item peculiare, habere nos oportere. quòd quidẽ, ò decepti, facile etiã concedent deceptores veſtri, aſſentienturq;, legali nõ eſſe locum. quodnàm igitur erit hoc ſacrificium noſtrũ? Lutherus iampridẽ aſſeruit, in Euangelica lege aliud ſacrificium, non eſſe adhibendum, quàm ſacrificium laudis: vel, ſi modo quid addendum videbatur, ſacrificiũ boni operis. ſic, vt, nos Chriſtiani, cùm precibus, tùm pijs operibus, Deo ſacrificemus: neque de alio ſacrificio nobis ſit laborandũ. Caluinus itẽ, aliquando oſtendit, ſe eiuſdem eſſe ſententiæ. Vuittembergenſes autẽ, dixerunt, ſi Miſſa inter bo na opera cenſeretur, vti bonũ opus, ipſam quoque, appellari poſſe ſacrificium. atque omnes iſti, cuidam Auguſtini loco innitũtur, lib. Decimo de Ciuit. Dei cap. 6. qui ſic habet; *Verũ ſacrificium eſt, omne opus quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo: re-*

latum

latũ ſcilicet, ad illum finẽ boni, quo veraciter beati eſſe poßimus. vnde, & ipſa miſericordia, qua homini ſubuenitur, ſi propter Deum nõ ſit, nõ eſt ſacrificium. Etſi enim ab homine fit, vel offertur, tamen ſacrificium, res diuina eſt; ità vt hoc quoque vocabulo, id Latini veteres appellauerint; Vnde ipſe homo Dei nomini cõſecratus, & Deo deuotus, in quantũ mundo moritur, vt Deo viuat, ſacrificium eſt. ſed apparet tamẽ clariſſime, quàm iſti ſemper minima quæque, & voculas ipſas, conſectentur: & cùm alia deſint adiumẽta, ad metaphoras & translationes confugiant: & quæ per metaphoram dicta ſunt, perinde exponãt, & interpretentur, vt ſi veris proprijsq́; verbis dicerentur. atque, non ſolum preces & bona opera, quodammodo ſacrificium appellantur, ſed ẽt cor ſolum, & ſolæ cogitationes. *Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus; cor contritũ & humiliatũ, Deus non deſpicies*: ſed hac ratione dicemus ne in lege aliqua, ſatis eſſe ſacrificium cordis; cum ſacrificium ea de cauſſa ſit inſtitutum, vt cordis noſtri cogitationes teſtificemur? Auguſtinus item eodem loco quem attulimus, affirmat; hominẽ illum qui Deo conſecratus ſit, facere de ſeipſo ſacrificium, ſed propterea, ſatis ne eſſet, in lege aliqua hoc vnum ſacrificium, quod quis de ſeipſo faceret? ſolemus etiam vulgo dicere, exempli cauſſa, ſacrificium fieret Deo, ſi ſceleſtus ille de medio tolleretur: at iccirco, eſſet ne idoneũ legis alicuius ſacrificium, vt ſacrificandi cauſſa, aliquis occideretur? aliud eſt auditores, cum late, & minus proprie de ſacrificio loquimur: aliud vero, cũ loquimur proprijs verbis, vt recte percipiamus quid ſit, quatenus primus eſt, legis cultus. altero modo loquitur Auguſtinus: qua ratione, ſacrificia ſunt, preces oẽs, & bona opera: ideſt oblationes Deo gratiſſimæ. altero loquimur proprie de ſacrificio illo, quod religionẽ ſignificat, teſtificaturq́;, & quod Sacerdotem poſtulat; hoc enim modo dicimus, neque preces, neq; bona opera quæcunque, eſſe vel appellari poſſe, proprium legis noſtræ ſacrificium. quæ res tam clare patet, vt per ſeipſa loquatur. nàm, non ne Deũ precabantur He-

 bræi,

bræi,nõ ne ſeſe in bonis operibus exercebant? etiam. igitur neutrum horum,proprium noſtræ legis eſſe poterit. immò Scythæ, & Thraces,& gentes,non ne placare Deum precibus ſtudent? atque oẽs hi,non ne opera faciunt, quæ tametſi vſque eò bona non ſunt,vt ijs beatitudinem mereantur, ex morali tamen inſtituto, bona ſunt? maxime. quæ res igitur cõmunis eſt omnibus,quomodo erit legis noſtræ propria? in ſumma,auditores, neceſſariũ quidẽ eſt,in omni ſacrificio,ſacram rem eſſe, ſed non omnis res ſacra, ſacrificium eſt. immò neceſſe eſt, in omni quidem ſacrificio, oblationem fieri, ſed omnis oblatio non eſt ſacrificium. conſtat autem apertiſſime,omnem ſacram rem,non eſſe ſacrificium; quoniam hoc pacto ipſum etiam templum, ſacrificium eſſet. Et Paullus oſtendit,plurimum differre, inter ſacrificium, & oblationem; cùm dicit, *omnis Pontifex ad offerendum munera & hoſtias*. Sacrificium,illud eſt quidẽ,quo,aliquid offertur Deo: ſed cùm offertur,nõnullæ ad ipſum actiones adhibẽtur,& (quod magis refert,) quicquid ſacrificatur,conſumitur,vel clarius *ſacrificium eſt oblatio externa facta ſoli Deo, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis & profeſſionem diuinæ maieſtatis à legitimo miniſtro, res aliqua ſenſibilis, & permanens ritu myſtico conſecratur, & tranſmutatur*. igitur verũ non fit ſacrificum,niſi, cum ſuper altare,à ſacerdote per externã latriæ intimæ profeſſionẽ ſoli Deo, res aliqua ſenſilis offertur. atq; eadẽ myſticis ritibus cõſecratur prius, & adeo mutatur, vt quod erat non ſit amplius; & abſumatur. atq; hac poſtrema conditione differt in primis ſacrificiũ propriũ à ſimplici oblatione. nã oblata res cõſecrabatur ſæpè, neq; tamẽ abſumebatur: ſed res ſacrificata,conſecratiõe mutata ſemper abſumebatur. Exẽpli cauſſa. ab eo qui votũ fecerat, cerea vel argẽtea imago offertur Deo: nec tamẽ ſacrificat̃,quoniã manet;& nõ abſumitur. cũ contra,legis tẽpore,ceræ,& thura,& ſal,cõſumerẽtur: & viuentia occiderẽtur, ſcilicet, Arietes,& Agni,& id genus alia. Chriſtus noſter,ſeipſum ſacrificauit; & obtulit patri,& mortuus

eſt:

eſt: & idem Chriſtus,in hoſtia ſacra, ſui ipſius ſacramentum incruentum inſtituit. Et eſt Chriſtus non ſolùm oblatio, ſed etiã ſacrificium: quoniam hoſtia illa, non modo conſecratur,& offertur; ſed frangitur etiam, & conſumitur, cùm manducatur. quare iàm ſole clarius auditores vobis conſtare arbitror,neceſſarium eſſe in lege noſtra reperiri Sacrificium, quod ſit ipſius legis proprium: illud autem eſſe non poſſe Hebraicum: immò nec ſacrificium precis,vel bonorum operum,quia commune eſt: tùm,vt ſacrificium ſit, neceſſe eſſe etiam aliquid ita agi, vt illud tandem conſumatur. Quodnàm igitur erit? ecce Caluinus. quodnàm inquã? ſed quis de eo dubitet? quaſi verò neſciamus, verum ſacrificium noſtrum,illud eſſe, quod Chriſtus, de ſeipſo fecit in cruce. quaſi vera non ſint,hæc quæ Paullus dicit: ſcilicet; *Sanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti ſemel*. & illa. *Chriſtus per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta*. & illa; *hoc fecit, ſemel ſeipſum offerendo*. & illa; *Vna oblatione conſumauit in æternum, Sanctificatos*. denique, quaſi non ſufficiat,ſacratiſſimum crucis ſacrificium, vt nouas oblationes etiam,nouaq; noſtræ legis ſacrificiã putemus nobis eſſe perquirenda. immo Caluinus addit, nos in Chriſtum iniquos eſſe, eiq; maximam iniuriam facere, cùm aliud ſacrificium quærimus,præter illud, quod ab ipſo factum eſt: & affert quatuor Paulli locos, qui nobis maxime aduerſari videntur. primus eſt ad Hebr. cap.7.cùm Paullus dicit Sacerdotes vetuſtos fuiſſe *multos,eo quod morte prohibebantur permanere*. ſed noſtrum eſſe vnum tantum: *Eo quòd ſempiternum habeat Sacerdotium*. male igitur inquit agere nos, qui tot Sacerdotes admittamus. alter locus eſt in eadem Epiſtola cap. 9. vbi Paullus dicit, veteres Sacerdotes plura feciſſe ſacrificia: noſtrum vero ſacrificium ſemel tantum fieri, ſatis fuiſſe; *per proprium ſanguinem, introiuit ſemel in ſancta*: errare igitur nos, qui toties ſacrificium faciamus. Tertius eſt in eadem Epi-

ſtola cap. 10. cùm Paullus dicit, antiquæ legis temporibus, Sacerdotes obtuliſſe animalium corpora: noſtrum autem ſacrificium illud fuiſſe, quo Chriſtus dominus noſter, ſuum ipſius corpus ſacrificauit; *Sanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel*. inique igitur facere nos, qui ſacrificio illo ſanctiſſimi corporis eius contenti non ſimus. poſtremus eſt, ad Hebræos cap. 9. vbi dicitur; *ſine ſanguine, non fit remiſſio*; nos ergo in errore verſari, qui altaris ſacrificio incruento, nobis veniam, & remiſſionem peccatorum inquiramus. iàm intelligitis Caluiniſtæ quàm firma veſtri magiſtri ſint argumenta, quæ prima ſpecie, vobis fortaſſe prope indiſſolubilia eſſe videntur. ſed item cognoſcere poteſtis quam ingenuo animo ſim ego, qui in hoc ſuggeſtum, ea omnia, quibus ille vos fefellit, afferre non dubitarim. Eſtote igitur & vos tam æqui auditores, & ab omni animi perturbatione vacui; quàm liberali ſynceraq; mente vobis ego aduerſariorum argumenta expoſui; & comperietis, ex ijs omnibus, quæ dicta ſunt, nihil derogari nihil prorſus detrahi ſacrificio noſtro. Verum, inde mihi ſumendum eſt initium, vt quæram, quoties odioſa Caluini petulantia, coacti ſumus, non ſine magna animi moleſtia, dicere, mendacem eum eſſe, planeq; mentiri, cùm aſſerit, credere nos, paſſionem Chriſti non ſufficere; neque pro nobis eum ſui ipſius corporis ſacrificio, in altari crucis, abunde ſatisfeciſſe? quoties iterauimus vobis, *ſine ſanguine remiſſionem non fieri*, & ſine cruento Chriſti ſacrificio, nihil boni, nihil omnino, nos conſequi? quoties inculcauimus, ſolam probaticam piſcinam valere, ad depellendos, ſanandosq; omnes morbos, & ſine ſanguinis Chriſti medicina, peccatum, neque origine contractum, neque mortiferum, neque leue remitti? neque ſatisfieri dum viuitur, neque poſt mortem, neque remedium aliquod ſine ipſo reperiri, quod valere aut prodeſſe poſſit? creberrime ſcio hæc eadem, à me fuiſſe repetita; vt iàm

mei

mei me tædeat, mihiq; ipſe plane moleſtus ſim. verumtamen, non ne & illud ſemper addidi, quamuis Chriſti ſanguine omnes ſanentur morbi, nullum tamen vnquam ſanatum iri, niſi ijs modis ſanguis applicetur, qui ab ipſo Chriſto inſtituti ſunt? Piſcinam, vim habere ad curandos homines vniuerſos, ſed neminem curaturam, niſi eum, qui per pontes deſcenderit in aquá? nunc quæſo vos, dicite; quia Chriſti ſanguis originale peccatum auſert, iccirco inanis eſt baptiſmus: quia Chriſti ſanguine abluitur peccatum actione commiſſum, ideo ſuperuacua erit pœnitentia? quod item dici de alijs poteſt, quibus Chriſti ſanguis nobis applicatur. inter quæ, cum Chriſtus relinquens corporis ſui viſibile ſacramentum in terris, voluerit eo corpore, fieri ſacrificium incruentum, ex quo emanet meritum ſacrificij cruenti, & per quod applicetur meritũ illud, ad animas noſtras, fit ne propterea, ſacrificio cruento iniuria? ero ne ego in medicinam iniurius, ſi mihi, vaſe aliquo; eam applicauero? inique ne agam in thermarum aquam, ſi per canalem eam ſuſcepero? faciam ne iniuriam Chriſti ſanguini, cùm eum, mihi per baptiſmum applicabo? non ne eadem, ipſa medicina eſt quæ ſanat, licet vas eam tribuat? non ne eadem eſt aqua, quæ ſalutem reddit, quamuis per canalem deriuetur? non ne ſanguis eſt Chriſti, qui peccatum origine contractum aufert, tametſi per baptiſmum applicatur? Præterea; cùm ego, Chriſti corpus ſumo in hoſtia: vel cùm vos ò, Caluiniſtæ dicitis, ſumi à vobis quando hoſtiam ſumitis, & ſimul creditis, ſumere vos gratiæ incrementum, gratiam illam, per cuius meritum accipitis? profecto per meritum paſſionis Chriſti: nam, *ſine ſanguine non fit remiſſio*. neque tamen crederetis, eam gratiam vos accipere, niſi per corpus Chriſti, quaſi per quoddam medium; quod Chriſti corpus, quo tempore ſumitis hoſtiam, ſumere quidem extra ipſam hoſtiam, veſtro nouo modo, creditis. Ecce igitur, vos pariter, Chriſti cor-

 pore

pore incruento vtimini, vt vobis, eiuſdem corporis cruenti, meritum applicetis. ita nos Catholici, cùm Chriſti corpus in hoſtia ſumimus, gratiæ incrementum accipimus, per applicationem factam nobis, ab eodem Chriſti corpore, quod eſt incruentum, in hoſtia. quo dato, addo ego, dicoq́; : ſi potuit inſtituere Chriſtus, vt corpus ſuum incruentum, in ſacramenti modum vſui ſit, & præſto ſit, ad applicandum nobis, corporis cruenti meritum, quare non item inſtituere potuit, quod ſane fecit, vt idem corpus in ſacrificio ſine ſanguine, præſto ſit, atque quodammodo vſum afferat, ad applicandum nobis, meritum illius ſacrificij, quòd iàm, de eodem corpore factum eſt, effuſo ſanguine? atque; ſi vos ipſi, per corpus illud quod extra hoſtiam ſumere creditis, non tamen putatis iniuriam facere vos merito paſſionis, quod vobis creditis applicari; cur tàm iniqui iudices eſtis, vt cenſeatis iniurios nos eſſe ſacrificio, meritum ab eo deriuantes, per hoc ſacrificium altaris, quod ab eodem Chriſto inſtitutum eſt? Sunt igitur auditores, (attendite diligenter,) duo ſacrificia: cruentum vnum; alterum incruentum, ſed corporis eiuſdem. Vnum, quo Chriſtus in ligno crucis obtulit ſe ipſum. alterum, quod incruentum & inuiſibile, idem ipſe inſtituit, vt ab Eccleſia quotidie, ſub panis & vini ſpeciebus offeratur. Vtrúque autem, maxime differt, à ſacrificijs, quæ gratias agebant, & laudabant: nam ambo illa *Propitiatoria* ſunt, quoniam remiſſionem peccatorum præſtant, ſed varie diuerſeq́; alterum ab altero. Sacrificium enim Crucis remiſſionem peccatorũ præſtitit, *ſufficienter* pro omnibus: ſacrificium autem altaris, remiſſionem ab illo præſtitam, applicat ijs, qui ſibi applicare volunt. ſacrificium crucis meruit: & ſacrificium altaris, meritum deriuat in animas noſtras. per illud, remedium *ſufficiens eſt*: per hoc, *eſt efficax*. illud; meritum habuit infinitum: hoc; terminatum & finitum quantum ad nos, quòd quaſi pondere quodã

&

& menſura, nobis applicatur. propterea infinitum illud, ſemel antum, factum eſt: hoc terminatum, facere quotidie debemus. ſatis eſt mihi; quemadmodum ſanguini Chriſti non facio iniuriam, cùm eum mihi, per Sacramentum applico; ſic etiam me inique nō agere in ſacrificium Chriſti cruentum; cum illud applico mihi, per hoc ſacrificium altaris, incruentum. quoniam ſicut Chriſtus inſtituit ſacramenta, vt per ea, quaſi media, ſanguinis ſui meritum in nos deriuaretur; ſic ſui ipſius ore, vt in altera diſceptationis parte demonſtrabimus, Sanctæ Eccleſiæ Sacramentum inſtituit. Sed aliud eſt etiam quod in dubium veniat: & mihi quidem, dubitatio grata eſt, vt plana claraq; fiant omnia. age, inquiunt. eſtò quod affirmas, videlicet; cùm hoc ſacrificium incruentum eum tantum vſum habeat, vt per illud applicetur finitè, meritum infinitum ſacrificij cruenti, nullam cruento fieri iniuriam. ſed quid neceſſe erat, incruentum afferre, adinuenireuè? an poterat excogitari aliquod morbi genus ad animam pertinens, cui Chriſti ſanguis applicari nōn poſſet? hac igitur de cauſſa, nempe vt fieret ſanguinis applicatio, quid opus fuit Sacramentum incruentum inſtitui? peccato propagatione contracto, Chriſti ſanguis applicatur per baptiſmum. criminibus actione commiſſis, per pœnitentiam applicatur. & alijs, alio modo. ſi igitur, quot morbi, tot vaſa; cur alia vaſa parata ſunt? ſi igitur Sacramenta non deerant, quibus ſanguis applicari poterat, quare inſtitutum eſt etiam ſacrificium incruentum? Ego vero auditores, in primis vnum quæro, deinde triplici modo reſpondeo: quæro igitur, ſi Chriſtus vna re tantum ſanare nos poterat, cur plures fecit? ſi vno tantum Sacramento, poterat ſanguis ipſius nobis applicari, cur is ſeptē inſtituit? immo ſi guttula ſanguinis, mundo potuit mederi; cur tantum profudit? ò, vos beneficiorum immemores, ò, vos ingratos? Ergo legem præſcribetis diuinæ potentiæ? ergo infinitæ immenſæq;

Dei

Dei largitati, terminum modumuè ſtatuetis? potuit etiā vnam tantum in cœlo, ſtellam collocare, & tamen tot tantasq; collocauit. quid ita? quoniam cum largitur Deus, non ex tenuitate paruitateq; noſtra; ſed ex ſua hubertate, magnitudineq;, dona metitur. non meminiſtis, cum & ſaturaſſe famelicos, & præterea voluiſſe, cophinos ſupereſſe? ſemper in beneficijs tribuēdis, Chriſtus liberaliſſimus & largiſſimus eſt. quæ vna ratio vt cæteræ deſint, ſatis eſſet ad docendum, qua de cauſſa Chriſtus tot modis voluerit, ſuum nobis ſanguinem applicari, & præter Sacramenta, hoc præterea ſacrificium inſtituerit: nempe, vt infinitam magnitudinem immenſamq; redundantiam ſuæ liberalitatis oſtenderet. ſed vt dicebamus, tres aliæ ſuccurrunt rationes. Prima eſt, quoniam Sacramenta nobis quidem, cruenti ſacrificij meritum applicabant, ſed non adeò perfecte illud exprimebant, vt cupiebat Chriſtus; quò memoria ipſius, animorum noſtrorum oculis, diutius inhæreret. quo circa ſacrificium inſtituit, quod non applicandi ſolum, ſed etiam commemorandi, vim haberet: dicens, *hoc facite in meam commemorationem:* vt eodem tempore, & applicaretur nobis, & in memoriam diligentiſſime redigeretur, (vt oſtendam poſtea) immenſum paſſionis eius beneficium. altera ratio eſt; quoniam dicebant, neminem quouis morbo laborantem reperiri, cui remedium ſanguinis applicari ſolis ſacramentis non poſſet, ſine altaris ſacrificio. ad hæc reſpondeo, huiuſmodi ægrotos reperiri: eſſeq; illos, qui iàm mortui, in purgatorio loco continentur. ijs enim, applicatur quidem, ſatisfactio ſanguinis, pluribus rebus, quæ fiūt, *ex opere operantis*, (vos percipitis ò, docti, quæ dico,) ſed nulla alia re fieri poteſt illis hæc applicatio, *ex opere operato*, niſi ſacrificio altaris. Tu dare non potes baptiſmum, neque pœnitentiā, neque extremam vnctionem, neque eorum aliquid, quæ *operantur ex opere operato*, mortuo qui expiatur. precari quidem

pro

pro ipſo potes, & id genus alia facere: ſed hæc *operantur ex opere operantis*. quo circa, vt pro mortuis etiam extaret modus, quo ſanguis, illis applicaretur *ex opere operato*, æquum fuit, præter Sacramenta; applicandi cauſſa, inſtitui à Chriſto præterea ſacrificium, quo immergitur in calice, hoſtiæ particula; vt intelligamus, ex eo ſacrificio, maximo affici benificio, eos qui ſunt in purgatorio loco conſtituti. poſtrema denique ratio, & ſane firmior; eſt hæc, nempe; Chriſtum præter Sacramenta, ſacrificium præterea inſtituiſſe; quoniam neceſſe eſt, nullam eſſe legem ſine ſacrificio: & conueniens fuiſſe, in lege Euangelica, eſſe peculiare propriumq; Euangelicum ſacrificium. atqui, non ne habemus, (Caluinus ait) ſacrificium Crucis? reſpondeo ego, neceſſarium eſſe in lege ſacrificium duo præſtare. alterum, vt legis illius homines, ab alijs diſtinguat. alterum, vt vim habeat ſignificandi teſtificandiq; exterius, & apertiſſime, vt initio dicebamus, cogitationes intimas, & qua mente quouè animo, homines illi ſint, erga Deum. Vt primum efficiatur, ideſt vt homines diſtinguantur, oportet ſacrificium peculiare & proprium eſſe; non autem commune cum alijs. vt autem actione heſterna teſtetur & ſignificet, neceſſe eſt, illud, & cerni oculis, & iterari poſſe. Hebræorum Sacrificia, & preces, & opera bona; ratione primæ cauſſæ, non poſſunt eſſe ſacrificia noſtra, quia cum multis communia ſunt. ratione vero ſecūdæ cauſæ, ſacrificium Crucis, ò, Caluine, illud eſſe non poteſt, quod in Eccleſia fieri quotidie debet: quoniam nec aſpici poteſt, nec iterari. Aequū igitur fuit, præter ſacramenta, prætereq; ſacrificiū Crucis, aliud præterea ſacrificium & *Viſibile & quotidianum*, inſtituere Chriſtum, in Eccleſia ſua. cùm autem ſuum ipſius corpus, in ſacramento, ſanctæ ſuæ poſtremæ cœnæ relinqueret, nihil melius, aptiusuè fieri potuit, quam eodem corpore, ſanctum hoc ſacrificium inſtitui, quod verè inſtituit. Eat nunc Caluinus: & ſuos

inanes

inanes locos,ſuaq; leuia & inſulſa argumenta,quibus vult,oſtentet. Vos enim ſi memoria tenetis ea, quæ diximus, & omnia argumenta per vos ipſos diſſoluetis: & locos quos attulit,omnes de incruento ſacrificio loqui comperietis: licet is improbe, prauoq; animo, detorquere eos conetur, & ad cruentum referens, nos oppugnare. nàm vbi dicitur, *ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel*; verum id quidem, in cruce: & nunc item ſanctificatio illa, ſæpiſſime, ſed præfinite, nobis applicatur, *per corpus Ieſu Chriſti in hoſtia. Chriſtus per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta*. verum: moriens in cruce; & nos etiam per eundem ſanguinem intrabimus *in ſancta*, ſi cum pluribus alijs rebus, tùm ſacrificio, nobis illum applicabimus. *Chriſtus ſemel ſeipſum obtulit*. verum: oblatione cruenta: & nũc crebro ſeipſum offert,oblatione incruenta. *Chriſtus, vna oblatione conſumauit*: verum: *Et hæc conſumatio multis oblationibus, applicatur*. Paullus dicit, nos habere vnum Sacerdotem tãtum. verum: ſacrificij nempe cruenti: immò in incruento etiã, ſolus Chriſtus, ſeipſum offert; quocirca,quos ſacerdotes appellamus, *ſunt miniſtri, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Paullus dicit, ſuffeciſſe nobis vnum ſacrificium tantum. verum: *ſufficienter*; ſed cum pluribus ſacrificijs illud applicatur, *efficax* etiam redditur. Paullus dicit, nihil offerendum eſſe amplius, niſi corpus Chriſti. atque id ſane facimus nos: qui ſub ſpeciebus panis, & vini, corpus eius offerimus. Paullus dicit; *ſine ſanguine non fieri remiſſionem*. verum: ſed *ſine ſanguine fit applicatio remiſſionis*. quo pacto hæc argumenta ſoluimus, eodem, ſexcenta alia ſolueremus, ſi tot afferrentur. veritas enim ſeipſam tuetur: & clare patet, debuiſſe Chriſtum in Eccleſia ſacrificium inſtituere, peculiare & proprium: quod ſub ſenſum oculorum caderet,& iterari poſſet. atque illud eſt, quo ſub panis & vini ſpeciebus,nos ſanctiſſimum ipſius corpus offerimus. quid dicitis? ſi res ita ſe haberet,

beret,

beret, aiunt iſti, figuræ, & prophetarũ oracula de eo non deeſſent. extaret locus, quo Chriſtus ſacrificium hoc inſtituiſſet: haberetur illius mentio in nouo teſtamento, vel in Eccleſiaſticis hiſtorijs, vel in ſcriptis ſanctorum patrum. optime dicitis. at hæc extant, & præſto ſunt omnia. reſpiremus.

PARS ALTERA.

DEbuiſſe igitur Chriſtum dominum noſtrum inſtituere ſuæ legis ſacrificium ſub ſpeciebus panis & vini, expreſſam habemus figuram in rege Melchiſedech: (vt inde ſumamus initium,) quæ quidem ſi non eſſet eius ſacrificij figura, queri poſſemus, nos à Dauid, & à Paullo fuiſſe deceptos. nam quis ignorat dicere Dauid Pſal. 109. Chriſtum futurum fuiſſe Sacerdotem, ſecundum ordinem Melchiſedech? *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech:* Et Paullum Epiſtola ad Hebræos proportionem & conuenientiam quæ inter vtrumq; eſt, fuſius proſequi? Et quidem neminem veſtrum eſſe arbitror, qui neſciat, quis ſit Melchiſedech: & quæ de eo, in ſacris literis habeantur. Erat enim hic Abraham temporibus, rex Salem, quæ Hieroſolymæ poſtea appellatæ ſunt. cumq; Abraham, quinque reges debellaſſet, & victoriam adeptus, prædaq; & ſpolijs onuſtus reuerteretur, occurrit ei in monte, Melchiſedech rex, ſimul & ſacerdos: cui Abraham vti Sacerdoti, rerum omnium, decumas dedit. is autem vt Deo pro accepta gratia benediceret, panem & vinum obtulit. *At vero Melchiſedech, rex Salem, proferens panem & vinum, (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi,) benedixit ei, & ait.* & quæ ſequuntur. Et paullo poſt exponitur quæ ab Abraham data fuiſſent Melchiſedech; additurq; *dedit ei decimas ex omnibus.* quo loco ſatis conſtat Melchiſedech, fuiſſe Sacerdotem, quoniam decumas accepit, & ſacri-

ficium obtulit. præter illa, quæ Dauid dicit, & Paullus ad Hebræos ſcribit, cap. 7. ſcilicet, *Melchiſedech rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ, regreſſo à cæde regum & benedixit ei: cui & decimas omnium diuiſit Abraham*. & eodem libro legitur Melchiſedech in eodem monte feciſſe ſacrificium, offerendo panem & vinum. neque affirmari poteſt, panem & vinum Abrahæ oblatum fuiſſe. Abraham enim magnam fecerat prædam; & eorũ omnium quæ habebat, decumas ipſi Melchiſedech dabat. præterea, niſi de pane hoc & vino, Sacerdos hic & rex, quem diximus, ſacrificium feciſſet, fruſtra, poſteaquam panem obtulit & vinum, ſcriptura continuo addidiſſet; *Erat enim ſacerdos Dei altiſſimi*. atque in codice Hebraico, res apertiſſima eſt. verbum enim, quo, panis & vinum offerri intelligitur, eius coniugationis eſt, qua non quælibet oblatio, ſed tantũmodo ſacratum rerum ſignificatur. quare, cum Melchiſedech Sacerdos in ſacrificio ſuo, panem & vinum offerret: Dauid autẽ, dicat Chriſtum, Sacerdotem futurum fuiſſe, ſecundum ordinẽ Melchiſedech; cùmq; Paullus, hanc eandem figuram probet, velim oſtendi mihi, qua in re, Chriſtus ſimilior fuerit ipſi Melchiſedech, quàm tot alijs legalibus ſacerdotibus, niſi in hoc pane, & vino, eum imitatus eſt; ideſt ſemetipſum, ſub panis & vini ſpeciebus offerendo? afferte vos aliam ſimilitudinem: docete, alia ratione Sacerdotem eſſe Chriſtum ſecundum ordinem Melchiſedech. ſed id nunquam facietis. neceſſe eſt igitur, fateri vos, ne Dauid & Paullus mentiantur, (hæc enim ipſorum doctrina eſt, nòn mea;) ſacerdotium Melchiſedech, eatenus figuram fuiſſe ſacerdotij Chriſti; quò offerens panem illum & vinũ, præmonſtrauit ſacrificium, quod facturus erat Chriſtus; non quidem in cruce, ibi enim, nec panis oblatus eſt, nec vinum, ſed in altari, ſub ſpeciebus panis & vini. Aliam huius ſacrificij figuram, cenſent multi, fuiſſe Agnum Paſchalem. Et quidem apparet,

paret, agno Paſchali, præmonſtratum fuiſſe Chriſtum, cùm Ioannes dicit, *Ecce agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi*: & cũ Ioannes Euangeliſta, de Chriſto in cruce, verba Exodi refert; *os non comminuetis ex eo*. & pluribus alijs locis. Gregorius item Homil. 22. in Euang. & Sancti patres alij plerique, declarant, agno Paſchali ſignificatum fuiſſe Chriſtum, ſub ſpeciebus panis & vini: cùm ex cærimonijs quæ obſeruabantur, dum agnus comederetur, colligunt; quas præparationes adhibere debemus nos, cùm Chriſtum ſub hoſtiæ Sacramento ſumimus. nonnulla tantum ſupereſſe dubitatio videtur, an agni immolatio, figura ſit oblationis Chriſti in cruce; an vero oblationis eiuſdem, in altari. Et quamuis conſtet cenſuiſſe multos, figuram eſſe oblationis Chriſti in cruce; nihilominus tamen, vt præclare dicit Alfonſus de Caſtro; cùm agnus poſt factam oblationem comederetur; videtur id magis ad figuram altaris, quàm ad figuram crucis, pertinere. nam poſt mortem in cruce; cùm nihil appoſitũ eſſet, quod comederetur: neque ibi quicquam comedi neceſſe eſſet; in altaris ſacrificio, adeò neceſſarium eſt, poſtquam conſecrata, & oblata eſt hoſtia, etiam comedi eam, vt ſi quis ſacerdos, conſecraret & offerret hoſtiam, deinde ſciens & volens, manducare eam omitteret, grauiſſime peccaret; & in eum ſeuere animaduertendum eſſet, vt Concilio Toletano 12. cap. 5. optime diffinitur, & ſtatuitur. Et quamuis in ea ſitis ſententia, vt agni Paſchalis immolationem, conuenire figuræ ſacrificij crucis, potius, quam figuræ ſacrificij altaris cenſeatis, aliam vobis figuram afferemus, quam huic ſacrificio reſpondere, planeq; conuenire neceſſe eſt. nempe iugis ſacrificij figuram: quo ſingulis diebus, matutino tempore, agnus offerebatur. Et quoniam *omnia in figura contingebant eis*, vt Paullus dicit Epiſtola prima ad Corinth. cap. 10. hanc certe quotidianam oblationem agni, oportet innuiſſe præmonſtraſſeq; aliquam aliam oblationem Chriſti, quã

crucis:

ficium obtulit. præter illa, quæ Dauid dicit, & Paullus ad Hebræos ſcribit, cap. 7. ſcilicet, *Melchiſedech rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ, regreſſo à cæde regum & benedixit ei: cui & decimas omnium diuiſit Abraham*. & eodem libro legitur Melchiſedech in eodem monte feciſſe ſacrificium, offerendo panem & vinum. neque affirmari poteſt, panem & vinum Abrahæ oblatum fuiſſe. Abraham enim magnam fecerat prædam; & eorũ omnium quæ habebat, decumas ipſi Melchiſedech dabat. præterea, niſi de pane hoc & vino, Sacerdos hic & rex, quem diximus, ſacrificium feciſſet, fruſtra, poſteaquam panem obtulit & vinum, ſcriptura continuo addidiſſet; *Erat enim ſacerdos Dei altiſſimi*. atque in codice Hebraico, res apertiſſima eſt. verbum enim, quo, panis & vinum offerri intelligitur, eius coniugationis eſt, qua non quælibet oblatio, ſed tantũmodo ſacrarum rerum ſignificatur. quare, cum Melchiſedech Sacerdos in ſacrificio ſuo, panem & vinum offerret: Dauid autẽ, dicat Chriſtum, Sacerdotem futurum fuiſſe, ſecundum ordinẽ Melchiſedech; cùmq; Paullus, hanc eandem figuram probet, velim oſtendi mihi, qua in re, Chriſtus ſimilior fuerit ipſi Melchiſedech, quàm tot alijs legalibus ſacerdotibus, niſi in hoc pane, & vino, eum imitatus eſt; ideſt ſemetipſum, ſub panis & vini ſpeciebus offerendo? affette vos aliam ſimilitudinem: docete, alia ratione Sacerdotem eſſe Chriſtum ſecundum ordinem Melchiſedech. ſed id nunquam facietis. neceſſe eſt igitur, fateri vos, ne Dauid & Paullus mentiantur, (hæc enim ipſorum doctrina eſt, nôn mea;) ſacerdotium Melchiſedech, eatenus figuram fuiſſe ſacerdotij Chriſti; quò offerens panem illum & vinũ, præmonſtrauit ſacrificium, quod facturus erat Chriſtus; non quidem in cruce, ibi enim, nec panis oblatus eſt, nec vinum, ſed in altari, ſub ſpeciebus panis & vini. Aliam huius ſacrificij figuram, cenſent multi, fuiſſe Agnum Paſchalem. Et quidem ap-

paret, agno Paſchali, præmonſtratum fuiſſe Chriſtum, cùm Ioannes dicit, *Ecce agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi*: & cũ Ioannes Euangeliſta, de Chriſto in cruce, verba Exodi refert; *os non comminuetis ex eo*. & pluribus alijs locis. Gregorius item Homil. 22. in Euang. & Sancti patres alij plerique, declarant, agno Paſchali ſignificatum fuiſſe Chriſtum, ſub ſpeciebus panis & vini: cùm ex cærimonijs quæ obſeruabantur, dum agnus comederetur, colligunt; quas præparationes adhibere debemus nos, cùm Chriſtum ſub hoſtiæ Sacramento ſumimus. nonnulla tantum ſupereſſe dubitatio videtur, an agni immolatio, figura ſit oblationis Chriſti in cruce; an vero oblationis eiuſdem, in altari. Et quamuis conſtet cenſuiſſe multos, figuram eſſe oblationis Chriſti in cruce; nihilominus tamen, vt præclare dicit Alfonſus de Caſtro; cùm agnus poſt factam oblationem comederetur; videtur id magis ad figuram altaris, quàm ad figuram crucis, pertinere. nam poſt mortem in cruce; cùm nihil appoſitũ eſſet, quod comederetur: neque ibi quicquam comedi neceſſe eſſet; in altaris ſacrificio, adeò neceſſarium eſt, poſtquam conſecrata, & oblata eſt hoſtia, etiam comedi eam, vt ſi quis ſacerdos, conſecraret & offerret hoſtiam, deinde ſciens & volens, manducare eam omitteret, grauiſſime peccaret; & in eum ſeuere animaduertendum eſſet, vt Concilio Toletano 12. cap. 5. optime diffinitur, & ſtatuitur. Et quamuis in ea ſitis ſententia, vt agni Paſchalis immolationem, conuenire figuræ ſacrificij crucis, potius, quam figuræ ſacrificij altaris cenſeatis, aliam vobis figuram afferemus, quam huic ſacrificio reſpondere, planeq; conuenire neceſſe eſt. nempe iugis ſacrificij figuram: quo ſingulis diebus, matutino tempore, agnus offerebatur. Et quoniam *omnia in figura contingebant eis*, vt Paullus dicit Epiſtola prima ad Corinth. cap. 10. hanc certe quotidianam oblationem agni, oportet innuiſſe præmonſtraſſeq; aliquam aliam oblationem Chriſti, quã

crucis:

crucis: cùm hæc quotidie fiat; crucis autem oblatio ſemel tantú facta ſit. duæ igitur oblationes, ſcilicet Agni Paſchalis, & iugis ſacrificij; duobus ſacrificijs corporis Chriſti; nempe cruento, & incruento, æqualiter reſpondent. ſicut enim vno quoque anno, ſemel tantum, Paſchalis agnus offerebatur; iuge autẽ ſacrificium, quotidie fiebat; ita corpus Chriſti ſacrificium in cruce; factum eſt ſemel: quod autem eiuſdem corporis fit ſub ſpecibus panis & vini, mane, ſingulis diebus iteratur. Sed pulcherrima item eſt alia figura, quæ mihi nunc in mentem venit. ſcitis quam dicam? quæ in Læuitico eſt cap. 16. iubet enim Deus, Sacerdotes ſumere duos hircos: vtrumque pro peccato; ſed varijs diuerſisq́; modis, ſacrificare. alterum ſcilicet occidendo, & alterum in ſolitudinem emittendo, precibus nonnullis prius ſuper eum effuſis. de vno enim dicitur, *offeres domino*. de altero dicitur, *facies caprum emiſſarium*. ideſt *ſtatuet viuum coram domino, vt fundat preces ſuper eo; & emittat eum in ſolitudinem*. Ecce vobis duo hirci: duo nempe corporis Chriſti ſacrificia; alter hircus cruentus in cruce; incruentus alter in altari. atque ambo, pro peccatis: ambo enim vt diximus *Propitiatorij ſunt*. ſed horum, vnus occiditur, ſanguine perfunditur, & cruentus offertur: quemadmodum, in cruce, Chriſti corpus oblatum eſt. alter autem, tantummodo capitur, fuſisq́; ſuper eum precibus nequaquam occiditur. nam in altaris ſacrificio, corpus Chriſti, verbis conſecrationis dimittitur: ideſt, non occiditur, & ſine effuſione ſanguinis offertur. immo illud etiam animaduertendum videtur, quòd alter hircus *emiſſarius* vocabatur: & ſimiliter dici poterat, hanc alteram hoſtiam, fieri *Miſſam*: vt belle etiam alludi videatur ad nomen ſacrificij altaris, in quo, facimus cum hoſtia, ſacrificium illud incruentum, quod *Miſſam* appellamus. potuit ne igitur hæc figura aptior eſſe, aut magis vtrique ſacrificio conuenire? ſed figuras miſſas faciamus, vt etiam de Pro-

pheta-

phetarum oraculis aliquid dicamus, è quorum magno numero, pauca tantum, & ea clariora ſecernemus, ijsq; contenti erimus. Atque in primis, offert ſeſe pulcherrimus in pſalmis locus: in quo quidem prima fronte quid vis aliud potius videtur dici. is eſt, *Erit firmamentum in terra, in ſummis montium*. Pſalmi illius, vt noſtis, initium eſt; *Deus iudicium tuum regi da:* & præ omnibus alijs pſalmis, clariſſime prædicit, ea quæ Meſſiæ temporibus erant euentura. vt ibi; *reges Tharſis, & inſulæ, munera offerent*. & pluribus his ſimilibus. tùm addit; *Erit firmamentum in terra in ſummis montium*. quod quidē videtur paullo obſcurius, nec poſſe percipi. ſed ſi quis codicem Hebraicum attente conſulat, quod abditum latebat, facile reperiet. nam ſeptuaginta interpretes arcanum hoc myſterium de ſacrificio altaris, celandū paullum & quaſi quibuſdam tegumentis inuoluendum putarunt. Hebraica enim ſcriptura, habet; *in ſummis montium*, ideſt in præcipuo & potiſſimo Eccleſiæ & omnium ſacramentorum loco, erit tunc, non *firmamentum in terra*; quemadmodum ſeptuaginta interpretes expoſuerunt; ſed *placenta tritici:* vel *memorabile triticum*. placentula triticea, quæ eſt hoſtia noſtra. & Chaldæorum paraphraſis, quæ apud Hebræos, maximum habet pondus, & ab eis plurimi fit, omnem adimit dubitationem, dicit enim; tunc, Meſſiæ nempe tempore, rem nouam fore. ideſt *futurum eſſe ſacrificium panis*. alij dicunt, non eſſe legendū, *firmamentum:* ſed *frumentum erit in ſummis montium*. quodnam inter Prophetarum oracula eſſe clarius poteſt? clarum item eſt Malachiæ illud; quo prædicens, deſitura legalia ſacrificia, & Euangelico ſacrificio conceſſura, dicit pri. cap. *Non eſt mihi voluntas in vobis, nec munus accipiam de manu veſtra. à ſolis enim ortu, vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus. & in omni loco ſacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda*. clare quidem apparet, reijcere Deum, legalia ſacrificia. nàm prophetico more, quæ futura ſunt, tamquam præſentia exponens, dicit

ſe nolle illa: quoniam futuris temporibus,quæ nunc ſunt, nomẽ ipſius,non ſolum apud Hebræos erit magnum, ſed etiam apud gentes . & vbique terrarum ſacrificabitur ei, vnicũ ſacrificij genus, ſed mundiſſimum. & ecce quod à propheta dictũ eſt,plane contigit: quantum ſpectat ad gentes, quæ veram Dei cognitionem acceperunt. ſed quantum ad ſacrificium attinet, quænam quæſo eſt, hæc mundiſſima res, quæ Deo offertur,niſi ſacroſanctum Chriſti corpus? neque vero Malachias oblationem illam ſignificare voluit, quæ in ligno crucis facta eſt. non enim ea *ſacrificatur et offertur in omni loco*, ſed ſacrificata & oblata fuit Hieroſolymis tantum. loquitur ergo de ſacrificio altaris; quod ſanè Deo fit, *ab ortu, ad occaſum*. addamus & aliud. nempe Danielis cap. 12. vbi vaticinatur, Antichriſti tempore, deſiturum tribus annis & dimidio ſacrificium noſtrum. dicitur enim; *cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit, abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta*: & ego quæro,de quo ſacrificio agitur eo loco? quodnàm Chriſtianorum ſacrificium eo tempore deficiet auferetur ue? non quidem Hebræorum victimæ: iàm enim finem habuerunt. neque preces; quæ nõ omnes deficient. neque bona opera; non enim prorſus intermittentur. neque ſacrificium crucis; cuius quidem actio, continuo deſijt, ſed vis & virtus,nunquam omnino deſinet: igitur neceſſario intelligi oportet, eum locum; de ſacrificio altaris. Et vos qui forte putabatis, vix inuentum iri, figuras huius ſacrificij, non figuras ſolum, ſed etiam inſignes admodum prophetarum locos habetis. Quare Lutherus ſe in pedes conijcit: & fugiens,deintegro exclamat; quid opus eſt figuras vel oracula Prophetarum afferre? videamus id,quod caput eſt,quæſtionis huius: an ſacrificiũ hoc fieri oporteat in Eccleſia. ſi enim oporteret; primùm, feciſſet illud Chriſtus. deinde mandaſſet,inſtituiſſetuè,à nobis itẽ,id fieri. ſed nuſquam reperitur Chriſtũ corpus ſuum obtuliſſe,neque nobis,illud offerendum reliquiſſe. corpus igitur hoc accipere quidẽ

de-

debemus in ſacramentum; ſed offerre in ſacrificium,nequaquã. nam ſuperſtitio eſt,& impietas maxima. fallaciſſimũ argumentum. nàm quid,ò, Luthere diceres, ſi te tua ſica confoderem, & quaſi ſuperbo temerarioq; Goliæ,tuo gladio caput tibi præciderem? idipſum tantũ ais tu de hac hoſtia faciendum nobis eſſe, quod fecit Chriſtus:atque id veriſſimum eſt. at,cùm addis,Chriſtum quidem eam Apoſtolis dediſſe,ſed patri nõ obtuliſſe,dicimus hoc modo : Chriſtus autẽ in cœna, poſtquã conſecrauit panẽ,antequã illum Apoſtolis daret,vti ſacramentũ; patri obtulit, vt ſacrificiũ. Ergo nos pariter,vti debemus eo, nõ ſolum tanquã Sacramento,ſed ẽt tanquam ſacrificio. Vultis cognoſcere, obtuliſſe prius Chriſtũ, quàm cõmunicaret? & cùm panẽ conſecratũ præ manibus haberet,ante obtuliſſe. Deo pro Apoſtolis,quã eis cõmunicaret? Verba Chriſti apud Lucam audite. *Hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis datur*. dicit *datur*, quod præſens eſt: hoc eſt corpus meũ,quod nunc datur; quod nũc offertur. quænam erat hæc oblatio? non quidẽ crucis oblatio,quæ tunc nõ fiebat. igitur Chriſtus tunc dabat corpus ſuũ,tunc offerebat patri,in ſacrificiũ incruentum. neq; refert,ſi dicas,tunc datum fuiſſe,non Deo,ſed Apoſtolis:nàm,non dicitur *quod vobis:* ſed *quod pro vobis datur.* ad hæc,volo ſcire vos,quãuis de ſanguine dicatur in futuro, *fundetur*,& item cæteri Euangeliſtæ,dicant *effundetur*,attamen Græcũ codicem,præſens tẽpus habere: *datur,traditur,funditur*. atque id quaſi quadã artificio Spiritus ſancti,factum videtur, vt duos ſenſus eliceremus, & vtrumque veriſſimũ. nempe ex Latina lingua;illud eſſe corpus,quod offerendũ erat in ſacrificio cruẽto: Et ex Græca;corpus eius,idipſum eſſe,quod tũc offerebatur,eo tùm præſenti tẽpore,in ſacrificio incruento. immo apud Lucã in Editione Latina, ſemel ponitur præſens; *quod pro vobis datur:* vt ſi quis tergiuerſari velit, & vulgatæ editionis auctoritatẽ obijcere, intelligat,locum apud Lucã;*quod pro vobis datur*, ſe ne tueri quidem poſſe,niſi concedat id, quod veriſſimum eſt, nempè Chri-

 ſtum,

ſtum, antequã hoſtiam conſecratam Apoſtolis cõmunicaret,pro ipſis Apoſtolis Deo per angelos in ſacrificium eam obtuliſſe. Et itẽ actiones illas benedictionis,& gratiarũ actionis, nõ ignorant Hebræi,oẽs eſſe ſacrificiorũ cęrimonias. præterea,ſi Chriſtus,antequã cõmunicaret Euchariſtiã Apoſtolis, oblationẽ illam, Deo nõ feciſſet, quid ſibi vellent illa verba; *hoc facite in meã cõmemorationem? facite*; quid quæſo? certe ſi Chriſtus nõ obtulerat hoſtiam,nullam ad id tẽpus actionẽ,ad eam adhibuerat. quænam igitur erat actio,quam imitari Apoſtolos vellet,cũ dixit; *hoc facite in meam cõmemorationem?* quare ſi diligenter attenditur, nihil eſt clarius. atque non ſolum patet, figuras & Prophetarũ voces demonſtraſſe,ſacrificium hoc à Chriſto,debuiſſe inſtitui,& exerceri,& alijs exercendũ mandari,ſed ẽt locum ipſum manifeſtum vidimus,quo ipſe fecit hæc omnia. Audite præter hæc,maioris momenti alia. nàm præter eum locum de quo diximus, qui habet; Chriſtũ ſacrificaſſe ſeipſum, & ſuis Apoſtolis Euangelicum ſacrificium inſtituiſſe,treis præterea ſunt in nouo teſtamẽto loci: quorũ primo oſtenditur,cenſuiſſe dominũ,in ſua Euãgelica lege ſacrificandũ eſſe: altero,quo prædixit ſacrificij genus, quod fieri debebat. tertio,(quod magis refert,) quo probatur, Apoſtolos ipſos,poſt Chriſti mortẽ,re ipſa,& actu ſacrificaſſe. Et quidem tàm dementẽ,aut imperitum arbitror eſſe neminẽ, qui nõ intelligat, ad ſe inuicem affecta ſemper eſſe,ſacrificium & altare:neſciatq;, vbi ſacrificiũ eſt,ibi eſſe altare: & vbi nõ eſt ſacrificium,ibi & altare ſuperuacaneũ eſſe: nã & ipſa Euchariſtia vti ſacramẽtum, altare nõ poſtulat;ſed ei debetur,vt ſacrificio. quocirca vos ipſi Caluiniſtæ,quia ſacrificiũ nõ agnoſcitis,ſed tantũmodo cõmunionẽ probatis, cœnæ veſtræ locũ, menſam quidẽ appellatis,ſed altaris nomẽ reijcitis. quare ego argumẽtor hoc modo;ſi Chriſto in ſua Euãgelica lege,vſus ſacrificij nõ placuiſſet,nunq̃ cenſuiſſet permiſiſſetuè,altare cõſtrui. Et tñ apud Matth. cap. 5. dicit; *ſi offers munus tuũ ad altare: et ibi recordatus fueris,quia frater tuus,hẽt aliquid*

aduer-

aduerſum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo. & tunc veniens, offeres munus tuum. quibus ò, Caluiniſtæ loquitur Chriſtus? de quibus loquitur? an fortaſſe de ijs quæ fiebant in Hebræorum lege? an vero potius, de ijs quæ obſeruanda erant in lege Euangelica? hoc autẽ tam clare patet, vt nihil magis. nàm verba illa dicta ſunt, in ſermone quem habuit, dum eſſet in monte: vbi regulas legis Euangelicæ tradebat. Et cùm dixiſſet, *Audiſtis quia dictum eſt antiquis; non occides: ego autem dico vobis*; nobiſcum ergo in Euangelica lege loquitur: & vnumquemque noſtrum admonet, vt *ſi offeramus munus noſtrum ad altare*. ponit igitur, in Euangelica lege altare haberi, à nobis oportere: ſed vbi altare eſt, ibi eſt ſacrificium. videte vos ò, Caluiniſtæ an hac argumentatione concludatur, intellexiſſe Chriſtum, noſtro quotidiano ſacrificio vtẽdum eſſe: tùm deinceps, an conſequens ſit, perperam facere vos, qui tantummodo menſæ nomen agnoſcitis, ab altaris nomine abhorretis: cùm præſertim ipſe etiam Paullus expreſſe dicat, *Altare habemus*. alius locus quo Chriſtus dominus noſter, de Miſſæ ſacrificio locutus eſt, pulcherrimus eſt & apertiſſimus Ioannis cap. 4. ſed primum auditores quærendum eſt de qua adoratione loquebatur Samaritana, cum dixit *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus vbi adorare oportet*. & continuo reſpondeo de illa locutam, de qua erat, inter Iudæos, & Samaritanos controuerſia. neque verò ij diſputabant, quo loco orari poſſet. ſciebant enim vbique orari poſſe. neque, vbi actionibus intimis externiſue agnoſci poſſet dei magnitudo: conſtabat enim nullum locum non idoneum eſſe. ſed omnis eorum controuerſia, vt Ioſephus teſtatur lib. Antiquit. 11. cap. 8. erat de ſacrificio. quoniam affirmabãt Iudæi Hieroſolymis tantum licere ſacrificare: Samaritani verò aſſerebant in monte Garizim id fieri poſſe. igitur mulier illa de

ſacrificio loquitur, cum interrogat Hieroſolymis ne, an in monte Garizim adorari oporteat. neque abſurdum eſt vſurpari ab ea nomen adorationis, pro ſacrificio. ſacrificium enim propria eſt adoratio quæ Deo exhibetur. præterea Abraham cũ ad ſacrificandum pergeret, inquit, *Expectate hic cum aſino. poſtquam adorauerimus reuertemur ad vos*. & Actuum cap. 8. dicitur quoſdam gentiles aſcendiſſe, vt adorarent in die feſto: ideſt vt ſacrificarent. Et Eunuchus Candacis reginæ venerat vt adoraret in Hieruſalem, id eſt ſacrificaret: quærit igitur à Chriſto Samaritana quo in loco adorare oporteat. nunc audite quid reſpondeat Chriſtus. *mulier crede mihi veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrem*. ideſt ſcito mulier hoc ſacrificij genus mutandum eſſe, & nouum ſacrificium inſtituendum: neque de loco erit ambigendum, quoniam nullo loco circumſcribetur, ſed vti Malachias inquit, offeretur ab ortu ad occaſum, quacunque ſol terras illuſtrat. immo ſcito iam tempus hoc aduenisse. *venit hora, & nunc eſt*. quoniam ego veni, qui hoc ipſum ſacrificium inſtituã: quod quidẽ duobus modis differet ab hebræo. nam hebræũ carnale eſt, & typicum: meũ autem ſpirituale erit, & verum, ideſt non carnale, ac typicum; atque iccirco *Veri adoratores*, ideſt Chriſtiani *adorabunt patrem*, ſacrificabunt vbique locorum Deo *in ſpiritu & veritate* hoc ſacrificio ſpirituali, & vero; quod carni & figuris opponitur. Veſtrum nunc auditores ſit iudicium, an potuerit dominus de ſancto miſſæ ſacrificio clarius loqui: ac quàm egregie affirment Theodoretus, & Rupertus in Malachiam, & Euſebius de demonſtratione Euangelica hoc loco Malachiæ vaticinium explanari: & æque ibi atque hic de Sancto miſſæ ſacrificio tractari. Sed locum quem diximus, afferamus: vbi in actis Apoſtolorum, præclare dicitur, Miſſam ab ipſis Apoſtolis, celebratam fuiſſe. petimus autem ne verbi, ſit quæſtio: fatemur enim, illos hoc no-

mine

mine non fuiſſe vſos. nàm verbum *Miſſa*, cùm Græcum non ſit, dicendum videtur, vel Hebraicum eſſe; vel Latinum. vt ſi quis in Teſtamento nouo, quod Græce conſcriptum eſt, verbū hoc *Miſſa* perquirat; perinde agat, atque; ſi verbum κοινὸν vel aliud Græcum, in libro, Latina tantummodo lingua conſcripto, reperiri cupiat. in ſumma, fieri non poteſt, vt verbum *Miſſa*, in codice Græco reperiatur. ſed quo nomine Græci, miſſam appellant? certe Liturgiam: quod vel ipſis pueris, notiſſimum eſt. Vt etiam plures Liturgiæ, (quod paullo poſt dicemus,) ideſt, aliæ ab alijs patribus, miſſæ conſcriptæ reperiantur. quare cùm in Actis Apoſtolorum inuenero Liturgiam, eos feciſſe; ſine dubio patebit, miſſam ab eis fuiſſe celebratam. & ecce in Actis cap. 13. tam aperte, vt nullus repugnandi diſſimulandiuè locus relinquatur. cùm enim narretur, quid Apoſtoli facerent, quo tempore ſpiritus Sanctus eis dixit *Segregate mihi Paullum & Barnabam*, dicitur λειτουργούντων αὐτῶν ideſt ipſis Liturgiam facientibus. quod tantundem eſt, quaſi, ſi dicatur, dum miſſam celebrarent. Et quidem animaduertit Caluinus hunc locum auditores, in Apoſtolorum Actis, atque euadere quantum potuit, conatus eſt: dicens Latinum interpretem vertiſſe *miniſtrantibus*, non autem *ſacrificantibus*. ſed infelix non aduertit, quamuis conuerſum ſit *miniſtrantibus*, additum tamen eſſe *miniſtrantibus Domino*; quod miniſterium domino factum, dicat ipſe nùm proprie magis conuenire poſſit, altaris ſacrificio. Eraſmus item, is qui omnibus noſtræ tempeſtatis hæreſibus, *oua* (vt aiunt) *ſuppoſuit*, in annotationibus ad Apoſtolorum Acta, hoc loco, mirifice torquetur. ac primum quidē, id fatetur, quod inficiari non poteſt; nempe verbo Græco ſignificari ſacrificium: & pro illis verbis *miniſtrantibus Domino*, magis proprie interpretem conuerſurum fuiſſe, *ſacrificantibus illis*. at, cùm ſcrutamur quale eſſet hoc ſacrificium, quod fiebat ab

Digitized by Google

Apoſtolis; (rem ridiculam audite:) dicit; *nullum ſacrificium Deo gratius eſſe, quàm, impertiri doctrinam Euangelicam*. imperite ſanè vt nihil magis. ſimul cōuenerant Apoſtoli, & ſacras conciones habebant. liber autem pro verbo, *concionabantur*; habet, *ſacrificabant:* ſi vero vobis, auditores acuti, iudicioq; præditi, iſta arridet expoſitio; recipite. mihi quidem dubium non eſt quin ea, vel ipſis infantibus, moueat riſum. cùm ergo eo loco legatur, Apoſtolos ſacrificaſſe, etiam ex Eraſmi ipſius expoſitione, (nam verbum quidem, clariſſimum eſt,) neque dicendum ſit, ſacrificatum bobus, aut vitulis, more Hebræorū fuiſſe; neceſſario concludendum eſt, celebratam fuiſſe miſſam: & poſt Chriſti diſceſſum, in ipſius ſancta Eccleſia, ſacrificium remanſiſſe. Sacrificium, inquam, illud, ſacram illam miſſam: de qua loquuntur omnes Doctores Sancti, & omnes Eccleſiaſticæ hiſtoriæ; tàm copioſe, tàm cumulate, vt ſingulos eorum locos recenſere, non præſcripti, quo nunc vtimur nos, ſed infiniti ſit temporis. Erunt igitur vobis nonnulli quos afferam, pro omnibus ijs, quos neceſſario prætermittam. De hoc ſacrificio, eodem miſſæ vocabulo, loquuntur Ambroſius Epiſtola 31. & Leo Papa Epiſtola 88. qui vetuſtiſſimi ſunt, præter Gregorium, & recentiores alios; ſexcentis locis. Ignatius ipſe, qui Chriſtum dum in terris moraretur, oculis ſuis vidit, ijs temporibus, ad Smirnenſes ſcribens, dicit; *non licet ſine Epiſcopo ſacrificium immolare, neque Miſſas celebrare*. Et idem ſcribens ad Trallianos, & ad Neronem, ait; cùm Petrus Miſſam celebraret, Diaconos fuiſſe, Clementem, & Anaclerum. & cum celebraret Paullus; Timotheū & Linum. Ciprianus ſcribit, Cæcilio fratri, dicitq;, *Neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis, dominus prior fecit; vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur*. eadem verba iterat Auguſtinus lib. Quar. de Doctrina Chriſtiana. Iſidorus lib. pri. de officijs, ait, *Ordinem Miſſæ pri-*

mo

mo à ſanEto Petro fuiſſe conſtitutum. Clemens Romanus Epiſtola tertia de officio ſacerdot. Anacletus Epiſtola ad omnes Oriẽtales. Dionyſius Areopagita, in Hierarchia Eccleſiaſtica: oẽs late de Miſſa loquuntur. præterea, ſi ipſi ad hiſtorias nos conuertamus; Abdias, affirmat Petrum Anthiochiæ, miſſam celebraſſe. & altare in quo, primum in Italia celebrauit, longa conſtantiſſimaq; traditione, Neapoli ad hunc vſque diem aſſeruatur. Iacobum, miſſam celebraſſe, & ſexta Synodus aſſeuerat, & Liturgia etiam ipſius reperitur. extat etiam Miſſa Marci. & nemini dubium eſt, miſſam ab Andrea, quotidie celebratam fuiſſe: nàm idẽ ipſe id Egeæ proconſuli affirmauit, ijs verbis; *Ego quotidie ſacrifico agnum immaculatum*. bone Deus! nemo eſt, ſiue Latinus, ſiue Græcus; ſiue Chaldæus, ſiue Aethiops: ſed ne ſchiſmate quidem infectus, & ab Eccleſia in multis aberrans, qui morem & vſum Miſſæ non retineat; Et vos, ò miſeri, decepti, hanc ditiſſimam gemmam, hunc immenſum & inæſtimabilem theſaurum, ſubtrahi vobis auferriq;, paſſi eſtis. ah, tandem, ad vos redite, & reſipiſcite. cùm autem deceptores iſti vobis dicunt; ſi miſſam Chriſtus inſtituiſſet, & ipſius eſſet, non toties immutata eſſet; audacter reſpondete; ſubſtantiam ipſius, quæ in conſecratione, oblatione, conſumptioneq; hoſtiæ conſiſtit, nullam prorſus mutationem, varietatem nullam, vnquam paſſam eſſe. Sed cærimonias quæ ad miſſam non alia de cauſſa adhibentur, quàm vt eorum animi qui interſunt, ad meditandam Chriſti paſſionem, excitentur; pro populorum affectionibus, ſtudijſq; cõtentioribus, remiſſioribuſue, indies immutatas fuiſſe. Et Liturgiarum aliam breuiſſimam eſſe; aliam paullo longiorem. ſat eſt, nihil omnino niſi ex Apoſtolica doctrina fieri. nàm ſi pſalmum, aut doctrinam, aut prophetarum oracula legimus; id à Paullo habemus, ad Corinth. *Vnuſquiſque veſtrum, habeat pſalmum, doctrinam, & Prophetiam.* Si obſecramus, oramus,

mus, poſtulamus, gratias agimus; hæc omnia, docet nos Paullus, ad Timotheum ſcribens. atque, vt ipſe Paullus dicit; *omnia in ædificationem facimus*. in ſumma, cærimonijs noſtris, egregie ſane, præclareq; Chriſti vitam, & mortem repræſentamus. cùm enim ad altare peruenimus, & nos maxime creberrimeq; peccaſſe confitemur, mundum, ante Chriſti aduentum, peccatis omnibus refertum, cumulatumq; fuiſſe ſignificamus. cúm introitum dicimus, de veteri teſtamento ſumptum, promiſſum in antiquo teſtaměto Meſſiam recordamur. cùm proſequimur, dicentes Chirieeleyſon, pias Sanctorũ patrum voces, qui Chriſti aduentum poſtulabant, innuimus: & dicendo *Gloria in excelſis*, ipſum adueniſſe teſtamur. cùm ipſi conuertimus nos ad populum, dicentes *Dominus vobiſcum*, ipſum mundo ſe exhibuiſſe dicimus. cùm precamur: ipſum, antequam concionibus populos erudiret, pro nobis precatum eſſe demonſtramus. legentes Epiſtolam, indicamus, Ioannem Baptiſtam ante ipſum concionatum fuiſſe. Euangelium recitantes, concionari ipſum cæpiſſe, oſtendimus. cùm ſymbolum legimus; fidem ipſius diſſeminari cœpiſſe declaramus. cùm *offertorium* pronunciamus; teſtificamur ſtatuiſſe eùm, ſeipſum offerre pro nobis. cùm ſecreta verba proferimus; paulliſper eum quia nondum aduenerat hora, latuiſſe deſignamus. cùm præfationem, ingreſſum Hieroſolymas triumphantem docemus. cùm tacemus, paſſionis noctem aduenisſe referimus. cùm oſculamur altare; à Iuda proditum oſculo fuiſſe notum facimus. cùm leuamus hoſtiam; crucifixum fuiſſe exprimimus. cùm calicem, ſanguinem pro nobis ab eo profuſum demonſtramus. cùm tacemus rurſus; mortuum eſſe exponimus. cùm tollimus vocem, Centurionis confeſſionem notamus. cùm denuo tacemus, ſepultum fuiſſe proponimus. cùm dicimus pax vobis, ad vitam redijſſe, paceq; Apoſtolis dediſſe planum facimus. cùm dicimus Agnus Dei;

Eccle-

Eccleſiam vbi eum vidit, ingenti perfuſam lætitia explicamus. quando communicamus,cum ſuis poſtquam reuixit comediſſe patefacimus. cùm legimus ſcripturam; ſenſum eius aperuiſſe deſcribimus. cùm ad medium altare accedimus, in cœlũ aſcendiſſe notamus. cùm precamur; precari ipſum pro nobis recogitamus. cùm ad medium redimus; ipſum æque, Hebræorum, ac gentium factum eſſe, aperimus. cùm dicimus ite Miſſa eſt; mundum, finem habiturum reminiſcimur. conuerſi ad populum, venturum ad iudicandum denotamus. cùm benedictionem damus;dicturum bonis *venite benedicti*, affirmamus. cùm Ioannis Euangelium legimus, ſcilicet *in principio*, & quæ ſequũtur, noſtra omnia & ab ipſo incipere, & in ipſo deſinere debere nuntiamus: atque hæc omnia raptim, & curſim. nàm ſi de ijs fuſius diſſerere & ea tractare poſſemus, quanta lætitia, quanta voluptate caruiſſe vos ò, decepti intelligeretis, cùm miſſa caruiſtis? ſed plura dicere temporis anguſtijs prohibemur. quare finem imponimus, non ſolum huic diſceptationi, ſed etiam toti parti tertiæ, immo omnibus,in Dogmata fidei noſtræ diſceptationibus. quamuis.n. more hoc meo, cras etiã verba ſim apud vos facturus;non tamen loquar vobiſcũ poſthac,vti cum ijs,qui decepti ſint. Sed mihi perſuadens,vos Dei munere,immo certò ſciens,veſtrum nonnullos,eiuſdem Dei bonitate,omnem errorẽ exuiſſe; illos, ne recidant; & vos,ò,Catholici,ne cadatis,monebo nonnulla,quibus,& hæreticos internoſcere,& vbi internoueritis, quomodo cum illis vobis agendum;vel potius ab ijs, ne uos fallant,quomodo cauẽdum ſit,addiſcatis. Vidiſtis in prima diſceptationum mearũ parte, quam firma ſint noſtra Catholica fundamenta. in altera, quàm pura ſit eorũ doctrina. in poſtrema, quàm falſæ ſint aduerſariorum calumniæ. cras audietis,quid cauere vos oporteat: vt medicus qui ſalutem vobis reddidit,idem, qua ratione eam diutiſſime tueri, conſeruareq́; poſſitis,aperiat. Abite felices.

DISCE-

DISCEPTATIO XVIII. & Vltima.

Quæ docetur quot mala detrimentaq́ ab hæreſibus inuehantur. quantopere Sancti omnes, ab hæreticis ſemper abhorruerint. quanta cura diligentiaq; adhibenda ſit vt dignoſcantur. & vbi dignoti ſint, qua ratione ſit ab eis cauendum.

EGO vero illud mihi nunquam perſuaſerim auditores, has meas diſceptationes tantum vobis vtilitatis attuliſſe, quantum vel res ipſa poſtularet, vel voluntas mea ferret. Verumenimuero, illud negare nunquam auſim, eaſdem vobis prorſus non inutiles fuiſſe, neque quamuis iàm ad exitum perductæ ſint; iccirco præterijſſe omne tempus illud, quo vobis emolumento, atque vſui eſſe poſſint. Neque enim vt optime noſtis, ſimulac ſparſum ſemen terra excepit, ſtatim id enaſcitur: neque poſtquam pharmacum in ſtomachum illapſum eſt, illico agere incipit. ſunt enim nonnulli interdum, ſiue animi vitio; ſiue diuturno vſu, adeo male affecti, vt quamuis verum ſibi dici audiant, & rationum, quibus refelluntur, vim percipiant; tamen eos aut inueterata illa conſuetudo noua inire conſilia non ſinat: aut aliqua animi perturbatio; eoſdem impediat, quò minus, id quod iàm intelligunt, nedum quod audiunt comprobare velint. Nec tamen iccirco exiſtimandum eſt, inanem nos ſemper laborem ſuſcipere; dum in id vnum incumbimus vt vera audiant. etenim temporis progreſſu, aut errore illo liberatur animus, aut ſua ipſius cõſcientia, frangitur illa animi durities, ex diuturna conſuetudine contracta; & tunc iactum ſemen exire incipit: & tunc ſumpti phar-

pharmaci vis ſeſe prodit. *Non reuertitur vacuum verbum domini*, inquit is, qui neque mentiri, neque fallere quemquam poteſt. eam ob rem, nunquam omnino inane aut nugatorium eſt, dare operam, vt & peccatoribus iuſta perſuadeantur: & hæretici vera percipiant. nàm, etſi tunc ad ea cogitationes ſuas non conuertunt, immò verò id vnum agunt, vt ne de illis cogitent; poſtea tamen, intra breue temporis ſpatium, aut aliqua ægrotatione opprimuntur; aut in carcere includūtur, aut aliquo alio aduerſæ fortunæ ictu concidunt; quo excitatus atque incitatus eorum animus, ad ea quæ prius contempſerat, refert ſe ſe; atque à veris & iuſtis illis rationibus, ea remedia petit, quæ, niſi eas ante audiſſet, numquam petere potuiſſet. Itaque quòd ad me attinet, etiam de illis optime ſperare audeo, qui & ſi veteres errores nondum exuerunt, magna tamen diligentia atque attentione dicenti mihi affuerunt. aderit enim tempus, quo & epotum pharmacum aget, & mandatum terræ ſemen prodibit, & quo, ſi me nunc ſpernunt & irrident, plurimi facient, atque laudabunt. Atque eò magis, quòd vt terræ & ventri quaſi ardoris faces admoueantur, nos omnes ò, Catholici, ſummis precibus à Deo petemus, atque aſſidue obſecrabimus, vt eorum ſaluti conſulat. atque id ſatis ſit, de ijs, qui adhuc in errore verſantur. quòd verò ſpectat ad eos, qui aut nunquam in errorem inciderunt, aut felicitate quadam mea, atque diuino potiſſimum auxilio, ex errorum tenebris, docente me in lucem emerſerunt; ſicuti illos laudo qui in tàm magna, ac turbulenta tempeſtate naufragium non fecerunt; hos vero magnopere amo, amplectorq́;, tanquam filiolos meos, in Chriſto Ieſu domino noſtro genitos: ita vtroſque quàm poſſum ſtudioſe rogo, vt omne ſtudium atq́; diligentiam adhibeant, quò ſe ab omni labe intactos illæſosq́; tueantur. Neque ſanè vlla alia de cauſſa poſtquàm hiſce meis diſceptationibus extremam manum impoſui, nunc demum

mum ad vos reuertor, niſi vt poſtrema hac oratione mea, vos obteſter, atque obſecrem, vt vos ipſos maxima diligentia cuſtodiatis; vt gratiam Deo habeatis, qui vel vos ſeruauerit, vel ad ſanitatem perduxerit; vt in eo ſpes veſtras collocetis; vt ipſi vos illi commendetis; vt quo in diſcrimine verſamini conſideretis; nempe rem veſtram agi cùm proximus ardeat paries: immo verò, quàm multæ fauillæ iàm vos circumuolitent; & denique, vt mananti latius igni, ea remedia excogitetis, atque adhibeatis, quibus omnino reſtingui poſſit. Nouit Deus, qui omnia nouit, quàm libenter vitam, & ſanguinem hunc profunderem, vt vos ab hac imminenti peſte, puros intactosq; conſeruaté: ſed quando nihil vobis mea mors prodeſſe poſſet, conabor hodierno etiam die, vobis mea lingua prodeſſe: & in hac mea oratione, nullo liuore, nullauè maleuolentia adductus, ſed tantum odio quo vitia proſequor impulſus, atque ſalutis veſtræ deſiderio flagrans, quatuor vobis ennarabo; hoc eſt quantum detrimenti afferant hæreſes: quàm male ſemper à ſanctis patribus audierint hæretici: quanta cura opus ſit, vt diſcernantur, ac poſtea, quo pacto poſſint à nobis euitari. Et profectò quòd pertinet ad primum caput, in quo agendum mihi eſt, de damnis ab hæreticorum opinionibus illatis, velim mihi liceret, orationis loco, inter alpes magnam quaſi feneſtram quandam patefacere: & poſteaquàm vos ad eam adduxiſſem, nihil quidem loqui, ſed tantum digitum intendere, & tunc demum vociferari; Ecce Galliæ, ecce Germania; Ecce Belgarum regio, ecce Brittania. ò, miſera immò verò miſerrima exempla! quis eas intueri, quis videre ſiccis oculis poteſt? vbi ſunt leges? vbi erga Principes obedientia? vbi populorum timor? vbi amicitiæ vincula? vbi quies? vbi pax? miſeræ prouinciæ, Europæ lumina, totius orbis ornamenta: vt florebant antea, vt nunc iacent ſordidæ, atque abiectæ? Quàm infœlix, quàm infauſtus fuit dies ille, quo

tàm

tam dira peſtis prouincias illas inuaſit; quo hæreſis, quauis fu-ria immanior, eaſdem peruagata eſt. Ecce Gallia, quæ tanquam phræneſi correpta, in ſemetipſam dentes conuertit; quæ ſuas ipſa carnes dilacerat; quæ ſibi oſſa frangit; quæ ſui ipſius medullas extrahit, atque exſugit. & ijſdem armis, quæ prius in intimum Aſiæ ſinum penetrarunt, & Sanctiſſimum Chriſti ſepulchrum adepta ſunt, nunc abutitur, ad ſua viſcera dilanianda, atque ad camporum foſſas, filiorum ſuorum ſanguine cõplendas; ſic, vt vndique exundent. Ecce Belgarum regio, quæ furore percita, tanquam canis rabida, dentes ad ſaxa exacuit, atq; lapides mordet; templa diruit; ſæuit in ſacras imagines; mercaturam conquieſcere ſinit; negociorum rationem tollit; petit pacem, & bellum expetit; quid cupiat neſcit; legem vnam abrogat, dein ſexcentas rogat; ne vni ſeruiat, mille alijs ancillatur & dùm conqueritur, ſe ab vna extera natione exinaniri, ex omni orbis terrarum parte, nouas quotidie gentes ad ſe allicit, quæ ipſam expilent, ac pœnitus exhauriant. Ecce Brittania quæ vno temporis momento, omnem virtutẽ, atque auitum decus amiſit; & ex forti, atque effera, nunc timida facta, tanquam Circæo quodam poculo, ex leone in cuniculum, ex leæna in leporem immutata; vnius mulieris nutu, cõtremiſcit; atque timore perterrita, tot religiones probat, quot iubetur accipere: & quia nimis credit, nihil credit. immò id vnum agit, ne quod credit, credat: & tanquam ſit in aliorum pernicie ipſius collocata ſalus, eundem ignẽ in vicina ſibi tecta conijcit. quaſi vero, (proptereaquòd in medio mari ſita ac poſita eſt) illud incendium, non exhorreſcat, quo breui, vt nemo non videt, tota conflagrabit. Sed quod magis refert, ecce Germania; illa inquam auditores Germania, cuius virtutis & fortitudinis, & fidei fama ad omnes iam peruaſerat: nunc deſertor vnus ſpe omni deſtitutus, & pædagogi quatuor, effecere, vt eam funditus euerterint, in ſe-

ctas

ctas ſexcentas diuidentes. Quotidie nouam aliquam religionẽ excogitant,qua populos fallant: & cùm iàm antea eoſdem ad bella inter ſe gerenda adegerint, poſtquàm inter eos acerbe, ac crudeliter depugnatum eſt, eandem pacem quouis bello deteſtabiliorem fecerunt; in qua quid quotuſquiſque credat,omnes ſuſq; deq; habent. ò,miſeras ac plane infœlices prouincias! quæ cùm ſint cæteris miſeriarum exemplar, miſeras tamen ſe eſſe non vident. Contra verò, ò, te fœlicem ac ter & amplius beatam Italiam! an credis te vnquam hac pace hac quiete hac trãquilitate frui potuiſſe, ſi (quod Deus auertat,) huiuſmodi peſte laborare cæpiſſes? nihil minus. iaceres in rerum omnium maxima perturbatione: tui vero ciues, in extremi periculi metu verſarentur: leges tuæ contemnerentur: principes ſpernerentur: omnis tua gloria concideret: omnia tua bona in dubium vocarentur: ad tuam perniciem ingens perditorum hominum colluuio conflueret: & denique quicquid virium, quicquid roboris habes, amitteretur. Videte auditores quanti referat nos intactos inuiolatoſq; conſeruari. & quam æquum ſit etiam minima queque caueri: cùm præſertim quæuis licet exigua fauilla, maximum quodlibet incendium excitare poſſit. Sed quoniam video, non poſſe me dicendo exprimere, ac tàm ſcienter expingere harum prouinciarum clades, vt earum vos exempla, cautiores reddant; ſatius eſt me ad rationem reddendam aggredi, cur ex omnibus malis nullum ſit hæreſi exitioſius, nullum teterius. cauſſam quæritis? quia hæc, fundamenta euertit. Quis autem ignorat ſi quis turrim deijciat, aut aliquam aliam ædificij partem demoliatur, nocere eum quidem ædificio: at, qui fundamenta excindit, totum vnà ædificium deturbare? fundamẽtum totius Chriſtiani ædificij, vt nemo non ignorat, ſancta fides eſt: *ſi quis ſuper fundamentum hoc*. At hæreſis, vt nemo non videt, contra fidem Catholicam vires ſuas exercet: ergo Chriſti

ædifi-

ædificio nihil tantopere obeſt, quantopere obeſſe ſolet hæreſis. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo:* at hæreſis fidẽ nobis aufert. *fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum*: at hæreſis, fidem nobis eripit. *Iuſtus ex fide viuit:* at hæreſis fide nos deſtitutos reddit. Ergo vna hęreſis horum omnium malorum origo,& cauſſa eſt: quòd nihil Deo gratum & acceptum,peragere poſſumus. quòd ſpes noſtras rectè collocare non valemus, quòd animæ vita caremus. Præclare Sanctus Thomas ſcriptum reliquit, eſſentiam peccati, nihil aliud eſſe, quàm diſceſſum à Deo. ſed quis diſcedit à Deo longius? is, qui eius præceptis non paret: an is, qui ei non credit? profectó qui non credit. & iccirco nullum peccatum eſt,quod nos à Deo magis alienet; quàm hæreſis. Dum actione delinqueo,dummodò in fide cõſtans ſim, adhuc quodammodò in portu nauigo: ſaluum enim gubernaculum eſt. & infractum; cuius ope poſſum adhuc vim procellarum ferre, atque è, ſcopulis, & ſyrtibus euadere. at fide amiſſa, hoc eſt gubernaculo fracto,quid aliud niſi naufragium ſupereſt? quaſi vero minus non peccet, is, qui, etſi mœchatur,ſcit tamen peccare ſe, quàm qui adulteretur, pertinaciſſimè tamen negat ſe, peccare. Hùc accedit, (quod ſanè non ferendum eſt,) quòd operum peccata, nos à Dei gratia excludunt quidem, ſed tamen ab Eccleſiæ corpore non abſcindunt. At hæreſis, non modo Dei gratiam nobis eripit, ſed ab eius Eccleſia ſeparat, & ſeiungit: totq; bonis exuit, quot Eccleſia Dei referta cumulatiſſime eſt. Atque hinc cognoſcere poteſtis, vtrum alia peſtis hæreſi ſæuior poſſit reperiri. *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum*, aiebat Chriſtus apud Matthæum cap. 21. Et quamuis lapidem pro ſeipſo acciperet, atque hac ratione ſignificare vellet, cùm Hæbræi percutere eum cupiebant; ſeipſos lædere; & quoties eos repercutere ſibi collibuiſſet, diſperſos, ac diſiectos vſque Mat: 21

ad extremam perniciem vti poſtea fecit, perductum; tamen alius etiam ex his verbis ſenſus elici poteſt. poſſumus enim pro lapide fidem intelligere, quæ eſt omnium rerum fundamentum, & deinde hoc pacto, hanc ſententiam interpretari, *qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur:* hoc eſt, qui ſuper lapidem peccat, in ædificio operum, aliquid certe detrimenti accipiet. *Sed ſuper quem lapis ceciderit, conteret eum.* hoc eſt: ſed qui peccabit ſubiacens lapidi fidei, hic multo maiora atque atrociora mala experietur, quàm cæteri: Et denique in illud peccatum labetur, quo grauius aut maius excogitari nullum poteſt: ideſt in illud peccatum, quod non ſolum à nobis Dei gratiam aufert, & ab Eccleſia ſciungit; ſed etiam, vt more philoſophorum loquar, ò ſereniſſime Princeps, peruertit & corrumpit omnem bene viuendi rationem. Nàm cùm tota philoſophia quæ de moribus eſt, in recta regni adminiſtratione; in optima cuiuſque domus gubernatione; in cuiuſque morum temperatione poſita ſit, vbi hæreſis eſt, ibi nullo modo regna poſſunt rectè adminiſtrari; domus etiam ipſæ non poſſunt vllo pacto ex philoſophorum præcepto gubernari: & homines hæretici non poſſunt diu moribus integris, & moderatis eſſe. Atque horum omnium, quæ à me dicuntur ratio eſt in promptu. nàm quòd ad regna attinet, ſi vbi eſt hæreſis; ibi etiam diuiſio adeſt, quòd etiam verbi ethimon indicat, ibi nulla poteſt eſſe rectè regnandi diuturnitas. id enim innuit Chriſtus, cùm dixit, *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur:* neque his noſtris miſeris temporibus longe petenda ſunt exempla. quî enim fieri poteſt vbi hæreſis adſit, vt ibi optima regni, vel ciuitatis adſit adminiſtratio? ſed princeps ipſe erit ne ſectarum omnium, an vnius tantum? ſi omnium, nemo ei fidem adhibebit; quin ipſe ab omnibus ἄπιστος habebitur: cæteri verò principes illi fidem non eſſe habendam exiſtimabunt.

mabunt. ſin vnius tantum, quis non videt, ipſum ab alijs vocatum iri in ſuſpicionem, neque poſſe ab illis amari? Age vero Sereniſſime Princeps, obedientiæ neruus, vnde manat, niſi ab ipſa religione? quid eſt quòd tàm multi tibi vni obtemperant? an fortaſſis, quia tu vnus illis omnibus potentior ſis? non ita eſt. Vnus enim aduerſus tantam multitudinem nihil aut parum eſt. quid eſt igitur? quia tu magna militum manu cinctus ſis, quòd tot præſidijs circummunitus, & magiſtratuum tuorum conſilio fretus, is ſis, quem omnes metuant? hæc fortaſſe non forent ſatis. Sed vt hi ipſi te non prodant, & vna cum alijs tuo imperio pareant, vnde id fieri dicendum eſt? crede mihi, ab vna religione, quæ eos docet, oportere eos principis iuſſa reuereri. alioquin, manere eos ſupplicia apud inferos æterna. Ergo qui religionem tollit, optimam etiam regni adminiſtrandi rationem ſimul tollit: atque hæreſis quæ hæc omnia efficit, legum omnium maieſtatem imminuit, regna omnia peruertit. Etenim tandem hæretici, temporis progreſſu vel Athei fiunt; ſicuti eueniſſe iam in multis Europæ prouincijs videmus: atque hi cùm Deum non metuere didicerint, multo minus principem metuent, & eorum vnuſquiſque regnum diuidere ſtudet; & quæ communia ſunt ſibi vendicare. vel quamuis ad Atheiſmum non tranſierint, vtuntur certe hæreſi tanquam ſigno & vexillo: quo ſimulac magna perditorum hominum multitudo confluxerit, illicò religio fit coniuratio, & pietatis ſpecie, cum eo paciſci volunt, cuius dicto audientes eſſe deberent, & Euangelicæ libertatis nomine, à ceruicibus ſuis etiam ſeruitutis ciuilis iugum repellunt, & deijciunt. Præterea etiam auditores, ipſius principis vita, ibi eſſe tuto non poteſt, vbi debacchatur hæreſis. cuius rei id cauſſa eſt. quoniam cuilibet quemlibet hominem interficere licet, dummodo is mori

 con-

conſtituat. Princeps verò, nulla alia de cauſſa armatorum caterua ſtipatus incedit, niſi vt qui ei vitam eripere conantur, ſperare non poſſint ſe à militibus tutos fore, qui latera ipſius tegunt quominus interficiantur; nam cui certum & ſtatutum eſt mori, is prohiberi non poteſt, quin poſſit alium occideri. Ergo in regionibus illis, in quibus poſſunt principes dubitare, ne reperiantur nonnulli, qui, vt eos occidant, ipſi ad mortis periculum ſubeundum parati ſint, maximo ſemper timore meritò afficiuntur. Sed ita homines inſtituere, vt mori pulchrum eſſe exiſtiment, id vnum eſt religionis opus, quæ ex huius vitæ amiſſione, æternam nobis ac felicem pollicetur. Et iccirco, cùm princeps ciuibus ijs imperat, qui in religione colenda ab eo diſſentiant, meritò ſemper ancipiti animo eſſe poteſt, ne quis ſeipſum Deo deuoueat, mortem ei inferens, qui oppreſſam religionem ſuam inibi, ac contemptam habet. itaque conſequens eſt, quã in ciuitate hæreſis hominum animos occupauit, vt in ea princeps in perpetuo vitæ ac regni diſcrimine verſetur. intelligitis ne quanta peſtis regnorum ſit hæreſis? Neque verò illa minus detrimenti ſolet œconomiæ, & domus gubernationi afferre. hic enim etiam omnem animorum coniunctionem dirimit atque pacem aufert: atque tantum poteſt, vt cùm aliter credat pater, aliter filius: hoc modo maritus, illo coniunx: aliud hærus, aliud ſeruus; omnes Oeconomiæ coniunctiones labefectentur, & dirimantur neceſſe eſt. Adde, quòd etſi (quemadmodum in Germania fieri intelligimus) inter eos ſublata eſſet omnis controuerſia, & intra eoſdẽ parietes, cùm alius aliter de fide Catholica ſentiret, eſſentq́; inter ſe nihilo ſecius amicitiæ vinculis coniuncti, fieri tamen non poteſt, quin hæc opinionum varietas, & diſſenſio, eàm obſeruantiam ac beneuolentiam quæ inter eos mutua eſſe debet, magna ex parte non imminuat.

nàm

nàm quo pacto patrem meum colam,& obſeruabo, ſi eum male de fide Chriſtiana ſentire ſcio? qua charitate filium complectar, ſi à me diſſentientem video? coniugis verò erga maritum, quæ poterit eſſe obſeruantia, ſi illa de eius animæ ſalute deſperat? contra verò, quomodo maritus eam amabit, quæ ipſi minus morigera eſt? ſeruus autem, herum paruifaciet; quem, Sathanæ ſeruum aut miniſtrum eſſe diiudicabit. contra, herus, ſeruum negliget, quem ſibi in religione minime conſentiẽtem agnoſcet. Itaque vbi hæreſis eſt, ibi neque Politia, neque Economia eſſe poteſt: ambæ enim continuo depereunt. Verumenimuero, tollitur etiam Ethica auditores. neque verò (mihi credite) qui hæreticus eſt, poteſt diu eſſe moribus temperatis. quòd ſi nulla in re peccat, certe hoc ipſo peccat, quod nimium ſibi tribuit: nimios ſibi ſpiritus ſumit: putat enim ſe plus ſapere, quàm alios. Videte nunc an hæc ſit morum temperatio, & vitæ moderatio. Præterea, vſus nos iam edocuit, neminem vnquam hæreticum, aut hæreticam fuiſſe, quin vel nimio amore vel nimio odio adducti, à fide Catholica deſciuerint: nullumq; hæreticum, aut hæreticam reperiri, de quibus dici non poſſit, eos huiuſmodi aliqua de cauſſa in tam grauem errorem incidiſſe, qui poſtea, vt homines ea cauſſa lateret, nouam religionem vetere neglecta induxerint. Quamobrem, priuati etiam mores hac teterrima peſte corrumpuntur. Sed quoniam quibus moribus exculti ſint, iàm ex Sanctiſſimis antiquorum patrum monumentis audietis, finem dicendi faciam de damnis, quæ ab hæreſi importantur: veniamq́; ad eam orationis meæ partem, in qua pollicitus ſum, me vobis oſtenſurum, quàm male ſemper à Sanctis patribus audierint hæretici. Et quamuis hoc ipſum alijs rationibus probare poſſem, tamen breuitatis cauſſa, ſtrictim attingam nomina, quibus ab illis appellati fuere: vos ex hoc vno reliqua colligite. Origen. igitur in 13. S. Matthæi appellat eos gemmas

adulterinas: icirco, quia cùm nullius pretij ſint, aliquid tamen fulgoris emittere conantur. Chryſoſtomus in homilia 19. in Matthæum appellat ſimias: propterea quod homines imitētur, & brutis ſint inferiores. Gregorius Nazianzenus, oratione prima aduerſus Iulianum appellat Chamæleontes: propterea quod omnes colores induunt, præterquam candidum: hoc eſt omnes religiones probant, Romana excepta. Damaſcenus in tertio *de fide Catholica*, hydras: ex quibus peſtifera quotidie capita renaſcuntur. Ciprianus in Concilio Carthaginienſi, Eccleſiæ adulteros, cum tot concubinis, quot ſunt eorum ſectæ, & eorum conuenticula. Hieronymus in Epiſtola ad Ciprianum, araneos, qui telas ordiuntur, quibus muſcas irretire poſſint. Origen. in Tract. in 3. Epiſtolam Ioannis totidem antichriſtos. Chryſoſtomus hom. 5. in Matth. membra putrida, & ramos ab Eccleſia præciſos. Hieronymus in Zachariam, Idololatras: qui ſibi Deum pro libidide effingunt. Origen. in Pſal. 36. homilia 3. nummos adulterantes: propterea quòd ſacram ſcripturam ſtudeant deprauare. Chryſoſtomus in homil. 46. in Matthæum, ſerpentes: idq; tribus de cauſſis: quoniam verſicolores ſunt. deinde quod ſerpant humi. poſtremo quod veſcantur terra. hoc eſt parum ſibi conſtent: omnia ad vtilitatem ſuam referant: nihil niſi anguſtum, aut humile animo concipiant. Hieronymus in Eſaiam pardos maculoſos. Auguſtinus in Pſal. 36. dracones. Origen. in homil. 4. Canticorum, Vulpeculas Sanſonis, quæ fruges exurunt, hoc eſt operum fructus. Chryſoſtomus in homil. 46. in Matth. viperas, quæ ventrem ſanctæ matris Eccleſiæ erodunt. Origen. in Tract. 31. in Matth. Iudas, qui Chriſtum oſculo produnt. Nazianzenus in oratione *poſtquam reuerteretur*, fures. Auguſt. in lib. 2. quæſt. Euangel. quæſt. quarta, lepra ac peſte laborantes. Hieronym. in Oſeam lib. 2. cap. 7. fornaces ardentes: in quibus antichriſti panes decoquuntur. Au

guſt.

guſt. *de conuenientia decem plagarum* comparat eos coruo, qui cũ ex arca exijſſet, tandem ſupra lutum conſedit. hùc adde eoſdem à ſacris literis, modo appellari fontes aqua carentes, aliquando nubes agitatas, nunc arbores ſteriles, interdum *fluctus feri maris*, nonnunquam *ſydera errantia*: ſexcentisq; alijs nominibus, quæ enumerare nihil neceſſe eſt. Præterea, Chriſtus ipſe, apriſſimo eos nomine lupos rapaces in veſtimentis ouium appellat. cur vero lupi dicantur, permultæ ſunt cauſæ, quæ recenſentur ab interprete in eum Lucæ locum qui eſt cap. 10. cùm ait. *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter Lupos*. Et Origen. lib. 4. contra Celſum, ait, eos ideo lupis aſſimilari: quia ſint immunda animalia: aut quia ſicut lupi, *mittantur, quaſi plaga* in genus humanum. Sed ego vnicam tantum hoc tempore rationem in medium afferam, nempe eos iccirco lupis comparari, quia inſtar canum ſint. etenim, vt noſtis, canis ouium cuſtos eſt: lupus vero, qui cuſtodi quàm ſimillimus eſt, eas deuorat: quod & hæretici faciunt: qui cùm de ſuperiore loco concionantur, canum officio fungi videntur, atque ouilis cuſtodum: & tamen lupi ſunt, gregemq; dilaniant. Sed de his ſatis. nàm etſi plurimi alij loci afferi poſſent in hanc ſententiam, vos tamen ex hoc perexiguo numero colligere poteſtis, quanto ſemper in odio fuerint apud omnes ſanctos patres, iſtæ hominum peſtes. Et denique quando ab hæreſi tot mala emanant, & cùm hæretici tàm moleſti omnibus, tàm odioſi ſint, quanta cura adhibenda ſit, vt & diſtingui, & euitari poſſint. Itaque iàm venio ad eam partem, qua dixeram velle me iudicare, quibus ſignis poſſint hæretici internoſci. neque enim ab alijs diſtingui tàm facile poſſunt, quàm quis exiſtimauerit. nàm ipſi plerumque, quamuis lupi ſint, *veniunt* tamen (vt ait Chriſtus) *in veſtimentis ouium*. & profecto quoties hæreticus aliquis quemadmodum Geneuæ, aut alibi fit, de ſuperiore loco hæreticæ prauitatis ſemina in vulgus diſſeminat,

non valde elaborandum eſt, vt cognoſci poſſit. Etenim initio harum mearum diſceptationum docui vos, quo pacto id facile fiat. nempe ſi attendatis, an eius oratio cum Romanæ Eccleſiæ decretis conſentiat. quòd ſi diſſenſerit, tàm certũ eſt, quàm quod certiſſimum, eum de fide, parum pie ſentire. qua in re, operæ pretium eſt animaduertere, iſtorum ingenia, moresq́;, & inſtituta quædam, quæ ſi probe teneamus, falli nunquam poterimus. Exempli gratia. huiuſmodi homines varijs ſemper animi perturbationibus tanquam furijs exagitari, immo verò per ſæpe nimio quodam affectu abductos in hęreſim tanquam in ſcopulum impegiſſe. ſicuti ſcribit Hieronymus Tertullianũ iracundia, ac dolore commotum, quo in Sacerdotes Romanos exarſerat, ad hæreſim adhæſiſſe. Et Origen. Epiſt. ad Romanos notat, Paullum ad Galatas ſcribentem, inter carnis peccata, hæreſim retuliſſe. multæ enim hæreſes progignuntur, ex immoderata carnis affectione. nàm vt videri poteſt, iſti ſopitas iam hæreſes exſuſcitant: & hæreſiarchæ ipſi, ſemper ferè moribus turpiſſimis inquinati fuere: ijdemq́; in deterius ſemper labuntur; & quotannis in maiores hæreſes delabentes, ad Atheiſmum ſemper pertranſeunt, ibiq́; conſiſtunt. eloquentiam affectant, & diſſerti videri volunt, ſemperq́; libros aliquos Canonicos reijciunt. bonis Eccleſiaſticis inhiant: ad principum gratiã loquuntur: eoſdemq́; hortantur, vt in eorum poſſeſſionem inuadant. quoties pœna plectuntur, imitari conantur martyres: hilari enim animo, ac vultu, ad ſupplicia proficiſcuntur: at eoſdem non imitantur in miraculis edendis, neque ante, neque poſt mortem. rebus clariſſimis tenebras obducunt: in diſputando obſcuri, ac perplexi ſunt, ſemperq́; circuitionibus vtuntur. multa ſunt præterea alia certa ſigna, quæ nunquam fallunt, & cùm ea obſeruamus, & recognoſcimus, mirificam inde voluptatem, vtilitatemq́; capimus. Sed vt dixi in his qui publicè hæreſim

profitentur internoſcendis, nihil eſt quòd valde laboremus: patent enim omnibus. Hoc caput eſt, immo in hoc vno omnia poſita ſunt, vt ij internoſcantur, qui agnos ſimulant, cùm tamen lupi rapaces ſint, & qui cùm ſe non detegant, paullatim ad aliorum amicitiam arrepunt, deinde ſenſim opinionum ſuarũ venena ſpargunt, vt eos inficiant, quibuscum viuunt. In quibus diſcernendis, auditores, præſertim in hac regione quæ contagioni proxima eſt, oportet nos cautiſſimos atque oculatiſſimos eſſe Et quamuis à Deo auxilia potiſſimum petenda & expectanda ſint, nobis tamen quantum præſtare humana prudentia poſſumus, danda eſt opera, vt proprijs veluti notis inſigniti, à nobis cognoſci poſſint. Inter quas, cauete auditores ne frequens ſacræ ſcripturæ vſurpatio, atq; externa, & in vulgus prolata vitæ probitas, vos decipiant. neque enim vnquam fuit hæreticus quis piam, qui frequenter in ore ſacram ſcripturam non haberet, quiq; palam multa ex iuſtitiæ & pietatis præſcripto non faceret, vt alios falleret. Tertullianus *de præſcriptione hæreticorum*, Iuſtinus in Triphonem: Origenes in Celſum: Iræneus in Valentinum: Cyprianus in Nouatum: Athanaſius in Arriũ: Nazianzenus in Eunomium: Ambroſius in Auxentium: Hieronymus in Vigilantium: & denique quicunque in hæreticos ſcripſere, omnes id illis vitio vertunt, eos valde multos, & aſſiduos frequentesq; fuiſſe, in afferenda ſacra ſcriptura, ſed tamen eoſdem, eadem abuſos fuiſſe. Auguſt. in Pſal. 10. declarat locũ illum *parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde*: hoc eſt, multas ſemper ſacrarum literarum ſententias in promptu habent, quibus furtim imperitos in fraudem deducant. Et Iræneus in lib. 4. ait hæreticos tanquam Corè filios in vaſis aureis geſtare ignem alienum: hoc eſt; ex verbis ſacræ ſcripturæ, falſas ſententias elicere. Et Origenes in Matth. ait eos imitari Sathanam, qui & ipſe ſacram ſcripturam citauit:

quoniam angelis ſuis mandauit de te, cupiens ſcilicet petras in panes vertere; hoc eſt, ex falſo verum effingere. Itaque auditores, cauete, ne decipiamini frequenti & aſſidua ſacræ ſcripturæ appellatione: immò verò quoties videtis prophanum quempiam, aut mercatorem, aut artificem, aut mulierem, eum denique ad quem hoc munus non pertineat, ſacros libros explicantem, cauete vobis ab eo, tanquam ab igne. aut enim vos in fraudem illiciet, aut ſaltem, *ſi cæcus cæcum ducit ambo in foueam cadunt*. & ita quod ad vitæ genus ſpectat, laudate ſemper ea quæ pie geſta ſunt: ſed quòd aliquis publicè & extrinſecus, multa quæ ſpeciem recti atque iuſti præſeferunt, operetur, ne propterea credatis ei. Etenim vt dixi, omnes ferè hæretici *veniunt in ueſtimentis ouium*. Et Origenes in Ezechielem homil. 6. duo præclare ſcripta reliquit. alterum, bona opera in hæretico, eſſe eſcam qua Sathan erroris hamum deuorandum nobis præbet. alterum, bona opera eſſe veſtes illas quibus Idôla tegit. Itaque neque ſacræ ſcripturæ auctoritas ab illis allata, neque opera ab illis propalàm facta, tutos vos atque ab omni ſuſpicione vacuos reddant. ſed attendite, iàm enim vos edocebo quo pacto vtriuſque rei periculum facere poſſitis. quòd igitur ad ſcripturam attinet, ſi reperietis aliquem, ex ijs, qui crebro eam ſermone vſurpent, afferte vos illi traditiones: ſic enim facile proſpicietis, an Catholicus ſit: nàm illico ſeſe patefaciet, & ſcriptura excepta, reliqua omnia improbabit. quòd vero ad vitam attinet, expectate donec ei aliqua inferatur iniuria: ſtatim enim videbitis, an ſerio atque ex animo illud vitæ genus ſequatur. nàm cum hypochriſis à ſuperbia ortum habeat, quoties hypochrita iniuria afficitur, ira excandeſcit illicò, tanquam aſpis, neque eam ferre vllo modo poteſt. Præterea noſtis ne, quæ ſint alia quibus internoſcantur hæretici ſigna? nonnulla ego vobis recenſebo. Quotieſcunque videtis aliquem, qui ex duabus opinionibus, ſemper minus piã

amplectitur,eámq; fouet. Exempli gratia. ſi narretur aliquid, quod & præter naturam, & à natura fieri potuerit: ipſe verò defendet, illud ipſum non diuinitus, ſed naturaliter factum fuiſſe, cauete ab eo, neque enim caret omni ſuſpicione. Quotieſcunque videtis aliquem, vel in ſermone, vel in concione, nihil vnquam aliud laudantem, quàm hæc quinque; nempe Chriſti ſanguinem, Dei miſericordiam, Dei gratiam, Dei fidem, & ſcripturas, cauete ab eo: neque enim ſatis tutum eſt verba facere de ſanguine, ſine applicatione; de miſericordia, ſine iuſticia: de gratia, ſine libero arbitrio: de fide, ſine operibus: de ſcriptura, ſine traditionibus. Quoties videtis aliquem qui ſibi Theologi partes ſumit, cum tamen Theologiam Scholaſticam non attigerit, & qui Scholaſticos irrideat, cauete ab eo. Quoties videtis aliquem, qui Romam laudari ac ſedis Apoſtolicæ maieſtatē ad cælum extolli iniquius ferat, cauete ab eo. Quoties videtis aliquem, ad quem ea cura non pertineat, nihil aliud cogitantem, ac ratiocinantem, quàm de immutando, ac reſtituendo Eccleſiæ ſtatu, cauete ab eo. Quoties videtis aliquem, qui de rebus ſacris multa quaſi per iocum fabuletur, cauete ab eo. Quoties videtis aliquem, qui Sacerdotes non obſeruet, ac reuereatur, & qui libenter eorum vitia audiat, aut ipſe verbis ſuis narret, atque adaugeat, cauete ab eo. Quoties videtis aliquem, ſcripturæ verbis nimis addictum, quiq; corrigat verſiones à ſacris litteris cōprobatas, cauete ab eo. Quoties videtis aliquem, qui de aliquo hæreſiarcha honorificè loquatur, atq; eius imaginem apud ſe habeat, & id genus alia, cauete ab eo. Et denique auditores, quando huic incendio proximi eſtis, cauete vobis ab omnibus. nimis enim refert, poſſe hæreticos internoſcere, vt euitari poſſint. Sed quid agendum ſit, vt euitari poſſint? mox explicabo. reſpiremus.

PARS

OPESTEM, ò peſtem! equidem auditores nunquam ad hanc rem m étem cogitationemq; cõuerto, quin omnibus artubus contremiſcam. quæ miſeria, quæ calamitas, quæ mors eſt illa, vel familiæ alicuius vel regni, atque adeo animæ, quam hæreſis occupauit? Iàm etiam vos ipſi audiuiſtis, quàm multa detrimenta ab hoc mortifero morbo fluant, ac dimanẽt. Iàm intellexiſtis, quantopere, vt hæretici euitentur Sanctorum patrum cohortatio nos admoneat. Iàm aliqua ſigna accepiſtis, quibus agnoſci poſſint. nunc quid aliud reſtat? niſi vt agniti, caueatis, ne vel vobis obeſſe, vel vos inquinare poſſint? Et hoc illud eſt, de quo apud vos, in extrema orationis meæ parte verba facere decreui. ac ne vobis moleſtus ſim, illud tantum vos admonitos velim, vt quando à me tanquam hydræ, ſerpentes, fures, lupi, deſcripti fuere; ea ratione ab illis caueatis, qua à lupis, à furibus, à ſerpentibus, & huiuſmodi alijs vobis cauere ſoletis. Verumenimuerò, amor erga vos meus, nonnulla etiam alia præcepta me vobis afferre cogit. itaq; nullo ordine adhibito, ex ijs quæ mihi ſeſe offerent, nonnulla dicam, quæ à vobis partim facienda, partim non facienda erunt, ſi eos cupitis euitare. Et profectò plurimum differt, vtrum loquamur, & diudicemus, quid cum illis hæreticis agendum ſit, qui vel in Italiæ, vel in Hiſpaniæ angulis latitant: (ex quibus prouincijs, aut ſolent expelli, aut quoties deprehenduntur, ex antiquatum legũ præſcripto debitis pœnis affici:) an verò quid cum illis, quibus, & in Germania, & in Gallia, aut propter eorum multitudinem, aut propter negocia, vt cum Catholicis viuant non eſt interdictum; quique puniri ob id non ſolent. Ego, quid & cum illis quorum vſu ac familiaritate, vti non debemus, & quid cum illis quibus cùm verſari interdum neceſſe eſt, agendum ſit, docebo:

idq́; tanta breuitate, vt potius nonnulla leuiter attigiſſe, quàm explanaſſe viſurus ſim. Exempli gratia: in ea regione in qua hæretici non feruntur, immo vero de illis ſumi ſupplicium ſolet, ſeptem vobis cauenda eſſe moneo: ne eos defendatis, ne faueatis, ne recipiatis; ſed accuſetis, teſtimonium in eoſdem dicatis. Si poteſtas delata ſit, curetis, vt eius libri comburantur, atque hæreticus ipſe comburatur: quid dicitis? me ſeuerius agere? Primum, hac in re miſericordiæ eſt, crudelitate vti: crudelitatis eſt, miſericordiam adhibere: deinde, nihil dico, quod ſacris decretis, & antiquis legibus cautum non ſit, & denique neminem hac in re lædere poſſum. Nám cùm aſſero, hæreticum eſſe in ignem conijciendum, quem nàm offendo? te ne, vel húc, vel illum? ergo te hæreticum eſſe fateris? quod ſi ita eſt, corrige te ipſum, redi in viam. ſcis enim, hæreticum non poſſe in æternam illam ac cœleſtem patriam morte obita peruenire.

Sed ſi hæreticus non es, quî te offendo, cùm in hæreticos vehementius inuehor? *ſi hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem,* hæc rerum ſumma eſt: hic locus veritatem flagitat, & hæc lingua, vera ſemper loquatur, neceſſe eſt: quare cùm in hæreticos animaduertendum eſt, iniuſte agis, ſi eorum defenſionem ſuſcipis. Verum illud veriſſimum eſt, plurimum differre, vtrum aliquis defendat hæreſim; an hæreticum. & nonnulli ſunt, qui & ſi alicuius hæreſi non adhærent: immo vero, vellent illum ipſum ſententiam mutare, ac cum Eccleſia in gratiam redire: tamen, vel amicitiæ, vel affinitatis cauſſa, pro eius ſalute acerrime propugnant: & hoc pacto, propugnant, non pro hæreſi, ſed pro hæretico. Tamen in vtroque peccatur. nàm ſi hæreſis patrocinium ſuſcipis, hæreticus es: ſin hæretici, anathema. Eadem de cauſſa, etiam peccas, cùm illi opem fers: quoties enim aut verbis, aut re, aut conſilio, aut pecunia iuueris, efficis vt illico in te ipſum illud dici poſſit, quod habetur 2. Paralip. *Im-*

pio prabes auxilium, iccirco iram domini mereris. Quòd vero attinet ad tertium quo monemus, ne recipiatis, neuè occulteris, vel Plato ipſe lib. 2. de legibus ſcribit, *eum à ſingulis pro hoſte habendum, qui publici hoſtis eſt*. ſed accuſatio, quam in hæreticum parari oportere dicebam, nonnè prius fraternam correctionem poſtulat? ſi quidem Chriſtus ipſe dicit, *ſi peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum?* minime. debet enim hæreticus, illico, nulla correctione præmiſſa, in iudicium vocari. Et Chriſti verbis duplicem affero reſpõſionem. aut quòd hic *non eſt frater meus*: (neque enim filius eſſe vult matris meæ, hoc eſt Eccleſiæ.) aut quòd *non peccauit in me*, ſed *peccauit in omnes*: immò *peccauit in Eccleſiam*: & propterea ſtatim dico *Eccleſiæ*. aut, (& hoc quinctum eſt monitum) ſi quis me in accuſationis officio anteuerterit, tunc me illi teſtem adhibeo, & denique do operam, vt hæc tàm dira peſtis, vel ſanetur, vel extinguatur. Sed quòd pertinet ad ſextum, nempe ad hæreticorum libros comburendos, præter ipſum vſum, quo docemur optimum eſſe, ac ſaluberrimum, vt eorum libri igne cremẽtur, quàm præterea præclarum huius rei exemplum extat in Apoſtolorũ actis cap. 19. in quibus vel temporibus illis, & ab ipſo Paullo in Ciuitate Epheſi, eorum qui tantũmodò curioſi erant, tot libri combuſti fuere; vt *computatis pretijs illorum inuenerint pecuniam denariorum quinquaginta millium!* præclarè quidem. Ergò ſi Pauli temporibus, eorum libri, *qui fuerant curioſa ſectati*, comburebantur, nunc hereticorum libri non erunt comburendi? immò vero vel *ipſi hæretici*, cùm leges in eos animaduerti iubent, *ſunt comburendi*. Neque eſt cur Auguſtinum in medium afferant: nàm etſi ipſe ſecus aliàs ſentiebat, tamẽ in Epiſtola 48. *ad Vicentium Donatiſtam*, & in Epiſtola 50. *ad Bonifatium* hanc ſententiam amplectitur, eamq; firmiſſimis rationibus tuetur: nempè hæreticum etiam pœna capitis puniendũ

eſſe.

eſſe. Caluinus quidem veſter, ò decepti, hoc ipſum negare non deberet, cùm & ipſius opera, vt ſcitis, Geneuæ Michael Seruetus in ignem coniectus ſit, propterea quòd hæreticus eſſet. neque negare deberet tota Geneua, quæ eos, qui malè de fide ſentire ſibi videantur, capitis condemnet. neque id negare deberent impij Belgæ, qui abhinc triennium, tàm multos ex fratribus meis, religionis cauſa carnifici lacerandos, ac dilaniandos obtulerunt. neque id etiam negare deberent Galliæ hæretici, qui hac eadem de cauſa tot Sacerdotes obtruncarunt, ſummisq; cruciatibus affecerunt. neque id negare deberet Britannia, quæ ea ſuppliciorum genera adinuenit, quorum ſæuitiam atque immanitatem, nulla vnquam antiquorum Imperatorũ crudelitas adæquauit. Itaque quòd ad hæreticos morte mulctandos attinet, prænterquã quòd Concilium Conſtantienſe idipſum decreuit, res præterea ipſa per ſe clariſſima eſt: cùm ſanè nemo ſit inter Euangelicos iſtos, qui non morte afficiat eos, quos hæreticos exiſtimat. non eſt igitur de hoc amplius diſputandum. Quare ſeptem cauenda ſunt: (ea enim repetam, vt facilius à vobis memoriæ mandentur) in ea regione in qua non licet hæreticorum conſuetudine vti. hoc eſt, ne defendantur, ne eis faueatur, ne recipiantur, ſed accuſentur, ſed teſtibus conuincantur: Sed auctorum libri in ignem conijciantur: & librorum auctores comburantur. At in Gallia, at in Germania, at in Brittania, at in regionibus huiuſmodi peſte laborantibus, vbi neceſſe eſt ſinamus coaleſcere Zizania *vſque ad meſſem*, alioquin, *eradicaretis & triticum*, quoties vobis auditores, negotiorum veſtrorum cauſſa, vel alio quopiam caſu, ad eos vt proficiſcamini contigerit; aut ipſi huiuſmodi aliqua de cauſſa ad vos venerint, quid vobis agendum eſt? quando in eos animaduertere non liceat, certè nihil eſt, cur ea remedia adhibeatis, quæ à me ſuperius allata ſunt. ſed vt Dei gloriæ ſeruiatis, vt ſaluti veſtræ conſulatis, addo etiam, vt mihi

Hh 3 qui

qui tantoperè vos amo, morem geratis; facite, vt hæc monita, quæ paullo poſt vobis exponam, ita in animis veſtris hæreant, vt euelli nō poſſint: quæ & ipſa erunt numero ſeptem. hoc eſt, ne credatis eis; ne eorum familiaritate niſi neceſſariò vtamini: vt eorum templa euitetis: ne eorum concionibus præſentes adſitis: ne diſputetis: ne libros eorum legatis: denique, vt aliquē fructum ex eorum calamitatibus eliciatis. Et profectò, primum monitum, quod eò refertur, vt eis non credatis, deberet potius eſſe ſcopus, & veluti finis aliorum; cætera enim omnia hùc potiſſimùm ſpectant, ac diriguntur, vt ne illis credatis. Iuuit tamen me hoc etiam inter cætera retuliſſe, vt hac veluti oblata occaſione, pulcherrimam illam diſtinctionem afferrem, qua vtitur diuus Auguſtinus, cùm ait, aliud eſſe credere hęreſi, aliud hæretico; atque vtrumque hæreſis eſt. ille dicitur fidem adhibere hæreſi, qui cùm audiat aliquam ſententiam falſam; quam ipſe ſciat aduerſari, ac reluctari Sanctæ matris Eccleſiæ decretis, (exempli gratia) in hoſtia conſecrata non ineſſe corpus Chriſti; eam tamen mordicus tenet, quam hæreſim prorſus eſſe nemini dubium eſſe poteſt. Sed hæreticus etiam ille eſt, qui cùm nihil defendendum contra ſacros Canones ſuſcipiat, tamen alteri quē ſciat eſſe hæreticum, tantum fidei præſtat, atque ita bene de eo ſentit, vt exiſtimet, fieri non poſſe, vt hic ipſe decipiatur, aut falſa doceat. immò verò poſſumus dicere, hunc magis hæreticum eſſe, quàm illum, quando ſanè tacito quodam animi conſenſu, comprobat tot hæreticas opiniones, quot ſcatet is, cui ipſe tantoperè fauet. Et iccircò maximè cauendum eſt, ne cùm in regionibus infectis verſamini, quempiam hæreticum impenſius ametis. quos enim amamus, ijs etiam facile credimus: & fidem alicui hæretico adhibere, non minor hęreſis eſt, quàm ipſi hæreſi credere. Sed illud monitum, quo dico vitandam eſſe hæreticorum conſuetudinem, quomodo non reluctatur huic ora-

tioni meæ: in qua loquor tantum de ijs regionibus, in quibus cum hæreticis viuimus? reluctatur ſanè,& propterea addita fuit à me dictio illa, neceſſariò. dicoq; in illis ciuitatibus, in quibus Catholici cum hæreticis mixti ſunt, quotieſcunque potes cum Catholicis tantum mercaturam exercere, exercendum tibi eſſe cum illis tantummodò: neque cum hæreticis, niſi prorſus neceſſariò agendum: quo etiam tempore, agere debes cum illis, tanquam cum mercatoribus, & non tanquam cum hæreticis: ideſt, de tuis negotijs,& non de fide. quod ſi te etiam inuito ſermones de fide hæreticus ſerere cæperit, tunc illum humaniter, ac placide corrige; ſemel atq; iterum, vt inquit Paullus. quòd ſi nihil profeceris, diſiunge te pœnitus ab eius familiaritate,& cõgreſſum fuge. *Et poſt vnam aut alteram correptionem, euita.* omnino tertium, per neceſſarium eſt, ac maximi momenti: ideſt, non eſſe cum illis de fide diſputandum. nàm vt ait Gelaſius Pontifex, *quod ſemel coacta Synodus contra hæreſim promulgauit, nouis retractationibus non debet mutilari*. vt enim ait Martianus Imperator in ſeptima actione Concilij Calcedonenſis, *veritate inuenta, non vltra multitudo diſcordare debet*. & quia *honor eſt ſeparare ſe à contentionibus*, vt eſt in adagio. & quia *noli contendere verbis*. & alibi, *ſtultas quæſtiones deuita*, ait Paullus; quia adducitur in contemptum fidei noſtræ firmitas, quoties in quæſtionem vocatur. quia hæretici ſunt pertinaces, *& nullam ſatisfactionem recipiunt*, ait Auguſtinus in Fauſtum. quia ſuperbi ſunt, & nunquam crederent. quàm autem verum ſit, illis nihil præter communem animarum perniciem, propoſitum in diſputationibus eſſe, animaduertite, eos nunquam diſputationes ſuſcipere, niſi præſente multitudine imperita, & eoſdẽ nunquam niſi arbitrum indoctum capere ſolere. Hùc accedit, quòd ſi pietatis & veritatis cauſſa diſputarent, ad illud Concilium cõfluxiſſent, quod in intimis eorum regionibus indictum eſt, atq;

habitum. quò vt ſecuri venirent omni fide publica cautum eſt. Itaque diſputationem cum illis ſuſcipere, indignum quiddam eſt, ac ſtultitiæ plenum. ſed iſtorum templa curioſius adire, eorum preces audire, eorum cænas ſpectare, hoc verò quid poteſt eſſe improbius? ò, curioſitas ò, curioſitas, quàm multa ſæpe mala peperiſti! Et quid ibi tandem quæritis? veritatem, an mendacium? Iàm ſcitis iſtorum templa eſſe mendacij ſcholas: cur igitur illuc itis? præclare ſcilicet; puderet vos, & maximo etiam timore perculſi iaceretis, ſi quis vos in ædibus, alicuius hoſtis, veſtri principis commorantes cerneret: & non pudet, ingredi vos prophana hoſtium Dei, ac matris Eccleſiæ templa? quid dicitis? quid ibi tandem videre & intueri concupiſcitis? ſi ſororem, aut vxorem veſtram in lupanari deprehenderetis, quæ ſe excuſaret, aſſerens eò ſe profectã eſſe, vt quid ibi meretrices agerent, ſpectaret, probaretis ne? excuſationem ne acciperetis? equidem non credo. & tamen cupitis, a Deo vos excuſatos haberi, cùm in hæreticorum ſana inſpecturi tantum proficiſcimini? quod qui agunt in grauiſſimas etiam cenſuras incidunt: ſed de hoc nil amplius loquar. At vero illud non poſſum ſine aliqua animi indignatione, ac ſthomaco proferre: nempe Catholicos homines in hęreticorum regionibus commorari, neque tantum in eorum templa ingredi, ſed etiam eorundem conciones perattente exaudire, atque mendacium ex Sathanæ miniſtri ore emanans, auribus excipere. & hoc eſt Catholicam fidem colere? & hoc eſt Chriſtianum ſe eſſe profiteri? ò, miſeros vos, & perditos! ſi id facitis, vt fidem occultetis, ac diſſimuletis, iàm Chriſtum negaris: & qui eum negat *coram hominibus*, & ipſe negat eum *coram patre ſuo*. ſed ſi id facitis, quia curioſi eſtis, bone Deus, quàm graue peccatũ admittitis? in quas cenſuras inciditis? quodnam periculum aditis? Ecquis ſcit an veneni aliquid vobis in venas permanet? & an aliqua peſtis contagio vos contaminet? perma-

nere-

neretis ne ibi, vbi de veſtri principis ſama aliqui detraherent? vbi mulierum veſtrarum pudicitia probris, ac maledictis vexaretur? ò vos infelices! & quid, tandem eò acceditis, vbi Dei honor minuitur? vbi in ſponſam & ſanctos eius acerbe ac contumelioſe hæretici inuehuntur? Idem eſt, de ijs qui eorum libros lectitant: immò fortaſſe etiam grauius peccant. etenim præter peccatum & cenſuras, maius periculum hic adeſſe, quàm illic ſolet. quandoquidem concio nil aliud ſit, quam liber non permanens; & liber; ſit permanens concio. ò, venena ò, orbis venena! Nonne videtis, cùm ad eorum regiones accedimus, quanto deſiderio teneantur, vt eorũ libri diſſeminentur, vt à nobis peruolutentur. Ecquid creditis eos idipſum tàm vehementer cupere, niſi vt nos inficiant? & vos miſeri, cùm non ignoretis in eo vaſculo incluſam peſtem latitare, illud tamen aperire properatis? ò felices regiones illas, in quibus ex Concilij Tridentini decreto, ac Romanæ Eccleſiæ more, non omnes libri omnibus conceduntur. & profectò iàm videmus quanto hæ pacatiores ſint illis, in quibus quilibet liber cuilibet legendus proponitur. hæreſiarcharum libris, hæreticorum libris, quid poteſt dici fœdius? neque vero etiam alij libri, quibus per Indicem eſt interdictum, vbicunque locorum fueritis, ſunt à vobis euoluendi. neque enim putandum eſt, tot patres, tanta doctrina, ac pietate præditos, ſine cauſſa eos exploſiſſe. libri vero ſacrarum literarũ vulgaribus verbis conſcripti, quot mala inuexere quot errores peperere? & vos nihilominus optatis, vt vobis libere ſine vllo delectu permittantur? Dicite, obſecro vos, ſoletis ne vti cibo aliquo niſi prius ex medico cognoueritis, eum eſſe ſalutarem? minime. & tamen librum vulgari ſermone conſcriptum, qui animam poteſt interficere, deuorare ſoletis, contempta medici, hoc eſt ſacri Inquiſitoris auctoritate? quinimmo controuerſiarum vulgarium libri, qui non modo hæretici non ſunt, ſed ex

 dia-

diametro, vt aiunt, contrà hæreticos dedita opera ſcripti ſunt, ſanctiſſimum fuit, cauere ne omnibus legendi præberentur: ſed ijs tantummodo, qui nati, atque apti ſunt, ad eos rectè intelligendos. Et vos ſuperatis Alpibus nullo adhibito conſilio omnes paſſim libros peruolutatis? quid eſt poſtea, cur miremini, ſi hæreſum numerus quotidie augetur? nolite, obſecro vos auditores, tantum periculi adire: ſed ad illa ſex quæ vobis iam cauẽda monui, nempe ne hæreticis credatis, ne cum illis viuatis, ne diſputetis, vt ab eorum templis caueatis, ne eorum conciones audiatis, ne eorum libros legatis, addite etiam ſeptimum: ideſt, vt egregie tanquam cum Sathana pugnantes, ex malo bonum eliciatis, & ex eorũ conſuetudine aliquid vtilitatis capiatis. Deus etiam ipſe, ex hoc hæreſis malo, multa bona depromit: & iccirco aiebat Paullus Epiſt. pri. ad Corinth. cap. 11. *oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant*: non quod Deus iccirco eas oriri faciat, *vt probati manifeſti fiant*. ſed accipienda eſt dictio *vt*, non *cauſſaliter*, ſed *conſecutiue*: quo pacto etiam dicitur, *Tibi ſoli peccaui, vt iuſtificeris*: hoc eſt, *& ex hoc iuſtificatus es*. & alibi, *Ego mitto prophetas, & ex illis occidetis, vt veniat ſuper vos ſanguis*: ideſt, *& ideo veniet ſuper vos ſanguis*. eadem ratione ait Paullus, *vt probati manifeſti fiant*; ideſt permittit Deus, vt multæ exurgant hæreſes, & hinc, hoc commodi ſolet emanare, & percipi, *vt probati manifeſti fiant*: ideſt, cognoſcantur, qui in fide ſtabiles, ac conſtantes ſunt. Huc accedit, quod hæreſes patientiæ virtutem in Dei Eccleſia exercent, ingenia Catholicorũ exacuunt, inertiam noſtrã, ac deſidiam expellunt, fugantq; magis nos expergefaciunt, occaſionem nobis præbent, inueſtigandi veri: & deniq; multa alia commoda ex hoc incõmodo haurit Deus. quare vos etiam rogo per Chriſti viſcera, vt eodem pacto, dum in hæreticorum regionibus commoramini, ex malis quæ cernitis, multa bona colligere velitis. Exempli gratia. vt

inde

inde cogitetis, quanta ſit Dei patientia, quàm ingrati hominum animi, quanta ſit Eccleſiæ firmitas, quanta veritatis vis, & multa huiuſmodi alia. Sed omnino vnum id vos præ cæteris oro atq; moneo: vt ſæpiſſime mente animoq; cogitetis, & tùm maxime, cùm hæreticorum tumultus videtis, & velim inquam (vt hoc mearum diſceptationum tanquam clauſula ſit,) cogitare vos, quàm vtilis ſit in Eccleſia Dei, Sanctiſſimus Inquiſitionis magiſtratus: & quantopere errent prouinciæ illæ, quæ eum expellunt, ac reijciunt. Ipſi hæretici, cùm Geneuæ, tum in Brittania, nō carent ſuis pſeudoinquiſitoribus. ſed quid hoc ad nos? hæc ſumma eſt: vt perpendamus, quantum commodi afferat Inquiſitio: & quantum incommodi capiant Ciuitates illæ, in quibus eius nulla eſt auctoritas: cuius rei illud vobis ſit exēplo. Quæ enim ſunt prouinciæ illæ, quæ in Rep. Chriſtiana pace fruuntur? duæ; Italia & Hiſpania. quæ ſunt illæ prouinciæ, quæ in Chriſtiana Repub. ſacros Inquiſitores colunt? Italia, & Hiſpania. ò, te fœlicem Brittania: ò, te fœlicem Germania: ò, te fœlicem Gallia: fœlices vos omnes ò, infectæ & turbulentiſſimæ prouinciæ, ſi Sanctam Inquiſitionem tueri, ac conſeruare voluiſſetis: ſi eam ſicuti oportuerat, in honore ac pretio habuiſſetis. quid dicitis? libertatem petitis? Ecce libertas illa quam adinueniſtis; nempe vt continenter veſtræ prouinciæ ferro atque igni vaſtentur: vt ciuium ſanguine conſpergantur: vt opes ac facultates veſtræ diripiantur: vt vita veſtra in perpetuo necis periculo verſetur: vt denique anima veſtra infra omnes inferos amandetur. Nos certe non vmbratili ac fucata, ſed vera ac germana libertate gaudemus: qui ſub paterna Sacrorum Inquiſitorũ cura dormimus in vtramque aurem: qui tranquillè viuimus: qui noſtris prædijs ac facultatibus fruimur: qui armorum ſtrepitus non exaudimus: qui intacta noſtræ ſalutis ac fidei fundamenta conſeruamus. Chariſſimi patres: fideliſſimi cuſtodes: fortiſſi-

ma ſalutis noſtræ præſidia. Quantum eſt id quod vobis debemus: quàm multa beneficia quotidie à vobis accipimus. næ nos veſtigia à vobis impreſſa propè dixerim oſculari debemus: Audite etiam Eſaiæ in hanc ſententiam verba, & tandem finem dicendi faciam. is igitur cap. 3. vbi Deus minatur populo ſuo, ſe ei cuncta quæ dederat bona ablaturum, poſtquam dixit, ſe ablaturum *validum & fortem, & omne robur panis, & omne robur aquæ; & fortem, & virum bellatorem, & iudicem, & prophetam, & hariolum, & ſenem principem, ſuper quinquaginta, & honorabilem vultu, & conſiliarium, & ſapientem de Architectis*, vltimo loco, vt eis plus terroris incutiat, ait, ſe illis velle auferre, tanquam maius bonum, *prudentem eloquij myſtici*: & alibi ait; *Inquiſitorem eloquij myſtici*: ideſt eos, penes quos vel illis temporibus poteſtas erat iudicandi de ijs, qui vera docebant. quod & noſtra tempeſtate Inquiſitores faciunt. Videte quanti eos faciat Deus: & an eos tam vtiles prouincijs eſſe ducit, quam vtiles eſſe nos ſupra oſtendimus. quare ſi illis ſex monitis, quibus agitur de ijs rebus, quæ inter hæreticos verſantes vitare debetis, hoc etiã addideritis, vt intelligatis, quantum vtilitatis ex ſacris Inquiſitoribus percipiant prouinciæ, ego me ſatis fortunatum putabo, atque in hac mea diſceptatione, operam optime collocaſſe arbitrabor. Quæ cùm iàm optatam metam attigerit, & ſimul cum ea cæteræ omnes, ad vmbilicum perductæ ſint, quas ſuperioribus diebus audiſtis, nihil aliud reſtat, niſi vt vos orem, vt hos meos labores tam hilari fronte accipiatis, quàm libenti animo à me ſuſcepti fuere. Nihil me dixiſſe confido, quòd animarum veſtrarum ſaluti afferre perniciem, aut detrimentũ poſſit. quòd ſi ſecus factum eſt, profiteor, hac in re & teſtor, meam vocem non fuiſſe meam: quoniam cum corde conſentire non potuit: cui nil aliud vnquam propoſitum fuit, quàm id quod cum veſtra ſalute coniunctum ſit; neque quicquam vnquam cogitabit,

bit, quod à Romana Eccleſia diſſentiat. præterea, nihil eſt, cur me excuſem, cum enim veſtra cauſſa effecerim quæcunque potui, ſatis me præſtitiſſe arbitror. Quod verò ad voluntatem meã attinet, me mihi ſtudio adiuuandi veſtri non defuiſſe ipſe mihi ſum conſcius. neque verò etiam de attentione, ac de iſta tàm magna auditorum frequentia gratias vobis agere mihi in animo eſt. tùm quia iuuat me in veſtro ære eſſe, nec iccirco beneficiũ veſtrum vlla gratiarum actione imminuere volo. tùm, quia,& attentio & frequentia veſtra, tunc erunt mihi iucundiſſimæ, cũ vos plurimum profeciſſe comperiam. nàm ſi alioquin tanta hominum multitudine, gloriarer, nihil aliud hoc eſſet, quàm non gloriæ Dei, ſed meæ ipſius laudis buccinatorem eſſe. Date, date operam, vt aliquem fructum capiatis ex ijs,quæ à me dicta & declarata fuerunt: cùm præſertim adhuc integrum ſit vobis. Recordamini, in qua Italiæ parte collocati eſtis,hoc eſt in ipſius ingreſſu atque,vt ita dicam veſtibulo. Exiſtimate, ex veſtra ſalute, (loquor de ea quæ ad animos, fidei cauſſa attinet,) aliorũ omnium ſalutem pendere. Cogitate, quantum beneficium in vos contulerit Deus, qui præter eam regionem quam vobis rerum omnium vbertate florentiſſimam tribuit, eum præterea principem veſtrum eſſe voluerit quem ſcitis. de quo, quoniam non patitur eius modeſtia, vt ipſo præſente quidquam dicam: neque ipſo abſente dicere mihi vnquam licuit; ſinite ſaltem hoc vos exorem, nempe vt caueatis, ne peccata veſtra, tam excellens bonum vobis & nobis omnibus aliquando ſurripiant. Ego verò,qui nihil aliud poſſum, Deum Opt. max. in hoc veritatis loco, obſecro obteſtórq;, vt mala omnia in meam calamitatem conuertat, quæ vel eius vitæ perniciem, vel animarum veſtrarũ ſaluti detrimentum eſſent allatura.

FINIS.

Digitized by Google

selede
263

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
LAB. RESTAURO
ROMA

Digitized by Google